Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Militaris ordinis Johannitarum, Rhodiorum aut Melitensium equitum rerum memorabilium, usque 1581 annum, historia nova libri XII compreh.

https://hdl.handle.net/1874/389235

MILITARIS ORDINIS


IOHANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, RERVM MEMORABILIVM TERRA MARIQVE, A' SEXCENTIS ferè annis pro republica Christiana, in Asia, Africa, & Europa contra Barbaros, Saracenos, Arabes & Turcas fortiter gestarum, ad præsentem vsq; 1581 annum, Historia Noua, libris duodecim comprehensa, omnibus Christianis lectu iucundissima.

IN HONOREM STRENVISSIMI ORDINIS, NVNC PRIMVM *summa diligentia conscripta, & in lucem edita: Authore* HENRICO PANTALEONE *Physico Basilienſi, & Cæsarij Palatij Comite.*



Cum S. Cæs. Maiest. priuilegio ad sexennium.

Basileæ, Anno M. D. LXXXI.



PIO AEQVO ET CHRISTIANO LECTORI HEINRICVS PANTALEON PHYSICVS BASILIENSIS gratiam à Deo precatur sempiternam.



Monarchiæ quatuor Danieli ostēsę.

Apiens æquè ac Sanctus propheta Daniel, Christiane lector, mirabili omnipotentis Dei consilio, in somnio Nabuchodonosoris Regis Babyloniorum, intellexit omnia ea quæ in orbe terrarum ad mundi finem vsq; euentura essent. Viderat enim rex imaginem grandem ac aspectu horribilem, cuius caput ex bono auro: pectus & brachia ex argento: Venter & lumbi ex ære: Tibiæ ex ferro, pedes partim ex ferro partim ex testa constabant. Postea verò abscissus est lapis absque manibus & percussit statuæ pedes ferreos ac fictiles, & comminuit eos, ita vt simul ferrum, testa, æs, argentum, & aurum contererentur, & in ventū dissiparẽtur. Lapis autem ille qui percussit imaginem factus est mons magnus, & orbem terrarum impleuit. Eadem visione Deus per Danielem regi quatuor mundi Monarchias significauit, per quas populum suum Iudæos peccantes castigare voluit, vt ad veritatem reuocarentur. Prima erat Assyriorum, quæ anno mundi 1906 à Nino rege incœperat, atq; per 1497 annos ad Cyri Persæ tempora vsq; perdurarat. licet aliqui 266 annos his detrahant, atq; Medis & Babylonijs attribuant: Quia Arbaces Medus tum Sardanapalum deuicerit, atq; eius regnum ad Medos transtulerit, & Belesum Babilonijs præfecerit. Erat hæc auro similis, quia tum plus iustitiæ auitæ, & nondum vbiq; inualuerat iniquitas. Hinc etiam Nabuchodonosor per quadraginta annos regnarat, atque Monarchiam pacificatam Euilmerodach filio reliquerat. Cum tamen reliquarum Monarchiarum authores Cyrus, Alexander, & Iulius ex improuiso, in florenti adhuc ætate, miserè perierint.

An omnis potestas apud Monarchas.

Secunda fuit Persarum, cum Cyrus Astiagem vltimum Medorum regem superarat, atque durauit per annos 231, ad Alexandri magni tempora, qui Darium Persarum regem sustulit. Erat hæc argento similis. non quidem integritate & iustitia priori conferenda, sed tamen posteriori præferenda. Tertia erat Græcorum quæ ab Alexandro cœpit, qui Babyloniam & Susam in potestatem redegit. Hæc per 283 annos ad Iulium Cæsarem vsque perseuerauit. Ea fuit ærea atque à prioribus plurimum pietate, iustitia, & integritate defecerat. verumtamen nondum in omnia scelera degenerarat, vt recte Ouidius cecinerit,

Tertia post illam successit ahenea proles,
Sæuior ingenij, & ad horrida promptior arma:
Non scelerata tamen: De duro est vltima ferro, etc.

Hæc priora regna dicuntur Monarchiæ, & Danieli ostenduntur, non quod omnis potestas apud illas totius terræ essent, erant enim cum illis reges Aegyptiorum, Latinorum, Argiuorum, Sicioniorum, Lacedæmoniorum, & similium, sed quod essent illarum reges alijs multò potentiores, quos Deus certo tempore euehere & sustentare vo-

luit, ita vt ab alijs vndiq; regibus & principibus terrarum obseruarentur, atq; tacito consensu reuererentur.

Quarta Monarch. per pedes ferreos & fictiles significata.

Quarta erat Romanorum vltima, quæ à Iulio Cæsare cœpit quadragesimo sexto anno ante Christi natiuitatem, atque ad seculi consumationem perdurabit. Erat hæc partim ferrea, quæ ferè omnes alios reges sustulit & protriuit, id quod sub Octauiano Augusto factum legimus, postea verò ex ferro & testa fuit commixta. nam per Hunorum, Vandalorum, Gothorum, Longobardorum, Saracenorum, Turcarum & aliorum Barbarorum varias irruptiones Romanum imperium plurimum fuit turbatum & laceratum, ita vt suis armis illis diutius resistere non posset, sed Asia atque Africa amissa, in Europa tantum permanere cogeretur. Nihilominus tamen Deus huius monarchiæ pedes ferreos cõstituit, ita vt eam in omnibus calamitatibus & tribulationibus tueri & conseruare velit: supererant etiam decem digiti pedum, partim ferrei partim testacei, per quos decem regna intelliguntur, qualia sunt Gallorum, Italorum, Hispanorum, Lusitanorum, Anglorum, Vngarorum, Polonorum, Danorum, Suecorum, & Siculorum, quæ licet non omnia Romano Imperio sint subiecta, tamẽ certis fœderibus, aut iure amicitiæ, ac religionis consensu, idem honorant atque respiciunt, adeoq; vndiquaq; illud, vt membra cor vitæ fontem, circumdant ac defendũt, vt Dei ordo in conseruanda monarchia obseruetur & retineatur.

Christi duplex aduẽtus.

Tandem verò veniet lapis abscissus absque manibus, qui percutiet statuæ pedes ferreos ac fictiles, & comminuet eos. Is erit Christus saluator noster, qui secundum carnem sine patre ex Maria virgine natus, humiliter sub initium quartæ Monarchiæ in terrã venit, atque patris voluntatem declarando regnum spirituale inchoauit, & sua morte victima factus genus humanum patri cœlesti reconciliauit. At sub finem huius Monarchiæ veniet lapis ille angularis Christus in gloria & maiestate, ad iudicandum viuos & mortuos. Tum ipse regnum suum æternũ suscipiet cum electis suis, cuius non erit finis in secula seculorum. Ex hac Prophetia cognoscimus Romanorum Monarchiam duraturam ad finem mundi vsque, aut si prius paulatim intereat & euanescat, subsecutura calamitosissima tempora, quæ Christus Dominus noster discipulis suis in monte oliuarum prædixit, dicens: Erit gens cõtra gentem, bella perpetua, passim falsi prophetæ & lupi rapaces, iniustitia superabit, & veritas refrigescet. imò talis tribulatio inter homines orietur, qualis ab initio non fuit. Nam vbi regnorum confusio, & Magistratuum ac politiarum abolitio, necesse est vt huiusmodi calamitates subsequantur. propterea Deus inuocandus, vt in diebus nostris det nobis, & internam animæ & externam corporis pacem.

Monarch. quarta cõseruanda.

Hæc cum sint verissima, nostrum etiã erit vigilare, & in id incumbere quò Monarchia illa, quantum in nobis erit, conseruetur, ac ad posteros nostros propagetur. Deus enim misericors eandem sub Constantino magno Imperatore Christianis concessit, ita vt aliquandiu Romæ, postea Constantinopoli, & tandem in Germania eius Monarchiæ principes regiam suam sedẽ fixerint, quæ etiam per octingentos ferè annos à Germanis fortiter conseruata & stabilita fuit. Etsi autem Imperium plures hostes in orbe terrarum habeat, & quandoq; intestinis bellis & contentionibus in mutuam perniciem ruat ac laceretur, tamen potissimum Turcarum Tyranni Machometis impijs erroribus seducti, ab aliquot iam seculis illud subuertere, & penitus tollere summis viribus voluerunt.

runt. Illi enim primò in Asia nostris aliquot regna abstulerunt, paulo pòst & Syriam & Aegyptum: inde ad Orientem conuersi Constantinopolitanum imperium sustulerunt, & totam Græciam suæ tyrannidi subiecerunt. Nostra quoque ætate magnam partem Africæ per Hariadenum Barbarussam deuicerunt, atque potentissimum Hungariæ regnum maiori ex parte occuparunt. Sic etiam nuper Cyprum & alias insulas sui iuris fecerunt, ita vt Christianorum Monarchia in angulum mundi extrusum hodie cernatur. Timendum etiam ne Turcarum potẽtia indies augeatur, cum partim armis partim dolo in nostros agere pergãt. Solẽt enim Christianorum principes in mutua odia incitare, illorum simultates fouere, atq; dissidentibus partibus clàm vires suppeditare, vt nostris à se inuicẽ debilitatis ex improuiso arma inferãt, atq; vno anno plus nostris subtrahãt, quàm omnib. Christianis consentiẽtibus in multis annis perficere possent. Proptereà principes Christiani piè faciunt, qui sese huic Tyranno opponunt, & vires suas Romano imperio coniungũt, ne eo per Turcas dissipato & sublato, nostris temporibus miserrimæ confusiones imperiorum, & hominum calamitates, iuxta Christi dictum, in totum mundum subsequantur.

Cur militares ordines instituti.

Hæc etiam causa fuit vt olim principes Christiani passim in suis prouincijs Militares ordines instituerint, qui nullis familijs grauati, aut curis domesticis impediti Barbaris irruẽtibus fortiter occurrerent, Christianorum fines defenderent, ac crudeles hostes repellerent. Inprimis verò ante quingentos quinquaginta annos nobilis Ioannitarum ordo Hierosolymis à pijs hominibus fuit institutus, vt pauperibus Christianis sua hospitalitate succurrerent, & peregrinantes ab iniurijs Barbarorum tuerentur. Illi ergo suis viribus paulatim succreuerunt, atq; primò in Syria & Aegypto, mox etiam in Africa & Asia infidelibus egregiè restiterunt, suasq; vires regibus Christianis semper coniunxerunt, ac eis plurimum profuerunt, præsertim cum plerunq; ob animositatem primũ impetum in Barbaros petierint & impetrarint. Postea verò Christianis ex Syria pulsis, equites fortissimi suis viribus Rhodum insulam, Turcis expulsis, occuparunt, ac per ducentos & amplius annos egregiè contra varias Barbarorum irruptiones defenderunt. Tandem ob Christianorum dissidia inde pulsi, primò Piscolam venerunt. inde se Viterbium contulerunt, quam ciuitatem ipsis Clemens 7 pontifex (qui antea Rhodius eques & prior Capuanus fuerat) tradiderat. Postea Niceam, ac postremò Melitam sese recèperunt, atq; per quinquaginta annos ibidem fœliciter, fremente Turca, perseuerarunt. Vt non mirum sit prudentes aliquot viros etiam ante centum circiter annos protulisse, Quod Christiana respublica, si quid eius superst, id Rhodiorum ordini debeat. Nisi enim Ioannitæ hactenus sua magnanimitate Barbaris restitissent, illi procul dubio Italiam, Galliam, & Hispaniam penetrassent, ac in intimam Germaniam, veram hodie Romani imperij sedem peruenissent, & omnia mirum in modum fœdassent. Videant tamen hodie huius ordinis equites, ne à suis maioribus viris pijs & strenuis degenerent, sed maiorum vestigijs insistant, Deum timeant, pietatem, hospitalitatem, sobrietatem, castitatem, & huiusmodi virtutes secundum statuta sua amplectantur, vt vicissim à Deo opt. Max. amentur & conseruẽtur, quò acceptam ab antecessoribus gloriam cum laude ad successores propagare possint.

Historiæ huius scribendę occasio.

Cum hæc manifesta sint, mirum tamen hactenus neminem ex Christianis extitisse qui ordinis Ioannitarum historiam ab eorum origine & incremento ad nostra tempora

vsq; conscripserit, & in lucem ediderit. Potuissent quidē multi, quæ huius seculi doctorum virorum est fælicitas: Verum illi fortasis territi operis difficultate, quia multarum gentium historiæ euoluendæ, plurimi libri percurendi, atq; inlatum pelagus procedendum, à quo ad portum redeundi non cuilibet semper facultas datur: aut hominum huius temporis ingratitudine pertæsi, qui procliuiores sunt aliorum scripta petulāti lingua proscindere quàm commendare. Hæ forte causæ fuere quod hactenus docti viri potius quiescere quàm huius ordinis historiam contexere voluere. Verumtamen licet plerisq; hominum tales hodie existant, sunt tamen semper aliquot qui literas et literatos ament atque meritò honore prosequantur. In eorum numero fuit strenuissimus Georgius Bombastus ab Hochenheim beatæ memoriæ huius ordinis per Germaniam princeps, qui initiò mecum conferre cœpit de ordinis sui historia conscribenda. Videbat enim me eo studio plurimum delectari, atque eò esse progressum vt iam quarundam gentium acta in lucem ediderim, ac plurimarum res gestas ex Latino sermone in vernaculam nostram linguam transtulerim. Itaque aliquot Ordinis huius annales, peregrinas epistolas, & aliquot viros æterna memoria dignos collegit, ac benignè suppeditauit. Ea occasione laborem in manus suscepi atque varios libros euoluere ac Ioannitarum equitum res gestas hinc inde diligenter excerpere & annotare cœpi, ac Dei gratia fæliciter ad præsentem vsque 1581 annum cōtinuaui. Cum autem Barbarorum præsertim vero Turcarum res gestæ huius ordinis historiam plurimum illustrent, etiam illas hinc inde breuiter perstringere, ac huic operi inserere coactus fui: idem etiam in aliarum gentium actis faciendum paucis erat, quòd ad nostri operis illustrationem plurimum pertinere videbantur. Stilus autem initio operis est humilis, vt secula antiqua scriptorum (quorum libri euoluendi erant) ferebant. Verùm paulatim progrediens, atque Doctorum hominum monumenta hinc inde dispersa colligens, tersior quoque extitit, ita vt lectori non facilè tædium allaturus sit.

Vsus huius historię.

Erit autem vsus huius historiæ multiplex. Cognoscemus enim primò Ioannitarum ordinem hactenus arcanum Dei consilium de quarta Monarchia retinēda, quantum in se fuit, conseruare voluisse, atque ideo plurima pericula, labores, persecutiones, direptiones, & cædes pertulisse, ne à Turcis penitus tolleretur, ac infinitæ calamitates posteà ad finem mundi vsque subsequerentur. Deinde verò hic intelligimus mirabilem Dei bonitatem & misericordiam, qui hunc ordinem tanto tempore in mille periculis, adeoque ferè in medio Barbarorum protegere & conseruare voluerit. hoc enim non humanis viribus sed diuinæ potentiæ adscribēdum, cùm sæpius maximi Barbarorum exercitus terra mariq; à paucissimis Rhodijs fusi & deleti fuerint. Tandem etiam varia hæc virtutis exempla alios quoque Christianos ad patientiam & constantiam excitabunt, vt alijs bellis intestinis, & domesticis contentionibus omissis, vnicè eò respiciant, quo Turcarum & aliorum Barbarorum conatibus fortiter occurrant, ne desides tandem ad arctiorem mundi angulum protrudamur, atque nobis & posteritati magno dedecore grauissima onera imponi patiamur,

Dedicationis causæ.

Hunc autem meum laborem, Christiane Lector, hoc tempore tibi dedicare, & in lucem edere volui, vt rerum terra mariq; hinc inde in Asia, Africa & Europa contra Barbaros, Saracenos, Arabes, & Turcas, à Ioannitarum equitum Militari ordine gestarum, notitiam haberes, atque cognosceres, qua magnanimitate, prudentia, ac fortitu-

fortitudine Imperatores, reges, ac principes Christiani sese huic ordini coniunxerint, atque vicissim Ordo ille ipsis Christianorum monarchis adfuerit, & Reipublicæ Christianæ suam operam gnauiter præstiterit. Fateor quidem me non omnia pro dignitate prima hac editione proponere potuisse, cùm ea tantùm, quæ hinc inde in Optimis quibusque approbatis authoribus de hoc nobilissimo equitum ordine sparsim annotata reperiri, colligere ac in iustum volumen redigere potuerim. Quòd si verò Deus mihi vitam prolongarit, dabo operam, vt plura inquiram, atque opus ipsum aliquando locupletius Christianis communicẽ. Si autem Deo omnipotenti aliter visum fuerit, viris aliis doctis atque historiarum peritis occasionem me dedisse spero, vt omnia exactius & fusius ab ipsis deliniantur & proponantur. Nihil enim facilius quàm inuentis aliquid addere. Interim amice Lector, ex animo opto vt hunc qualẽcunq; meũ conatum tibi aquique consulere, ac grato animo amplecti non dedigneris, Præsertim cùm præclara facinora, quæ omnium Christianorum intererat, cognoscere, omnibus quoque Christianis dedicare ac inscribere voluerim maiorem à Deo quàm hominibus remunerationem sperare desiderans.

Valeas fœliciter. Basileæ ex Musæo nostro, Anno partæ salutis

1581.

AVTHORES PRAECIPVI QVORVM LECTIONE AVT OPERA POTISSIMUM *in hac Historia scribenda adiuti fuimus.*

Aeneas Syluius Pontifex.
Vvilhelmus Archiepiscopus Tyrensis, de bello sacro.
Blondus Foroliuiensis de Ro. Imperij declinatione.
Bartholomæus Platina de Rom. pontificibus.
Ioannes Cuspinianus de Cæsaribus.
Antonius Sabellicus de Historia vniuersali.
Paulus Aemylius de Gallorum historia.
Alberti Crantzij Saxonia.
Raphael Volaterranus.
Ioannes Nauclerus Historicus Generalis.
Petrus Bembus de rebus gestis Venetorum.
Sebastianus Brand de regibus Hierosolymitanis.
Polydorus Vergilius de Historia Anglica.
Paulus Iouius.
Cælius secundus Curio.
Continuatio belli sacri.
Historia de viris illustribus Germaniæ H. Pantaleonis.
Ioannes Stumpfius de actis Heluetiorum.
Sebastianus Monsterus de Cosmographia.
Saracenica Historia.
Historia Turcarum.
Martinus Chromerus de Polonia.
Petrus Bizara de rebus Turcicis.
Ioannes Auentinus.
Ioannitarum annales.
Ordinum militarium institutio.
Statuta Ioannitarum.
Theodori Zuinckeri Theatrum.
Ioannis Sleidani historia.
Verronius de obsidione Rhodiensi.
Hieronymus Alexandrinus de obsidione Melitensi.
Christiani Vvurstisij Basilea.
Nicolaus Hemmingus de Turcis.
Anonymi plures.


IN EFFIGIEM MVLTIS NOMINIBVS CLARISSIMI VIRI D.D. HEINRICI PANTALEONIS, Basilienſis Phyſici, Medici, atq; Hiſtorici.

Talis erat facies, & PANTALEONIS imago,
Cum tam magnificum compoſuiſſet opus.
Vna quidem facies, & corpus, & vna figura
Dotibus eſt variè nobilitata ſuis.
Si Phyſicum, Medicum, ſi facundumq; Poetam
Poſcas, multorum ſufficit ille loco.
Ecce piæ mentis præſagia, frontis honores,
Pulcraq; doctrinæ lineamenta ſuæ.
Ecce ſeneſcentes reuerendi corporis artus,
Ingenuas vires corporis ecce ſui.
Verum ſit, fateor, facies heroica, mentis
Internas dotes non tamen inde vides.
Arbor enim, quamuis ſpecioſa, vireſcat in altum,
Sæpius exiguas fert tibi frugis opes.
Ingenij vires potius, celebresq; labores
Reſpice, qui nulla morte perire ſolent.
Hi tibi monſtrabunt quid ſit labor improbus, & quid
Corpus in æternis rebus habere queat.
Hunc igitur, quem nunc peperit, perpende laborem,
Artificem ſi vis noſcere, noſce librum.
Nanq; ego ter miror tantæ conamina molis,
Miror inexhauſtæ mentis & artis opus.
Sed quid amor patriæ, quid PANTALEONIS alacres
Sudores poſſint lux hodierna docet.
Det DEVS vt porrò patriæ prodeſſe ſcholæq;
Poſſit, & unanimi nos alat ipſe fide.

Ioan. Iacob. Baumannus,
Tigurinus.

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MARIQUE à sexcentis ferè annis, pro Republica Christiana, fortiter gestarum

Liber Primus.





VVM nobilis atque Reipublicę Christianæ vtilis Ioannitarum equitum Militaris ordo sua initia ac incrementa, ante sexcentos ferè annos, Hierosolymis sumpserit: eius vrbis variam fortunam, post Iesu Christi Domini nostri in cœlum ascensionem, altius nobis repetendam duximus. Nam Iudęorum peccatis & sceleribus efflagitantibus, qui Christum Dei filium iuxta prophetarum oracula crucí affixerant, atque eius Apostolos diuino spiritu illustratos aut occiderant, aut sancta vrbe ejecerant, Diuino iudicio factum, vt Titus Vespasiani filius Romanorum Imperator, eandem vrbem cum celeberrimo templo expugnarit, incenderit, & funditus delerit, vt nec lapis lapidi cohæreret. Tum etiam vndecies centena millia Iudæorum crudeliter sublati, alij verò vili pretio diuenditi, ac vtiignaua mancipia per terrarum orbem dispersi, quò diuinæ iræ indicia ad se-

Hierosolymorum excidiũ sub Tito, Anno Christi 73.

330 culi cõsummationem supereſſent. Incidit autem ſacræ vrbis excidium in annum poſt ſaluatorem noſtrum natum, ſeptuageſimum tertium.

Chriſtianorum cõditio ſub Romanis.

Hac ratione factum, vt Domitianus, Nerua, & Traianus Romani imperatores, circiter annos quinquaginta, incultis illis & deſolatis locis præfuerint. Cùm aũt vndiq; magnus numerus peregrinantum Chriſtianorũ ad loca illa ſacra pergeret, Aelius Adrianus Cæſar collapſam vrbem & quaſi in ruderibus ſitam reſtaurauit, atq; ne quid antiqui nominis ſupereſſet, à ſeſe Aeliam deinceps nominãdum cenſuit. Tum etiam reliquias Iudęorũ expulit, atq; nouã vrbẽ anno natiuitatis Chriſti centeſimo triceſimo quinto, Chriſtianis in habitandam conceſſit, Marco ibidẽ, primum ex gentibus Epiſcopatum ſuſcipiente. Quia verò ijs temporibus Imperatores Romani idolorum cultores eſſent, gentiliúmq; ritus mordicus tuerentur, ac paſſim eccleſiis Chriſtianorum inſidias ſtruerent, etiam Hieroſolymitana ſub Antonino, Commodo, Seuero, Maximino, Valeriano, Aureliano, Diocletiano, & Maxentio varias perſecutiones ſuſtinuit, donec tandẽ Conſtãtinus Chriſtianus factus, ſub annum ſalutis trecenteſimũ viceſimũ Eccleſijs pacẽ dederit, atq; impia idola vbiq; gentium in Romano Imperio ardenti zelo ſuſtulerit, tum etiam Helena Conſtantini mater Hieroſolymis ſanctum ſeruatoris noſtri ligneam crucem magna reuerẽtia ex terra eruit, ac tẽplum reſurrectionis Domini ædificauit. Hoc modo Eccleſia Chriſtianorum Hieroſolymis per trecentos annos ſub Græcis imperatoribus ad Phocæ vſq; tempora ſatis fæliciter perſeuerauit, niſi quod ab Arianis atq; alijs hæreticis quandoq; turbata fuit.

Perſæ occupant Hieroſolymam.

Rebus hoc modo Hieroſolymis conſtitutis, Choſroes Perſarum rex Orientem atq; Græcorum imperium maximo impetu inuaſit. Cùm enim Phocas pium principem Mauritiũ ipſius Choſroes ſocerum cum liberis crudeliter ſuſtuliſſet & imperium occupaſſet, Perſa imperatori infenſus, ingentibus copijs Syriam ingreditur, atq; omnia proſternens, etiam Hieroſolymam vi expugnat, nonaginta millibus Chriſtianorũ trucidatis anno circiter ſexenteſimo decimo. Heraclius Phocę Tyranno ſucceſſit, atq; inſtructo exercitu quem ex Chriſtianis & Saracenis collegerat, hoſti obuiam factus, eundem acie ſuperat, & S. crucem cùm vrbe Hieroſolyma recuperat. Rebus fæliciter geſtis Conſtãtinopolim redire ſtatuit. Cùm autem Saracenis parcius ſtipendium eſſet numeratum, ipſi ab Imperio deficiunt, atq; procellæ inſtar Orientem & Græcorum prouincias petunt.

Saraceni Syria potiũtur

Fuerant illi Arabes, qui paulo antè à Machomete pſeudopropheta ſeducti falſam religionem & Saracenorũ nomen amplexi ſunt. Hanc etiam nouam & impiã ſectam armis tueri, ac longè latéq; propagare propoſuerunt. Vnde primò Aegyptum, deinde Syriam, atq; ſanctam vrbem Hieroſolymorum neminẽ ferè reſiſtente occupant. Sequentes Græcorum Imperatores per aliquot annos varia fortuna cum Saracenis de Syriæ poſſeſſione decertarunt. Tandem verò defatigati & victi, hoſti ceſſerunt. Hinc factum, vt Saraceni per trecentos & ſeptuagínta annos Orientẽ graui ſeruitutis iugo preſſerint, atq; Chriſtianis Hieroſolymis commorantibus, varijs exactionibus & tributis moleſti fuerint. Interim tamen pij aliquot occidentis principes pro Chriſtianis apud Barbaros interceſſerunt, ac ijſdem vitę ac religionis incolumitatem impetrarunt: præſertim verò Carolus nouus in Occidente Imperator, circa annum ſalutis octingenteſimum, cum Aaro Perſarum ac Saracenorum rege, qui Orienti præerat, amicitiam iniit, Chriſtianos commendauit, atq; reſiduæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ liberaliter Eleemoſinas tranſmiſit.

Turcarũ tyrannis in Oriente.

Quum hac ratione Saraceni pacificè Orienti præeſſent, atq; tributis recipiẽdis ab incolis & peregrinis contenti eſſent, Turcæ gens effera, crudelis, & vagabunda, (quæ & ipſa Machumetana impia ſecta contaminata erat) caput extulit, atque Aſiam inuadẽtes, primò Aegyptum, pòſt etiam Syriam & Hieroſolymam, anno Chriſti milleſimo duodecimo, magna humana ſanguinis effuſione, occupant. Calypha tamen Aegyptius ea humanitate vſus fertur, vt tẽplum Dominici ſepulchri, præterea Bethleemiticum & montis Sion phanum illæſum conſeruarit. Tum etiam

tiam quartam vrbis partem Christianis circa eadem templa inhabitandam concef- 1020.
sit, dum reliquæ tres cum sumptuosissimo Salomonis templo, vt prius Saracenis, ita nunc Turcis cederent. Eandem humanitatem etiam eius successor erga Christianos exercuit. Cum autem postea Hequem Calipha, ex matre Christiana natus, regno potiretur, sese immanissimũ hostem Christianis declarauit, ne suspitio quædam Apostasię aut fauoris erga maternam gentem apud Turcas suos esse posset. Is primò nouas exactiones & tributa imposuit, deinde solemnitates Christianorum sustulit, ac tandem Dominicæ Resurrectionis ecclesiam destruxit. Eo tempore Turca quidam canem mortuum in Mahometicum Templum clàm proiecit: eius criminis cum Christiani conscij haberentur, variæ calamitates passim subsecutæ, atque tantum odium ipsis conflatum, vt vix in publicum prodire ausi fuerint, ac in propriis ædibus lapidibus peterentur. Liberi etiam ipsorum vel flagellis vel blãdimentis ad impium cultum cogebantur. Quinetiam septem millia Christianorum orandi gratia Hierosolymam petentes, die Parasceues in Castello quodam conuenerant, qui à Turcis ad internecionem cæsi fuerunt. hinc factum, cum impij odio nostræ religionis non modò cum Christianis, sed etiam locis sanctis decertarent, vt perpauci exterorum nostrorum sanctam Vrbem auderent inuisere.

Amalphitanorũ pietas Hierosolymis.

Interea Amalphitani celebris ac pia gens Italiæ varias merces easq; insolitas & Turcis gratissimas in Orientem nauibus deuexerunt. Est autem Amalphia ciuitas exterioris Italiæ, inter mare & mõtes eminẽtissimos sita: ab Oriente habet Salernum, ab Occidente Surrentum & Neapolim, ab Austro Siciliam Tyrrheno mari seiunctam. Ob has ergo nouas merces Caliphæ Aegyptio cæterisq; præfectis ac incolis Syriæ erant acceptissimi, ita vt magistratuũ licentia omnes regiones & vrbes circumire, atq; merces distrahere omni metu sepositò libere poterãt. Illi autẽ Christianæ religionis & paternarum traditionũ memores, quoties occasio dabat loca sancta visitabant. Quia verò Hierosolymis nullum haberent domicilium, vt in alijs maritimis ciuitatibus, amicis collectis, Calypham Aegyptium adeunt, ac per eius proceres oblato scripto impetrant, vt præsidi Hierosolymorum nunciaretur, quo Turcarum amicis in ea parte qua Christiani habitãt locus amplissimus ad ædes oportunas construendas designetur. Hac occasione oblata, pecuniam passim à mercatoribus colligunt, & ad lapidis iactum ante ianuam ecclesiæ dominicę resurrectionis, in honorem Dei & virginis Mariæ, monasterium erigunt, quinetiam alias ædes adiungunt, quæ ad vsus monachorum atq; suæ gentis hospitium satisfacerent.

Templũ resurrectionis restauratũ.

Hoc fundamento iacto ex Amalphia monachos & Abbatem eo transferũt, & locum ritu Romanæ ecclesiæ Deo & matri virgini consecrant: vnde locus ille monasteriũ de Latina semper dictus fuit. Cùm aũt eodem tẽpore etiã sanctæ viduæ omnibus laboribus & periculis contemptis ea loca inuiserent, nec intra septa Monasterij loca supereſſent, vbi honestè colligerentur, ijdem pij Amalphitani mulieribus oratorium & propriam domum extruxerunt, vbi postea Monasteriũ Mariæ Magdalenę peccatricis fuit constitutũ, vt certus monialiũ numerus ibidẽ peregrinantib. fœminis inseruirent. Paulo pòst etiã Dabet Caliphę filius cùm Romano Argiropilo Imperatore Constantinopolitano fœdus iniit, atq; Christianis facultatem concessit tẽpli Dominicæ resurrectionis recuperandi. itaq; ecclesia illa circa annum salutis millesimum quadragesimum octauum restaurata fuit, Constantino Monomacho sumptus suggerente.

Christiani prædonibus expositi.

His initijs factum, vt multi nobiles & plebei ex varijs Christianorũ prouincijs, ad loca sacra confluere cœperint. Cùm autem per terras hostium transeundum esset, plerunque intercepti, atq; omnibus bonis exuti fuerunt, ita vt vix nudi ad vrbem penetrarent. extra vrbem verò summa fame, siti, & corporis nuditate expectare opportebat, donec numismate aureo oblato à ianitoribus introitum impetrarent. Ingressis autem & locis sanctis ordine peragratis, vix erat spes refectionis vllius diei, nisi quantũ à dicto Monasterio suppeditaretur. Plericq; enim vrbis

1040. inhabitatores erant infideles, excepto paupere Patriarcha, clero, & populo Suria no, qui indies tot afflictionibus erant expositi, vt vix in suprema paupertate & mortis metu respirare, & exanguia ferè corpora trahere poterant.

Ioãnitarum origo. Cùm res ad eas angustias redactæ essent, sancti viri qui Monasterium Latinorum incolebant, victui & vestitui proprio detrahentes, intra ambitũ sibi designatum Xenodochium erexerunt, in quo peregrini sani aut ægroti colligerentur, ne noctu in vijs publicis ab impijs Turcis iugularentur. Cõgregatis etiam ibidẽ, fragmentorum reliquiæ ex vtroque virorũ & mulierũ Monasterio, ab ordinatis fratribus hospitalarijs ad vitæ sustentationem deferebantur. In eo loco Oratorium in honorem Dei & S. Iohannis Baptistæ constituerunt hospitalarij, admoniti Zachariæ patris memoria, qui in eum locum sæpe ad meditandum perrexerat, sunt tamen qui id honoris Iohanni Cyprio deferũt, qui sub Phoca Imperatore Alexãdrinus patriarcha atq; Eleemosinis dandis liberalissimus fuit: vnde etiam cognomine Eleemosinarius dictus. Quin etiam antiquorum historiæ tradunt, Ioannem Hircanum ex Machabeorum illustri familia prognatum, in eo loco suo tempore Ptochodochium habuisse, quod sub Tito cum reliqua vrbe interierit. Vtcunq; sit, certum est quod fratres hospitalarij ibidem constituti, postea ab eodem loco Ioannitæ denominati fuerint. Quoniã verò huic loco initio nulli certi redditus essent, Amalphitani tam qui domi manerent, quàm qui foris mercimonia sequerentur, singulis annis Hospitalario collectam pecuniam transmittebant, vt aduenientibus Christianis subsidio esset. Hoc modo paruis initijs Hospitalarij cœperũt, q postea sub regibus Hierosolymitanis suis virtutibus in præclarum nouum ordinem Ioannitarum equitum conuenerunt, atque amplissimas dignitates & opes sibiac posteris suis compararunt, vt ordinè suo loco dicetur.

Petri Eremitæ peregrinatio. In ijs angustijs & calamitatibus cùm res Christianorum essent, Petrus Eremita inuicto animo proposuit sacra loca sanctámq; vrbem Hierosolymã inuisere. Erat is Gallus ex nobilitate Ambiensi oriundus, qui puer literis imbutus, adolescens militiam secutus, & vir factus rebus humanis spretis Eremita fuerat. Videbat itaque paupertate vilique cultu inter Barbaros tutus. Acri quidem erat ingenio, sed qui corporis specie indecora, breui statura, & minus liberali facie, magis contemnendus quàm metuendus existimaretur. Is in Syriam veniens, omnia loca circumiuit, cuncta lustrauit, mores impiorum, animos, vrbes, vires diligenter cognouit. Perspexit etiam quàm atrocia & nefaria exempla Barbari in Christianos ederent. Cúmq; à Simone Patriarcha, Abbate Monasterij, atque Xenodochij Hospitalario edoceretur, quæ illi paucis diebus intolerabilia essent, incolis pijs, quotidie videnda & patienda, imò perpetua futura, & si quid vltimis malis addi posset, etiam atrociora. Tandem inter eos clam conuenit vt Petro discedenti ad Romanũ pontificem procerésq; Christianos literas darent, quibus opem Christianis terræque sanctæ laboranti malisque fessæ, implorarent. Hæ in hanc sententiam scriptæ feruntur.

Hierosolymitanorũ literæ ad Pontificem. Sanctæ vrbis ciues ac Christi conterranei quotidie perferimus ea, quæ supremis tantum diebus mortalitatis suæ Christus rex noster semel passus est: pulsamur, cędimur, fodimur. Quotidie nostrum aliquis fustibus, securi, cruce mactatur. E ciuitate in ciuitatem refugeremus ad extremos terrarum fines, è media q; terra, vbi salutem nostram operatus est Seruator noster, commigraremus, inopem, profugam, vagamq; vitam acturi, nisi nefas esset terram nascente, docente, moriente, resurgente, cælum repetẽte Domino sacram, cultoribus, sacerdotibusq; orbatam eſe, priusq; non supereſſe qui martyrium mortémq; perferant, quàm desint qui inferant: nec esse qui pro Christo (velut in bello) mori velint, cum sint qui oppugnãdi finem non faciunt. Hæc nos patimur miserrimè quidẽ, sed fuit cum maiores nostri nihil tale sibi posterisque suis timerent. Nunc forsitan sine metus suspitione degunt occidentis Christianæ respublicę, sed exemplo testificationéq; nostra permoueantur. Indies Turcarum vires augẽtur, nostrorum imminuunt, nouorũ semper im-

per imperiorum acceſſio illis ſpiritus addit. Orbem terrarum ſpe amplectuntur: 1080
ferociora, validioráq; ſunt Turcarum quàm Saracenorum arma, conſilia etiam cal
lidiora, cœpta audaciora, & conatus maiores, ac exitus ſecundiores. Vtranq; tamẽ
Romam tentarunt Saraceni. Byzantium obſidêre, ac Italię non modò oram mari-
timam, ſed & mediterranea euaſtarunt. En cur regna occidentis ſe in tuto locata,
& extra aleam poſita confidant, cum orbis terrarum arces in periculo fuerint?
Quid ſibi ſpondebit reliquum nomen Chriſtianũ, cùm ſedes Chriſti religionis ſpe-
ctacula Hieroſolyma oppugnata, capta, triumphata, edomita, ſeruata, elocata ſint?
cum ex Chriſtiana profeſſione tenues, exangués q;, ac paruæ reliquiæ ſuperſint, ſi-
quidem veteri corpori ſuo conferantur? Terra hæc, quæ quotidie ſanguine noſtro
perfunditur, ſanguis ipſe fuſus vindicem quærit. Veſtram opem, miſericordiam, fi-
dem, religionem imploramus ſupplices demiſſiſſimi, beatiſſime pater, duces, ac re
ges, proceréſq; non nomine tantùm, profeſſionisque voto, ſed animo Chriſtiani.
Antequam tempeſtas in nos tonet, antequam fulminet, auertite à vobis liberisq;
veſtris procellam imminentẽ, defendite ſupplices veſtros, vindicate religionẽ ab
impia nefariáq; ſeruitute. Terras beneficio noſtro demerebimini: numen cæleſti
in ſempiternitate, & in præſentia terreſtribus regnis virtutem veſtram remunera-
bit, cuius ſacrum ſolum ab inferna rabie defenderitis.

Concilium Claramontanum.

Hæ literę non minus ad proceres noſtros quàm ad Pontificem maximum datę:
addita etiã vberiora mandata fratri Petro, cui quod formæ minus ſpecioſę deerat,
acre ingeniũ facundiáque explebat. Acceſſit fama, eum in templo Reſurrectionis
quieſcentem, viſum ſibi audire vocem Chriſti iubentis, illum cęli Legatum redire,
nunciaréq; proceribus Chriſtianis bellum pro religione ſuſciperent, gererẽtque:
ita Deum, Dominúmq; velle iuberéq;. Conſtat Vrbanum ſecundũ audito Petro,
lectisq; literis Concilium Chriſtianis Claramontem in Galliam indixiſſe. Dum au
tem conueniunt vndiq; proceres, prius in Italia quibuſdam ſynodis Placentiæ &
alibi habitis, mores ſacerdotũ à priſca ſanctitate degenerantes, ad veterem frugẽ,
quàm proximè fieri poterat, reuocabat. In Gallia quoque circumiuit nobiles dio-
ceſes, multáque ſanctè inſtituit, ſanxitq;. Cum Claromontem peruenit, primis di-
uinis ſacris faciendis, afflationéq; S. ſpiritus ac ope imploranda conſumptis, in pri
ma ſeſſione trecentorum & decem patrum eos hortatus eſt, vt fraterno inter ſe
animo agerent, & meminiſſent muneris ſui omniúmq; ſacerdotum eſſe, vt Reges
ac principes officij admonerẽt. Se atq; fratres eſſe internũtios & interpretes numi
nis ac mortalium, qui voluntatem patris cæleſtis ſuis filijs in ſpem ſupernorũ Hie
roſolymorum procreatis ſuſceptiſq;, enunciarent, qui ſuperum iram in humanum
genus, precibus, lachrymis, cilitio, vita placarent: qui deleri mallent è libro vi-
uentium, quàm vt pereat vel minimus eorum quos ſanguine ſuo à morte Serua-
tor vindicaſſet, qui Apoſtolis ſucceſſiſſent in cuſtodiam gregis, mortémque pro
Chriſti nomine cruentam, ſi caſus ferat, obeundam. Nec hoc volentibus difficile
factum eſſe. Deum his àquibus piè colitur, quique eius cauſa omnia velint adeſſe,
eorum mentem conſilio, pectus fortitudine, animum numine implere, præmia
proponi, quæ ne ſpe quidem animóque nunc poſſint concipi.

Literæ piorum prælectæ.

Interea ibidem ad præſtitutam diem multi principes, proceres, legati & ſummi
viri ex varijs Chriſtianorum nationibus confluxerant. Itaque altero conſeſſu, ne-
mine piorum excluſo aut ſemoto, pontifex recitare iuſſit Hieroſolymitanas ad ſe
proceres q; Chriſtianos literas. Hiſce auditis, continuò Petrus mandata expoſuit,
& quæ literis tradi non potuerant, nimirum lachrimas, gemitúsq; Chriſtianorum
Hieroſolymis degentium, cum multis alijs, quæ pio & facũdo viro, qui miſeriam
fœditatémq; hominum & terrarũ illarum corã vidiſſet, incendente dolore animũ
facilius fuit oſtendere, miſeráriq;, quàm tanto interuallo ſcriptores exprimere po-
tuiſſent. Cùm verò pontifex Vrbanus videret voce Eremitæ omnis generis homi
nes plurimum commoueri, talem orationẽ ſubiunxiſſe ingenti animi zelo fertur.

Audiſtis filij legationem non vnius tantum ſanctæ ciuitatis, ſed totius humani

1090 Pontificis ad principes oratio.

generis fidem vestram implorantis in bello, quod impij tenebrarúmq; potestates contra pios, Christúmque & lucis angelos gerunt. Communis est causa, nec magis Orientis quàm Occidentis terrarúmq; omnium existit: illa tela latus nostrum petunt, ibi oppugnamur, quicquid ibi perit, nobis perit: nostrũ illud dedecus, nostrũ excidium. Turpe est cùm viribus, cùm Numine superiores simus, nobis per ignauiam sedentibus, compressísque manibus à nouo ignobilissimóque hoste, causam nostram, causam religionis, & causam cęli vinci. Pace hic fruimur, sed cũ indignitate: in ocio degimus, sed flagitioso, quódque posteri nostri culpent, iam superum iudicio, si vltrà cessamus, damnatum. Militia est super terram hominis vita: die baptismatis nomen datum, in verbáque Christi iurauimus. dux est ille & Imperator noster. Signa eius ac Crux religióq; oppugnatur, & capti auribus non audiemus classicum eius, ac quid in nobis ipse loquatur? Aperite illo pulsante fores pectoris vestri, ac ad sacraria intima sensuum vestrorum redacti, eum in cõsilium admittite, quid fratribus vestris, Dei hominúmque hosti obiectis faciendum censeat vobis & reliquis, qui pacem domi, festa, arma, tela, equos habẽt, ætate, robore, consilio, fortunis florentissimi in summa victoriæ, Deique secundi fiducia, qui quos religionis suę propugnatores esse voluerit, eis, vt dum in hostem feruntur ne corruant, dextram suppositurus sit. & dum pręliantur auxilio occursurus sit, & parta victoria solidam gloriam, triumphos, opes, regna, imperia daturus. Si quis me armis petat, scio quę vestra pietas est, pro capite meo vos, filij, nihil periculi nõ subituros. Oppugnatur Christus, nec dextras, nec arma habebimus, nec viriles animos geremus? Manci, trunci, debiles erimus? Optare vnusquisque vestrum, filij debet, vt in primis numeretur, quos dux noster Christus defensores nominis sui delegerit.

Adhortatio ad bellum sacrum.

Velle tutari religionem non ab homine sed à Deo beneficium datum, ídque tanta facilitate, vt si modò animum vestrum illi non præcluseritis, & mentem militandi & fælicitatem vincendi daturus sit, qui aperit manum suam, & implet omne animans benedictione. Maiores vestri aduersus Saracenos in Hispania, in Aquitania, in Italia, in Illyrico, in Dalmatia pugnauerunt. Nullam gentem laude sua fraudo. Sua cuique gloria contigit, alij aliud decus tulerunt: nulla è nomine Christiano natio expers est suæ pietatis, religionis, meritorumq;. Sed quia in Gallia verba facimus, ex Auernorum vrbe totum Christianum orbem alloquímur. Locus non patitur vt silentio præteream id, quod ipse suggerit vnus Carolus Martellus, nec ipse rex, nec patre rege natus, vno die quadringenta propè impiorum millia, Regémque nobilissimum interemit. Vidit sol lætus spectaculo, viderunt mundi lumina intra paucas horas Asiæ Africæque euersores, eosdem Europæ molientes exidium, ab vno vnius gentis duce stratos, cadaueribus suis eam terram metientes, quam pugna committenda sibi spondebant sanguine incolarum Machometi initiatam, sacras ipsis sedes perpetuásque futuram. Angelus præses Franciæ in re trepida tantum non conspectus oculis mortalium, hac cęde impiorum tutatus, reliquum orbem terrarum metu liberauit. Turcæ noui piorum Christíque hostes è Perside profecti omne atrocitatis, superbiæ, libidinis, auaritiæ, impietatis vetus exemplum superant. Terrarum imperium appetunt, id vnum agunt, moliuntur, parant, audent, ad id vires, consilia, conatus, arma intendunt. Quæ prisca mortalium memoria, Babilonijs, Medis, Persis, Macedonibus, Parthis, quique Domini terrarum esse salutaríque volebant, parebant, ea nunc Turcarum sunt. Hi Christi famulos premunt, vexant, exagitant, Crucis trophæo, sepulchróque Domini & terræ vestigijs numinis impressæ, sacræque insultant, ibi quotidie Christus cæditur, pulsatur, icitur, occiditur.

A Turcarũ crudelitate.

Rerum secundarum cursu & dissimulatione nostra Turca ferocior factus, noua sibi semper regna pariens, non continebit se finibus Asiæ, propiores sumus qui Europam incolimus Imperio Turcarum, quàm Hierosolyma Caspijs portis, vnde illa pestis exorta humano generi struxit insidias. Iam nobis imminet, cerui-

cibus

cibus nostris ea securis impendet. Saracenis in Machumetis superstitione socijs 1094.
non pepercerunt, eorum nomen ex Oriente propè toto sustulerunt: & consi-
dimus eos nobis temperaturos? Quæ exempla Hierosolymis in virgines, in ma-
tronas, in florem ætatis, in sacra, in numen, in mortales ediderunt, in nos, nisi vi-
riiam simus, edent: antequam opprimant, opprimantur. Vnus fuit Martellus,
multi esse Caroli Martelli possunt. tantùm animo opus est. Nullus paulo no-
bilior dux Imperatórve in Asiã ex Europa transmisit, quin continuò vicerit, quin
Magni nomen inde reportarit, vel regna sibi quæsierit. Qui Comites ibitis, vir-
tus vestra vos Duces creabit: qui Duces, efficiemini reges. Qui tantum Re-
ges, regum Reges salutabimini: ibi sunt gazæ, ibi diuitiæ, ibi opes quæ exposi-
tæ sunt viris fortibus. Ibi aurum, gemmæ, ac quæcunque à mortalibus magna æsti-
mantur: ibi regna, ibi gloria, & quicquid bellis prælijsque ingentibus quæritur.
ibi Christi causa defendenda: belli mala à vobis coniugibus liberisq; vestris quis-
que auertetis in suos authores. Simul inopes sibi opes, ignobiles nobilitatem,
nobiles imperium parabunt. Immò, quoniam vindices religionis eritis, ea quæ
dixi præmia non petetis, sed ipsa vltrò ad vos perueniẽt. Agite dum pij, fortes,
acvtvno nomine omnia complectar, verè Christiani, animos nũc armate, nomina
date, sacram militiam profiteamini, Crucis vexillum sumite. Fundetis vestros, hoc
est ducis vestri Christi hostes, singuli dena millia fugabitis. nihil virtuti, nihil
pietati erit inacessum. Montes itineri vestro subsident, valles assurgent, freta man-
suescent, hostis trepidabit.

Ab vtilitate.

Qui piorum sub Turcarum imperio miseram vitam degunt, quorum Orato-
res Christiq; ad vos legatos, oraculúmq; audistis, vos vt cælo missos intuebuntur
admirabunt. Vos seruatores suos vos vindices terrarũ, & singuli & vniuersi, & sin-
gulos & vniuersos salutabunt. Redibitis ad suos quisque plenique opibus, ple-
ni gloria, pleni victoria. Regna illa vel quibus visum fuerit diuidetis, vel ipsi vo-
bis habebitis. Leges impijs imponetis, orbis terrarum Rectores eritis, omnis
posteritas vos celebrabit, exẽplum virtutis pietatisque à vobis petet. Liberis ve-
stris ingens, & nominis vestri, & opum patrimonium relinquetis, memoria ve-
stri sancta & immortalis erit. Has pollicitationes, hanc vocem non meam cre-
dideritis, qui non sponte mea cogito, quomodo aut quid loquar, sed in hoc ce-
leberrimo terrarum Concilio, hoc horæ momento, qui pro se loquatur in me
est Christus.

Expeditio sa cra decreta.

Hisce ordinè peractis, literis Hierosolymitanis, & voce Petri Eremitæ, & ora-
tione authoritatéque pontificis, quin etiam causæ sanctitate factum est, vt om-
nes permouerentur, & veluti cõmuni numine afflati vnam & eandem vocem
simul omnes emitterent, paritérque persæpe repetentes succlamarent, DEVS
VVLT. Tandem indicto silentio Pontifex infert. Quod verbum in profitendo
sacro bello non temere vobis excidit, id pro tessera in gerendis rebus, vobis ve-
lut diuinitus data, accipite. Simul adeste, quibus continuò insignia militiæ Chri-
sti induere cordi est. Tum etiam Apostolica authoritate præceptum, vt in hac sa-
cra expeditione cuncti milites lanea rubra cruce in humero insignirentur. Goth-
frido etiam Bilioneo Lotharingo cunctis suffragantibus belli summa demanda-
ta fuit. Dimisso Concilio, quisque ad sua reuersus est. Incidit celeberrimus ille prin-
cipum Christianorum ad Claromontem conuentus in annum partæ salutis mille-
simum nonagesimum quintum, cùm Henricus quartus in Occidente, atque A-
lexius in Oriente Romanum Imperium gubernarent.

Christiano-rũ zelus ad bellum.

Postea Episcopi in suis diœcesibus Ducum populariumq; animos ad sacra ca-
piẽda arma pro concionib. summis viribus incitant. Multi igi t̃ principũ diuendi-
tis vel oppignoratis suis regnis, pecuniam bellico impendent apparatui. Concur-
ritur ex Aquitania, Normannia, Anglia, Scotia, Hibernia, Britannia, Galitia,
Vasconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, Germania, aliisque prouincijs certatim
quasi ad arma, senes & iuuenes, diuites & pauperes, clerici & laici, pueri puellæ-

1095 que, pro terra ſancta vitam in diſcrimen adducere paratiſſimi omnes. Breuiſſimo itaque tempore tantus ex diuerſis prouincijs extremiſque regionibus, inſulisque orbe terrarum ſubmotis, ſub belli initium conuenit cætus, vt numerum ferè excederet. Præcipui tamẽ erant Gothofridus, penes quẽ ſumma belli erat, eiusq; duo fratres Euſtachius & Balduinus: Hugo Philippi regis Gallię frater: Roberti duo, alter Normanniæ Dux, Vuilhelmi Anglorum regis filius, alter Flandriæ Comes: Raimundus Tholoſanus, Stephanus Bleſenſis comites: Ademarus Podienſis Epiſcopus, penes quem militibus quouis tempore, Pontificis Romani authoritate, remiſſionem peccatorum impertiendi poteſtas erat, & Vuilhelmus Auraſicenſis Epiſcopus: Petrus quoq; huius expeditionis author non inter poſtremos numeratus fuit. His alij plures ſe adiunxerunt principes, licet publicis belli officijs inſigniti non eſſent.

Prodigia viſa. Ex tanta hominum multitudine, cùm duci cuique ſua attributa eſſet legio, iter ſuſceptum eſt. plura autem tum in aere tum terra viſa eſſe prodigia ab authoribus omnibus ſcribitur. Ab Occidente enim tanta verſus Orienrem locuſtarum agmina volarunt, vt ipſum Solem obumbrarent. Ignea haſta hinc inde ſereno cælo vagari viſa eſt. Cometæ duo fulſerunt, ſed annis diuerſis, quorũ quidem prior gladij formam repræſentauit. Inundationes, ecclypſes crebræ, nubes ſanguine conſperſæ, & exercitus inter ſe collidentes, faces in aere volantes conſpectæ ſunt, terræque motus acciderunt. Subinde autem inter eundum numerus adeò creuit, vtris ad Conſtantinopolim numeratis tercentena milliaexcreſcerit. Omnium autem primus Galterus quidem Senſaueir, familiæ nobilitate & armis illuſtris, maxima armatorum multitudine inſtructus, iter ingreſſus eſt. Vngariam incolumes illi tranſeunt. Cùm autem ad Bulgarorum fines accederent, armis tranſitum facere coacti fuerunt. Conſtantinopolim delatus Galterus dimidiam ferè ſuorum partẽ deſiderauit. Hunc Petrus quadraginta millibus virorum ſtipatus, eodem itinere breui interuallo ſubſequutus eſt. Vngari autem Bulgaris vicini aliquot in extremo agmine Galteri milites moram nectentes trucidarant, eorumque ſpolia ex muro ſuſpenderant. Hæc cum Petrus agnoſceret, impetu in eos facto vrbem expugnat. Ibi ciuibus quatuor millibus trucidatis, ampliſſima milites ſpolia ſibi compararunt. Bulgari verò tantis copijs territi nihil eis moleſtiarum intulerunt. At caloues, coqui, & ſerui qui in extremo Petri erant agmine, ignẽ domunculis quibuſdam incolarum ſubijcientes, omnẽ irritarunt populũ, qui mox ſumptis armis maximam Petri exercitus partẽ trucidarunt, cęteri fuga ſalutẽ querere coacti ſunt, relictis poſt ſe bis mille plauſtris & auri vi maxima. Poſt triduũ Petrus ſuis ex latebris paſſim euocatis, cœptũ perfecit iter, ac tandem poſt mille labores ſuperatos Conſtantinopolim venit, vbi Galterum ſocium offendit.

Chriſtiani Cõſtãtinopolim veniunt. Interea Germani Lotharingique Gothfrido & alijs qui ſe ei adiunxerant ducibus, Petri veſtigia ſequuntur. Gallici duces, inter quos primas tenebant Hugo, Roberti duo Nortmannus & Flandrus Comites Bleſenſis & Toloſanus, tripertito profecti ſunt agmine, ne populis, quà iter faciendum erat, tanta hominum multitudine moleſti eſſent. Pars vna Brunduſium petijt, alia Buryum, tertia Hydruntum. hiſce Boemundus quidam Apuliæ princeps ſecum duodecim millibus hominum coniunxit, quibus de paterno regno cum fratre dimicabat. Hi ex tribus portubus ſoluentes, in Illyricam vrbem Dyrrachium finitimamque oram fęlici nauigatione delati ſunt. Conſtantinopolim verò terra petierunt. Longo poſt hos interuallo Godeſchalcus quidam, & poſt hunc Emicho Rheni Comes, crudelitate inſignis, numeroſo exercitu ſub eodem pietatis prætextu terram ſanctam eadem tempeſtate petentes, omnia per quę proficiſcebãtur apud Germanos loca, igne & ferro vaſtant, Iudæos præſertim paſſim latitantes è medio auffe-

Turcæ primum agmen trucidant. runt, vel ſuam fidem abiurare cogunt. Sed prædones illi in Pannoniã delati, à Colomanno rege turpiter in fugam coniecti fuerunt.

Alexius Imperator à Petro & Galtero edoctus multo maiores hiſce copias ſub


ſequi

sequi, illos iam refectos à se dimittit, quò cæteris commodior tum castra ponendi 1097
locus, tum commeatuum copia esset. Illi ergo conscensis nauigijs, Hellespontóq;
traiecto, secundis ventis Bythiniam, quæ prima Asiæ in ea parte prouincia est,
appulerunt: deinde in Niceno agro castris positis communitísque sese continue-
runt. Reliquos enim duces belli consortes expectare consilium erat, ne sibi te-
mere periculum aliquod crearent. At gregarij milites fame pressi, spreto Galte-
ri cunctantis imperio, Reginaldo cuidam Germano belli gerendi partes attri-
buunt. iam enim per duos menses in hostium terra commorati fuerant. Hoc du-
ce Exerogorgum oppidum, fuga incolarum vacuum, dolóque à Turcis relí-
ctum, occupant. Turcæ principijs obstandum existimant, priusquàm maiores
exercitus aduenirent, atque vt hos trucident, quamcunque occasionem captant.
Collocatis itaque aliquot legionibus in insidijs, armenta pascentia nostris obij-
ciunt, quibus è castris eliciantur, & quasi inescentur. Nostræ cohortes aliquot
insidiarum prorsus ignaræ pecora impunè abigunt, atque in castra compellunt.
Hac præda maior multitudo ad tria ferè millia excitata, maioris gloriæ prædæq;
spe oppidum quoddam expugnant. Verùm ex insidijs erumpentes Solimanni mí
lites, nostros iam de præda sortes mittentes, ad vnum omnes trucidant.

Hac clade nostris oppidum tenentibus nuntiata, ipsi belli duces, qui cæteris for *Christianorum periculum.*
titudine præstare putabantur, animo propemodum frangi cœperunt, ac prælio
cum hostibus, qui numero eos longè vincebant, supersedendum iudicarunt. Ve-
rùm vulgus indomitum hos inertiæ accusans, Gothfredum quẽdam Burellum mí
litiæ præesse iubet, eúmque vt omnes belli neruos in vindicandam commilito-
num necem intendat, non tam hortatur quàm impellit etiam. Sed malè ipsis hoc
consilium cessit. nam decem millia hominum simul Exerogorgo egressi, ab hosti-
bus ex insidijs passim conuolantibus, miserè trucidantur, paucis admodum fuga
elapsis. Post hæc Turcæ oppidum obsident: eóque non tam armis quàm siti ex-
pugnato, strages maxima est edita. Tria tamen Latinorum millia per auersam
quandam loci portam in maritimum quendam vicum sese fuga receperunt, ibiq;
seruati sunt. Cæteri verò duces cum Gothefredo aliquanto tardius Constanti-
nopolim venerunt, quibus hospitio exceptis Alexius ipse insidiatus dicitur, su-
spectam enim hanc habebat expeditionem, se nimirum peti existimans. ideóque
eos inclementius tractauit: sed omni tandem suspitione discussa, multísque ab ad-
uenis muneribus exhibitis, copias in Asiam trajcere patitur. Solus autem Bohe-
mundus ob paternas cum Alexio inimicitias Constantinopolim cum quibusdam
ducibus ire noluit, sed per superiorem Mysiam & Thraciam, omnium opinione
celerius, instructa acie in Hellespontum peruenit. Cęterùm fœdus inter du-
ces expeditionis & Alexium ictum erat, nimirum vt is copias in
supplementum, arma, aliáque militibus necessaria suggere-
ret. illi contrà quascunque vrbes Asiæ recupera-
rent Constantinopolitano redderent
imperio, excepta Hieroso-
lymorum vrbe.

Nicomedia

1097.



Nicea à Christianis expugnata.

Nicomedia itaque primùm armis petita, inde Niceam bellum translatum est. Eam viri Græci religiosi incolebant, sed validè præmebantur Solymani præsidio. Cum itaque frustra sæpius incolas sollicitassent, vt vltro deditionem facerent, vi eã tãdem labore & difficultate maxima, post quinquagesimum diem obsidionis expugnant: tertio nonas Iulij, anno salutis millesimo nonagesimo septimo. Turcę omnes qui vrbem tutabantur vnà cum Solymanni cõiuge & duobus liberis capti, ac Constantinopolim missi fuerunt, at ciuibus omnia salua relicta sunt. Inde quadripartito agmine victores digressi in patenti loco Niceni agri quisque castra ponit. Dum autem vallo suos muniendo Boemũdus occupatur, fortè Solymannus stipatus sexaginta millibus Babilonijs, Medis, Persis & ab vltimo excitis Oriente viris, quos paulo antè obsessis Nicenis opem ferre volentes, Galli duces ad montana fugere compulerãt, aduenire nuntiatur. Ille suos arma capere, cæterarúmque Legionum duces, qui aliquanto longius aberant, moneri iussit, quo suis laborantibus opportunè suppetias ferre possint. Hoc autem conflictu, qui in multam vsq; noctem durauit, Francico milite Boemundi copijs (de quarum salute iam iã actũ videbatur) auxilium ferente, tanta Turcarum strages edita est, vt interfectorũ corporum coaceruatio pro vallo nostris fuerit. Ex nostris ad duo tantum millia desiderata inter quos viri nobiliores, Vuilhelmus Tancredi frater, ac Robertus Parisiensis fuerunt. Hostium verò quadraginta circiter millia cecidere. Nostri gloriatur suorum cadauera, quæ ex cruce cognosci poterant, honestæ tradunt sepulturæ. Ipse verò Solymannus cum cæteris copijs fuga elapsus, se vicisse apud suos gloriabatur. postea oppida quæuis qua nostris transeundum erat incendens, & quæ esui esse poterant secum auehens, vastam subsequentibus relinquit solitudinem.

Tarsus Ciliciæ occupatur.

Hinc Boemundus ac cæteri duces, per arida & sitientia Asiæ loca, in quibus vis magna hominum & armentorum absumpta est, Antiochiam Pisidiæ contendunt. qua quidem sine labore capta, Iconium Lycaoniæ vrbem, quæ Tauro monti vicina est, petunt, vbi benignè ab oppidanis accepti sunt. Inde Heracleam itum est, quò

eſt, quò ingens multitudo Turcarum confluxiſſe ferebatur, ſed dum noſtri Hera- 1097
cleenſium fines attingunt, præſidiarij milites ſolo noſtrorum aſpectu territi, fugam capeſſunt: incolæ ſuo præſidio liberati, vltrò obuiam procedentes noſtrorum fidei ſe committunt, ibi de turcarum trepidatione porro edoctis noſtris, Balduinus & Tancredus in Ciliciam flectunt. Tancredus igitur ſub primum acceſſum Tarſum obſidet. Turcæ qui præſidij loco erant, ciues ſuos hoſtibus plus iuſto æquiores ſibi deprehendentes, turribus quibuſdam firmis ſe occludunt, fugam oblata occaſione arrepturi. Sed dum de pacis conditionibus agitur, fortè Balduinus, qui paſſim per loca ignota maioribus cum copijs prædas egerat, ſuperuenit. ac dum fortè Tancredi ſigna in hoſtium muris conſpiciuntur à Balduini militibus, pedibus illius accepere ſigna. Ipſe etiam Tancredus viribus impar fremens frendensq; diſcedit. Hac quidem ratione Balduinus vrbem nullo ſuo cum labore potitur. Turcæ verò noctu clam relictis ſuis propugnaculis, aufugiũt, trucidatis ad Vrbis mœnia trecentis viris, quos à Tarentino ad Tancredum eò miſſos, Balduinus intra vrbem recipere detrectauerat. Horum miſeranda cæde, cuius quidem author fuit exclusione extiterat Balduinus, omnium ferè militum animos à ſe auertit. nec prius furor eorum ſedari potuit, quàm fide facta, ſe à Tarſenſibus iureiurando adactum, ante ducum aduentum nullam præterea manum in vrbem introducturum.

Plura iam oppida viróſq; ſubegerat Tancredus ipſamq; Manuſtram vrbem opulentiſſimam vi expugnauerat, ſuiſq; militibus amplam diſtribuebat prædam. *Armenia minor Chriſtianis ceſſit.* Balduinus verò cum ſuis quoq; ſuperuenit copijs, prædæ partem poſcens. Sed Tancredi milites in nondum præmunita illius caſtra impetum facientes plurimos ceciderunt: quam tandem pugnam nox diremit. Spatio tali interueniente, iráque mitigante, mutuò ſibi duces reconciliantur. Eadem tempeſtate Balduino de obitu coniugis ſuæ, quam in ſtatiuis Lycaoniæ reliquerat, & fratris caſu, nuntiatur: qui cum inter venandum militem quẽdam ex immanis vrſi complexu eripere conaretur, in ſe feram irritauit, à qua grauiter vulneratus, lectica deinceps multis menſibus iter fecit. His ducibus in Cilicia ſubigenda laborãtibus, Vimerius quidam Bononienſis pyrata, prioris vitæ pœnitentia ductus, cum inſtructa Hollandorũ Frioſiorúmq; claſſe Tarſum appulit, illisq; ſtrenuam in bello ſacro deinceps nauauit operam. Aſiaticorum quoq; procerum nonnulli noſtris ſe coniũxerunt. Vnde Pãcratij cuiuſdam Armenij opera, qui ex vniculis Alexij Imperatoris elapſus, noſtrorum ſe fidei commiſerat, minor Armenia trans Euphratem vſq; in Balduini venit poteſtatem: nam regionum & rerum illarum erat is peritiſſimus: ex ea occaſione ad res fœliciter gerendas plurimum noſtris acceſſit adiumenti.

Interea Edeſſani, qui inde ab Apoſtolorum tempore Chriſtianam fidem illibatam conſeruarant, crebris Turcarum incurſionib. (præter tributa quæ illis pendere cogebantur) attriti, obuijs vlnis noſtros ſpe recuperandæ libertatis excipiũt, quorum victoria toto ferè terrarum orbe decantabatur. Illi ergo trucidato ſuo duce, vltrò ſe dant Balduini fidei. Horum exemplo Samoſatenſes quoq;, Balduci ſatrapæ Turcici tyrannidis pertæſi, eundem miſſa clam legatione accerſunt. Duxit illuc Balduinus exercitum, ſed Turcis vrbem fortiter tutantibus, fruſtra aliquandiu eam oppugnauit. tandem oppugnantium fortitudine, & diuturno obſidionis tempore Turcarum viribus fractis, Balducus in Balduini venit poteſtatem, incolumitatem ſibi ſuæq; coniugi & liberis paciſcens, ac decem præterea aureorum millia numerari ſibi cauens, quibus priuatam poſtea vitam ſubleuare poſſet. Paulo poſt etiam victo Bala Turcarum præſide, Sororga valida nobiliſq; vrbs in noſtrorum partes acceſſit. Vnde noſtros milites maiora ſemper tentandi cupido inceſſit. ea enim vrbs eſt media inter Euphratem & Antiochiam, eóq; tuto iam vniuerſus exercitus traduci poterat. Balduinus Edeſſæ ſe continere iubetur, vt ab ea parte Turcas *Edeſſani ſe Chriſtianis dedunt.*

1097 te Turcas Latinos oppugnare molientes repellere possit.

Turcarũ variæ cædes.

Eodem tempore Tancredus qui Ciliciam iure belli tenebat, ad maiorem exercitum vocatus comparet, relicto quod satis esse putabatur ibidem præsidio. In eo loco iureiurando sibi inuicem fidem dant, non tam duces quàm ipsi quoque gregarij milites, nunquam se ad suos reuersuros, nisi sacro bello penitus confecto: opem in omnibus periculis & laboribus commilitonibus laturos, cuicunq; imperio obtemperaturos. Ita vno agmine ad Maresiam vrbem contenderunt, qua quidem, Turcis fuga sibi noctu consulentibus, sine vllo labore nostri potiuntur, ibiq; aliquot dies subsistunt. Robertus Flandriæ Comes cum mille equitibus loricatis ad tentandam vicinam vrbem Artasiam, quæ abest Antiochia milliaribus circiter quindecim, cæterorum consilio, mittitur. Cùm oppidani ea signa conspexissent mox suos præsides Turcas trucidarunt, & eorum capita Flandris obtulerunt, eósq; que vrbem libere ingredi passi sunt. Turcæ hanc suorum miserandam cædem vlturi, & vrbem antequam aliorum ducum aduentarent exercitus recuperaturi, ad decem millia Antiochia egressi sunt: nam eò ingens eorum manus vndiq; confluxerat. Cúmq; Artasiæ vicini essent, paucos qui Flandros vrbe elicerent præmiserunt, cæteris in insidijs latitantibus. Flandri cum his manum egregiè conserunt, eosque in fugam versos acriter insectantur, quam tamen Turcæ sponte arripuerant. sicq; temere in hostes latitantes, quibus numero erant longè inferiores, incidunt, ac sanè de cunctorum salute iam actum fuisset, nisi oppidani supperias Flandris tulissent, quorum fortitudine terga dare hostes coacti sunt.

Antiochia à Turcis munita.

Non multo pòst noua Turcarum manus Artasiam oppugnat, ac pontem Oronti fluuio impositum, firmo præsidio vallisq; muniunt, vt cæteri duces qui Marosiæ commorabantur, transitu prohiberentur. Cum hisce Robertus Normanniq; dux frustra aliquandiu pugnarat. Hostis enim ex uallis, quibus cincti erant, liberè in milites tela conijciebant. interea quoque cæteri duces cum suis copijs aduolant, quorum multitudine Turcæ territi, deserto ponte fugam capessunt, nostri verò ponte potiuntur. Itaque ad duodecimum calendarum Nouemb. omnis exercitus ad Antiochiam præclaram illam Syriæ maioris ac totius Orientis principem vrbem peruenit, cui Accianus Turcarum præses dominabatur, qui auxilio Caliphę Baldacensis & Persarum Solthani sese contra nostros munierat. Inerant vrbi circiter septem millia equitum & viginti millia peditum Turcarum: commeatum, arma teláq; ex vicinis locis comportauerunt. Ipsa vrbs æditissimis locis constructa nõ tam arte, quàm loci natura munitissima est, vt militum corona vix cingi, nedum oppugnari posse crederetur. Hanc Turcę olim post longã demum obsidionem fame in suam redegerũt potestatẽ. Muro enim duplici validissimo septa erat quibus trecentę sexaginta turres adiunctę. Meridionalem eius partẽ alluit Orontes fluuius, cuius origo ad Heliopolim est: & haud procul à Cassio stupendę altitudinis monte decem circiter millibus passuum in mare mediterraneum se effundit. Oronti præruptæ montium rupes contiguę sunt, ex altera parte planities fertilissima est ac lacus piscosus, quem fontes & riuus ex Oronte influens mirabili industria efficiunt.

Ad nostra

1097



Ad noſtrorum aduentum ex circumiacentibus oppidis incolæ cum ſuis rebus Antiochiam mox commigrant: quorum tamen magnam partem noſtri cum peditibus interceperunt. Obſeſſi ſuis rebus maxime conſultum fore expendentes, vt noſtros à caſtrorum munitione arcerent, crebris eruptionibus operas turbare tentant. Verùm Apulus Tarentin úſq; fortiter hoſtiũ ſuſtinent impetus. Syri Chriſtiani pij vicinarũ regionũ incolæ, frumentũ & alia quę eſui eſſe poterant, pro iuſto precio adminiſtrant. Multi etiam Antiocheni, noſtræ religionis ciues, vel clam vrbe egreſſi, vel explorandi gratia à duce miſſi, noſtris ſæpius hoſtium conſilia produnt. Antiochia, quibus partibus planiciem eſſe diximus, quinq; inſignes habuit portas. Ad eam igitur quæ Orientẽ ſpectabat, Boemundus cũ Italis Caſtra ſua ponit. Poſt hunc Normannus, Flandrus, & Bleſenſis vſq; ad eam portam quæ paludi eſt contigua ſuas figunt ſedes. Mediam inter Orontem paludem portam Gothfridus cum Lotharingis, Friſijs, Sueuis, Saxonibus, Franconibus & Bauaris obſidet. Ac vt noſtris liber per Orontem eſſet tranſitus, ferreis vinculis contectas vndiq; nauiculas conſtringunt, pontíſque in modum ſternũt ac terra replẽt, vt tam homines quàm pecora ſine pauore ire agíque poſſent. Ad vtrãque ripam propugnacula extruũtur. Ac licet hoſtes ſæpius igni ferróque hunc pontem perdere tẽtarent, irriti tamẽ eorum fuere conatus, noſtris acriter eos repellentib. prę-terea vt obſeſſi intra vrbem quaſi continerentur, ingentem ex duriſſimis trabibus compactam molem noſtri portę admouent. Inde acrius quàm prius ad pontem exortum eſt prælium, ac tandem combuſta eſt turris lignea. Denicq; nihil ab vtriſque, quod êre ſua videbatur eſſe, maximo etiam incumbente periculo, intentatum reliquerunt.

Antiochia obſeſſa.

Hac ratione res in calendas Februarias extracta erat: noſtríque rerum inopia preſſi ad res gerendas minimè erant idonei. Tanta præterea aquarum vis ea hyeme fuerat, vt nullus in ſicco conſidendi eſſet locus, multíque frigore & fame extinguerentur. Multi hoſtium cadaueribus, dictu ſanè horrendum, famem ſedabant. Equorum bellatorum vix duo millia reliqua erant, cæteris pabuli inopia abſumptis. Tam triſti rerum facie non pauci nobiles moti, clàm caſtra deſe-

Fames Chriſtianorum.

1098. ruerunt, quos Tancredus à fuga retraxit, inter quos primi erant Vuilhelmus quidam Carpentarius & Petrus belli sacri prima tuba. Sed Hugo magnus eos grauissima oratione vt desertores signorum, fratrum commilitonúmque proditores, & sacræ causæ euersores redarguit, nouóq; iuramento fidem suam probare adigit. Boemundus verò extrema quæuis, exigente famis importunitate, ratus tentanda, Arethusam petijt, vnde Turcarũ præsidium commeatus in castra ferri prohibuerat, cęsisq; qui ex oppido eruperant Turcis, frumentatio multis diebus non fuit tutior. At Turcæ hac clade accepta, minus feroces esse cœperũt. Nonnullis diuturna nostris fuit hæc deprędādi hostium agros libertas, subitò enim ijs de infinitis ex Halapiona, Satrapia, & Damascena prouincijs, Turcarum militũ copijs, Antiochensibus suppetias laturis, haud iucundum adfertur nuncium. Sed loci opportunitate, vbi castra posita erant, fręti, fortiter cum ijs conflixerunt, eorũque circiter duo millia ceciderunt, reliquis fuga salutem quærentibus. Præda hoc conflictu haud parua nostri potiti sunt. Cæsorum capita partim in vrbem tormentis miserunt, partim contis ad vallum positis affixerunt. Longiori aliquanto interuallo Suimo Danorum regis filius Sacri belli studio feruens, cum mille quingentis equitibus, cæteros duces subsecutus fuerit: at cum in Niceno agro incautius statiua ageret, à Turcis noctu cum suis trucidatus fuit.

Veneta classis in Oriente.

Sed cum hæc in Asia geruntur, Veneti amplissimam classem naues nimirũ circiter ducentas adornarunt, quibus Heinricus Contarenus vrbis Episcopus & Michael Vitalis ducis filius præfuerunt. Hi ad Rhodum delati cum Pisanis hostiliter conflixerunt. Sed his Veneti superiores fuerunt, ijsq; octodecim ademerunt naues in quibus quinque hominum millia capta. Verùm cum Sacri belli nota, quæ rubea crux erat, hi insigniti essent, retentis triginta solum nobilioribus obsidum loco, reliquos saluos dimiserunt. Post hæc Veneti in Ioniam contendentes Smyrnam occupant, ac Lycij, Pamphilj, Cilicijq; maris littora legunt. Interea prior Turcarum militum strages adeò Antiochenorum animos fregit, vt Accianus delidero maiore filio, primarijsq; belli ducibus, inducias ad certam diem peteret impetraretq;, quibus nostris in vrbem illisque vicissim in castra libere commeandi dabatur facultas: nam Turcæ Persicas copias expectabant. At rupta inducíarum fide, quidam Antiochiæ ciuis nostris occasionem dedit vrbis potiundæ. Turcicis enim præfectis quotidianis conflictibus è medio sublatis, Acianus ipsis quoque Christianis propugnacula committere coactus fuit.

Antiochia vi à Christianis capta.

Hoc modo factum, vt Hemirpherro Christiano duarũ sororum turris (quæ postea S. Georgio sacrata fuit) obtigerit. is per eandem noctu clàm Tarentini milites intromisit. Turcarum maxima pars rebus desperatis in arcem elapsa est, cæteri cędūtur, & ædes diripiuntur, non à mulieribus nec ab infantibus abstinetur, multi etiam ciuium errore quodam ab impotenti ira trucidantur. Præda tum accepta est amplissima, at rerum quæ esui esse poterant exigua supererat copia. Præfectus vrbis fuga seruatus à Syris occiditur. Cadauerum in vrbe reperta sunt circiter decem millia: capta fuit Antiochia die tertio Iunij, anno salutis millesimo nonagesimo octauo. Hæc fama cum Hierosolymã perlata esset, Christiani Deo clam summas gratias egerunt, atque per clandestinos nuntios principes sacræ huius expeditionis adhortati fuerunt, vt forti animo audacter pergant: Deum enim fœlicem successum ipsis largiturum, cuius rei multa argumenta adferri possint. Quantum etiam se attinet, cum exercitus piorum Hierosolymam accesserit, fortunas ac vitã esse parato animo exposituros.

Corbanas Persa acieui ctus.

Dum hęc Antiochię fierẽt Corbanas Persici Imperatoris præfectus, Edessę expugnationem multis diebus frustra tentarat, postea obsessis Antiochenis opem laturus: eam vrbem tum Balduníus fortiter defendebat. Cum autem Persa timeret ne Antiochia Turcarum Asylum amitteretur re infecta discessit. In ipsum Sansadolus Acciani filius profugus in itinere incidit, clademvrbis captę exponens, ac qua ratione recuperari possit edocet. Paret consilio Corbanas, nostrósque vrbem iam re-

iam tenentes dura cingit obsidione. nostri milites animis fracti nec domibus qui- 1098.
bus se occuluerant, nedum vrbe, contra hostem pugnatum exire proposuerunt. Verùm Boemundo pluribus ædibus ignem subiiciente, quo incendio suprà duo millia ædium exustæ sunt, etiam inuitos è latebris prodire cogit. Nobiles præterea sacerdotes quidam, inter quos & Petrus Massilienſis fuit, nocturno se oraculo de loco vbi Dominica lancea lateat admonitos coram omni cætu sancte affirmabāt, quæ ipsis contra hostes victoriam datura sit. Peractis etiam sacris rem ita se habere compertum est. Itaq; quarto Calend. Iulias omnes tam sacerdotes quàm milites arma intrepidè capiunt cum Corbana cõflicturi. Solus verò Tolosanus, ne Turcicus arcis præfectus, vrbem cæteris foris pugnantibus inuaderet, cum suo milite ei obiicitur. Instruuntur vtrinq; acies, tantóq; impetu pugnatum est, vt non nisi ope diuina Barbaros, quorum infinita erat multitudo, victos crederes. In hostium castris vltra centum millia, ex nostris verò vix quatuor millia & ducenti desiderantur. Præda amplissima nostri potiti sunt. Nam præter equos & iumenta plurima, quinq; millia Camelorum cum sarcinis capti sunt. Postridie arx ipsa, subsidij spe amissa, in obsidentium manus sponte venit, die 28. Iunij.

Hos nostrorum belli successus statim grauis pestilentia subsecuta, qua circiter quinquaginta millia hominum sublati feruntur. Capta Antiochia Hugo Constantinopolim abijt, vrbem illam Alexio, vt inter eos cõuenerat, restituturus. Verùm ipse parum integræ suæ fidei sibi conscius, recipere eam detrectat: non enim commeatus aliáque ex fœdere promissa militibus Antiochiam oppugnantibus miserat. Vno itaque omnium ducum ore Boemundo ea habenda permittitur. Postea mense nouembri cessante nonnihil pestis lue ob hyemem, Tolosanus ne sui milites ocio torpescerent, Albaram, duorum dierum itinere Antiochia distantem, vi expugnat. Deinde adiunctis sibi Eustachio Flandro & Tancredo, Marrham octo milliaribus ab Albana dissitam vrbem opulentissimam, contendit, quæ tandem cum multis diebus fortiter ab incolis defensa fuisset, superueniente Tarentino in obsidentium venit potestatem. Eam Tolosanus Albarensium quos domuerat fini bus adiici volebat. Sed dum hac de re duces consultant. Tarentinus Antiochiam regreditur, exturbatóque regia Tolosani præsidio, se Antiochiæ principem nomi nauit. Milites ducum iurgia rebus præclarè gerendis parum adiumenti allatura facilè videntes, Marrham igni tradunt. Tolosanus etiam militibus Tarentini cauſam magis probari intelligens, assumptis decem millibus militum in hostium terras prędas egit. His cum reliquo equitum peditúmq; comitatu Tancredus & Normannorum comes se adiungunt: petitáq; phœnice, viliori precio ibidem (ne tercolis terrore in fugam actis, in suam potestatem accepere. Ad Arcem oppidum qđ Tripolitano parebat tyranno, præter spem diuturnior fuit obsidio. Tandem acceptis à Tripolitano præfecto, quas nostri præscribebant, pacis conditionibus, inde discessum est.

Pestis inter Christianos.

Christianorum in Syria successus.

Interea duces qui Antiochiæ in hybernis fuerant, Seleuciam maritimam vrbem, quæ sola ex Syrię vrbibus Græco Imperatori parebat, petunt: inde Gabullam quæ duodecim à Laodicea millibus passuum distat, contenderũt. Aegyptius prę fectus qui vrbi præerat certum auri pondus commeatúmque, si pacati recedant, pollicetur. Verùm cùm nostris ea conditio non videretur prodesse, accipere recusant. Præfectus autẽ Tolosanũ, vt arte aliqua duces reuocaret, magna auri vi mouet, qui fictis rumoribus de Persicis magnis agminibus, quanta vix vnquam visa essent, aduolantibus, cæteris vt in vnum aliquem locum quàm celerrimè conuenirent, author fuit. Sed paulo pòst prodita fraude, tam ducibus quàm militibus Tolosanus magis exosus factus. Postea ad Sidonem omnis ager vastatus, & quia vrbis expugnatio difficilior futura esse videretur, Ptolemaidi castra admouerunt. Verùm prætore commeatum præbente, & deditionem capta prius Hierosolyma vltrò promittẽte, re infecta inde discessum est. Post hæc ad Cæsaream Palestinam

1099 tribus diebus Pentecostes festiuitatem peregerunt, Ramula deinde ab incolis & præsidio deserta sine vllo labore potiti sunt. Cum autem castra ad Nicopolim posuissent, Bethleemitici legati accurrunt, nostrorum opem contra Barbarorum iniuriam expetentes. Tancredus cæteros duces eò præcurrens, ad ipsa vsque Hierosolymorum mœnia prædas agebat. Huncreliqua militum multitudo subsecuta virorum circiter quadraginta millia.

Hierosolymorum situs.

Sita est vrbs sancta in altissimis montibus, talique loco qui riuis, syluis, fontib. & pascuis caret, atque olim tribui Beniamitarum ascribebatur: ab occidente erat tribus Simeon, Philistinorum regio mare Mediterraneum, & Ioppen oppidum antiquissimum: ab oriente Iordanis fluuius, mare mortuum, Hiericho, Galaad, Basan, Amon, & Moab, quæ Ruben, Gad, & dimidia tribus Manasse in sortem acceperant, quorum omnis regio postea Arabia dicta fuit. Ab Austro erat tribus Iuda, Bethleem, & Hebron sanctorum Patriarcharum sepultura, oppidum celebre. A septentrione tribus Ephraim, Silo, Bethel, & Samaria regum Israel sedes regia. Hæc autem vrbs primò dicta fuit Salem, deinde Iebus, postea ciuitas Dauid ob nouam arcem Syon ædificatam, & tandem sub Salomone Hierosolyma. Cum autem sub Tito Imperatore esset funditus deleta, Aelius Adrianus eãdem reparauit, adeóque vrbis situm & nomen mutauit, ipsam Aeliam vocando. Cum enim prius in cliuo sita esset præcipiti, ita vt partim in Orientem, partim in Austrum tota deuexa respiceret, tam in latere montis Syon quàm in arce constituta, vt solùm templi & præsidium (cui nomen Antonia erat) in sui haberet fastigio, Adrianus in montis verticem totam trãstulit, ita vt Dominicæ passionis & resurrectionis locus, qui prius extra vrbem fuerat, intra murorum ambitum clauderẽtur. Vrbs ipsa antiquitate & nobilitate totius Orientis est præstantissima, magnitudine & firmitate maximis conferenda. forma est oblonga & quadrangulari, cum vallibus profundis tribus ex partibus circumsepta. nam ab oriente est vallis Iosaphat cum torrẽte Cedron: ab austro vallis Hennon: & ab occidente vallis veteris Piscinæ, quæ tempore regum Iuda fuit celebris: à septentrione verò plano itinere ad vrbem acceditur.

Vrbs sancta obsessa.

Cùm Turcarum præfectus Hierosolymis Christianorum successum & conatum per exploratores cognouisset, ipsam vrbem maximo militum præsidio, armis propugnaculis, & omnis generis rebus necessarijs optimè cõmuniuit, quæ ad oblidionem tolerandam essent vtilissima. Christianorum ergo exercitu appropinquante, à septentrione castra vrbi obiecta fuerũt: ab oriente enim meridiéque ob locorum præcipitia, exercituí nulla statio dabatur. Proximus vrbi erat Gothfridus cum Germanis & Lotharingis, iuxta hunc Flandrus, Normannus: & Tancredus, Tolosanus portam quæ occidentem spectat cum suis occlusit. Aberant Boemundus & Balduinus, quorũ hic Edessę, ille Antiochię restiterat. Quinta obsidiõis die vrbs strenuè oppugnata: tantúsque obsidentium virtute hostibus terror iniectus est, vt si nostris scalæ in promptu fuissent, primo mox impetu vrbem conscendissent. Postridie vt scalas, tormenta machinásque hostium telis obijciendas extruerent, ligna cæsa fuere, quibus intra paucos dies paratis, vrbíque admotis, expugnationem omnibus viribus nostri tentarũt. Vtrinque res magno consilio, arte ac virtute geritur. Nostri autem milites siti in loco torrido & tempore feruentissimo, confecti animis & viribus deficere cœperunt. Vnicus enim fons Siloe, isq; non perennis aquam hominibus & iumentis subministrabat, reliqui (quorum tamen numero erant paucissimi) vel obstructi, vel ab hostibus erant intoxicati. In tantis rerum angustijs sacra tractari, diuinum auxilium expeti, & loca sancta nudis pedibus intra & extra vrbem à Christianis cœptum est. Quin etiam Hospitalarij clam nostros admonuerunt vt fortiter pergerent, rebus enim Turcarum inclinantibus sese à tergo ipsos inuasuros, ideóq; in omnem occasionem esse intentos.

Hierosolyma expugnata.

Dum in Hierosolymorum oppugnatione nostri occupantur, Genuensiũ classis ad Ioppen appulit, cui Vuilhelmus Ebraicus præerat. Stabat aũt tum ad Ascalonem Aegyptiorum q̃dam classis obsessis suppetias latura numero viribusq; illis longe

longè superior. Verùm Genuenses suis diffidentes viribus, raptis quæ obsidioni vsui futura putabantur, corruptisq; nauibus in castra Hierosolymitana se contulerunt. Erant inter hos viri industrij, rei bellicæ periti, & omnis generis machinas, vrbium expugnationi seruientes, extruere edocti. Horum artificio turris quædam plicatilis multiplici tabulato, vnde tela in hostes mitti possent, extruitur, & coriis recentibus crudisq;, ne igni posset aduri, inducitur. quæ noctu vrbi admota, tum oppugnatoribus præbuit receptaculum. Sed dum pari virtute, igni, ac ferro vtrinq; in meridiem vsque ancipiti Marte certatur, fortè secundus nostris ventus in hostium ora spirans exortus est, flammásq; quibus Genuensium turris ab obsessis impetebatur, in Barbarorum facié regessit. Sic & turris præsidio & venti commoditate, nostri muro potiuntur, quem quidem primus Gothfridus dux eiusque frater Eustachius cum Germanis militibus conscenderũt. Cædes Barbarorum tota vrbe ingens facta, ad Salomonis templum Proceres cum maxima Turcarum turba refugientes, nostrorũ vim sustinere non valuerunt. Itaq; quarto Nonas Iulij anno millesimo nonagesimo nono, atque tertio huius sacræ expeditionis anno, vrbs Hierosolymorum in Christianorum potestatem venit. Ad eam victoriã Hospitalarij D. Iohannis magno emolumento fuere. Rebus enim Turcarũ inclinantibus ipsi aperto Marte illos à tergo aggrediebantur, suisque locis & stationibus hostibus deturbatis, Christianis turmatim irrumpendi occasionem dederunt.

1099 *Hierosolyma expugnata.*



Postridie cæsorum corporibus terræ mandatis, vrbésque purgata, publicè Deo pro tantis belli contra Barbaros successibus, actæ sunt gratiæ, ac Hierosolymitani ex Turcarum iugo exempti, nostros pro religionis totiusq; Reipublicæ Christianæ salute laboribus salutabant, & collaudabant, imò ferè Numinis loco eos amplectebantur. Superuenere his mutuò sibi congratulantibus Boemundus & Balduinus, non tam rei visendæ gratia, quàm ob iuramentum præstitum, non alibi quàm Hierosolymis sese arma posituros. Octauo recuperatæ vrbis die principes conuentum agunt, vt ex suo numero regem eligant. Nullum autem inter eos discrimen, nec qui alteri meritò præferendus esset, facilè erat cognoscere. Ac licet quilibet eorum tanto dignitatis fastigio, ob virtutem eximiam & res preclarè gestas dignus esset, vno omnium ore ad Robertum Normannorum ducem regnum delatum est. Proximis autem diebus nunciatur Vuilhelmum Anglorum regem Roberti fratrem sine liberis ex hac vita discessisse. Itaque Robertus fraternum regnum in delicijs potius habens, regio se titulo abdicat: ad suos verò cùm reuerteret fratrẽ natu minimum regni sceptra tenere offendit. Is enim rumore sparso de fratre apud Hierosolymitanos rege electo, cunctorum suffragia sibi acquisierat: sic vtroq; regno Roberti priuatus fuit. Post huius abitum Gothfredus Lotharingiæ dux regio titulo inauguratur. Erat hic multis heroicis virtutibus præditus, atque bellicis artibus insignis. Nam in aula Henrici quarti Imperatoris diu versatus, inq; varijs prælijs contra Rodolphum Pseudocæsarem imperij Aquilam tenuit, atque tandem preclaræ victoriæ author extitit. Cùm autem cuncta regni insignia recepisset, se hominem Christianum noluit aurea corona redimiri in eo loco, vbi Christus mundi saluatorem spineam gestasset.

Gothfridus primus Christianus rex Hierosolymis.

Confluxerant interea ad Ascalonem tantæ Turcarum Saracenorumq; conse-deratorum copiæ, suorum cladem vlturę, quantæ toto hoc belli sacri tempore nunquam coierant. In his reprimendis Gothfredus rex, relicto Hierosolymis præsidio omnes belli neruos intendit, & acriter vtrinque concursum diuq; ancipiti Marte dimicatum fuit. Sed diuina tandem ope Christiani superiores fuêre, cæsis hostium centum ferè millibus, cæteris in fugam coniectis. Præterea præda qua nostri hoc

Infidelium copiæ deletæ.

prælio potiti sunt tanta fuit, vt ea quam tot bellis superiorib. acceperant huic nulla ratione conferri potuerit. His confectis Hierosolymam petierunt, ac publicè, pro tantis cõtra Barbaros victoriis, Deo actę sunt gratiæ. His laboribus fœliciter supe ratis, duces ad sua redierunt, Boemundus Antiochiã & Balduinus Edessam. Tum

Hospitalarij bonis aucti.

etiam Tancredo Tyberias totúsque Gallileæ cessit principatus, atque Tolosanus Seleuciam obtinuit: cæteri in patriam quisque suam reuersi sunt.

Erat eo tempore Gerardus Xenodochij Magister atque hospitalarijs fratribus præpositus, cùm itaque strenuam operam Christianis in ea vrbis expugnatione, præterea quoque in maxima ad Ascalonem pugna nauasset, rex Gothfredus ipsis gratias egit, atque plurima bona intra & extra vrbem ipsis attribuit, vt liberalius Christianos peregrinantes excipere, atque Barbaris hostibus resistere possent. Rebus hoc modo confirmatis grauis pestilentia Hierosolymis exorta fuit, qua multi mortales atque etiam rex Gothfridus sublatus fuit, decimoquinto calendarũ Augusti anno salutis 1100. cùm vix vno anno tanta dignitate potitus fuisset. Cauerat autem suo Testamento vt Daberto primo Patriarchæ ex Latinis, qui prius Pisanorum Archiepiscopus fuerat, quarta pars vrbis Hierosolymorum cederet, quæ Templum resurrectionis Domini, Hospitalariorũ domum, Monasteria duo virorum & mulierum, domum Patriarchę, & Canonicorum Dominici sepulchri ædes continebat: præterea quartam partem vrbis Ioppensis. Id enim Patriarcha viuente rege sæpius ab eodẽ efflagitarat, atque antiquum ius Christianorum prætenderat, quod sub Saracenis & Turcis habuerant. Sepultus fuit Gothfridus magno Christianorum luctu, in ecclesia Dominici sepulchri, sub loco Cal-

Balduinus Edesse comes rex electus.

uariæ vbi passus est Dominus. Ibidem etiam insequentes reges Hierosolymitani sibi & posteris honestam sepulturam elegerunt.

Regis funere peracto, regni proceres conuentum agunt, ac Balduinum Edessæ Comitem Gothfridi fratrem regem eligunt, & Hierosolymam euocant. Itaque is alteri Balduino de Burgo consanguineo suo Comitatũ tradidit, atque multis suorum comitãtibus Hierosolymam peruenit, vbi etiam à Patriarcha in ecclesia Bethleemitica in die natiuitatis domini inunctus fuit, Anno 1101. Rex postea primam in Arabiam expeditionem suscepit, cuius incolas præter omnem opinionem adortus, magnam inde prædam hominum armentorúmque copiam ingentem abegit. Philarchus princeps eorum, qui hostium aspectu territus, vlteriora solitudinis petierat, resumpto animo Balduinum insectabatur. Verum cùm in itinere in coniuitia, vt non modò omnèm iniuriam hostibus condonarit, sed etiam fœdus cum illis sanxerit.

Raymundus ordinis Iohãnitarum Magister electus.



Cùm Balduinus rex foris rem cũ Arabibus fœliciter cõposuisset, statuit quoq; in sancta vrbe regnũ suũ confirmare. Itaque in primis cum Gibellino nouo Patriarcha, qui priori successit, varias simultates composuit. postea quoque Hospitalarios fideles belli comites exaltare proposuit, atque aliquot arces & oppida defendenda concessit. Illi ergo conuẽtu habito certum ordinem constituunt, & voto facto sese peregrinos Latinos hospitio suscepturos, & Christianorum religionem & regionem contra infideles armis defensuros profitentur. Ordinis censentur S. Augustini, atque Orationem dominicam certo numero repetitam pro Canonicis horis pronunciant. Vestitus militaris sunt arma, quibus baltheum rubeum militare cum alba cruce superinduunt. exterius verò clamide atri coloris cum alba cruce octogona vtuntur, idque parte sinistra. Hinc fit vt plerique in pace nigra, at in bello rubea veste cum alba cruce conspicui existant. Ex suo etiam numero Magistrum eligunt, cuius mandatis tempore pacis ac belli obediunt. Sicque suf-

que suffragijs collectis, Raymundus de Podio Florentinus vir pius & fortis post 1103
fratrem Gerardum primus Magister electus fuit. Hunc ordinē militarem Patriarchæ primò Hierosolymitani, post etiam Romani pontifices approbarunt, ac multis priuilegijs exornarunt. Horum opera postea reges & principes in Oriente vsi multa præclara facinora terra marique contra Saracenos, Arabes, & Turcas edidere, donec tandem Magistri ordinis inter principes suscepti, atque ordinis Priores in varijs Christianorum prouincijs constituti, qui ædes ipsorum gubernare, a-lijs huius ordinis equitibus præesse, atque omnia bona dispensare sunt soliti, magnæ Christianæ reipublicæ emolumento, vt suo loco dicetur.

Iohannitarū leges.

Raymundus deliberatione cum fratribus habita tria constituit equitibus huius ordinis obseruanda, nimirum obedientiam, paupertatem, & castitatem: obedientia enim præstanda magistro, nihil proprij tenendum, atque castitas quantum fieri potest tenenda, ne huius seculi negotijs impliciti à sacra militia abstrahantur. Vnde etiam ad ordinem hunc accessuri tali voto obstringuntur. Ego N. voueo & promitto Deo omnipotenti, beatæq; Mariæ semper virgini Dei genitrici ac S. Ioanni Baptistæ perpetuò cum Dei auxilio seruare veram obedientiam cuicunque superiori, qui à Deo & religione nostra mihi dabitur: amplius viuere sine proprio: & castitatem seruare. Sequentes autem Magistri etiam alias conditiones adiecerunt, quarum præcipui sunt, vt ter in anno sumant Sacramentum corporis & sanguinis Christi, vtpote in festo Paschatis, Pentecostes, & natiuitatis Domini nostri: vt abstineant à mercemonijs exercendis, & vsuris: ne alienent bona ordinis sine consensu Magistrorum, ne condant testamenta nec aliquos hæredes instituant.

Statuerunt etiam ne ex Iudæis, Saracenis, Arabibus, Turcis aut alijs infidelibus prognati, ad ordinem hunc recipiantur, neq; etiam illi qui extra legitimum matrimonium sint in lucem editi (nisi illi Comitum aut principum filij existant) neq; homicidæ, aut in coniugio constituti. In primis autem vt ægrotorum & pauperum rationem habeant, atque eorum benigni hospites existant. Qui verò recipiuntur, sint corpore firmo, sano & bene compacto, ætatéque ad minimum octodecim annorum, vt labores commodius ferre, ac Barbaris gentibus fortiter resistere queant: sint etiam parentibus illustribus, generosis, & nobilibus antiqua propagine orti. In primis verò illi qui equitibus Ioannitis ascribi desiderant. Sunt enim & alij inferioris cōditionis homines huic ordini coniuncti, quos Sacerdotes aut Capellanos, & Seruientes appellant. hi sacris rebus & orationibus incumbunt, atque domi ter precantur. Quòd si etiam principes Christiani inter sese bella mouent, equites Ioannitæ nulli parti sese coniungunt, & neutrales existunt. Interim verò nihil intermittunt quæ ad pacem inter discordes restituendam facere videntur, vt communibus viribus fortius infidelibus resistere, atq; Christianā rempublicam vndiq; à Barbaris defendere queant. Sed quod ad rem militarem atq; officiorum dignitatem pertinebat, Raymundus ad Romanorum antiquam Rempublicam respexit, & ad eam formam omnia accommodauit, vt non mirum fuerit hunc ordinem multis victorijs semper fuisse celebratissimum.

Nouæ Christianorū copiæ in Syriā veniunt.

Dum hæc Hierosolymis geruntur per Vuilhelmum Aquitaniæ ducem, Hugonem magnum regis Philippi fratrē (qui & superiori expeditioni interfuit) Gothfridum Vindocinēsem, Hugonem Lusinianum, Stephanum Blesensem, Stephanum Burgundiæ comites, & Guelphonem ducem Bauariæ, nouę copiæ in terram Sanctam ducuntur: inter quos tamen magnas strages Turcæ ædiderunt, Alexio Imperatore Constantinopolitano rem curāte. Nam cùm ad Antiochiam delectus haberetur, circiter quinquaginta millia desiderata dicuntur. Tum etiam Hugo magnus Tarsi Ciliciæ fato functus est. Interea rex Balduinus auxilio Genuensium Antipatridam Cęsaream Stratonis occupat, ac Aegyptiæ cohortes in Ramulæ vrbis finibus fundit. Cum etiam cognosceret nouas copias ex occidentis partibus in Christianorum subsidiū aduentare, lætus illis obuiam procedit, tutúmque iter prę-

1103 ter Ptolomaidam, Tyrum, Sidonem, & Berittum, quas vrbes Barbarorum præsidia tenebant, parat atque Hierosolymam perducit. Sanctis locis conspectis, Lusinianus loppæ naui conscensa domum redit, reliquos duces idem molientes aduersi venti reiecerunt.

Christianorum Clades. Eodem tempore Ascalonitæ Barbari Arabum Aegyptiorúmque auxiliis stipati Ramulensiũ fines petunt, Latinos ibi incautos oppressuri: fit atrox ancipiti Marte vtrinque prælium. Cadunt tum duo Stephani, Blesensis & Burgundus. Rexetiam Philarchi beneficio, quo coniugis suæ salutem remunerabat (vt prius dixi-mus) hostium manus euasit. Ramulensis vrbs à Barbaris expugnata, cunctis habitatoribus spoliatur, quorum aliqui atrocissimo mortis genere afficiuntur, alij pecudum more colligati, in perpetuam seruitutem abiguntur. Rex exuperatis millc periculis tandem Ioppen præter omnium expectationem rediit, constans enim fama de ipsius quoque nece sparsa fuerat. Mox reparatis ibi viribus & Hospitalarijs sibi iunctis, hosti denuo occurrendum statuit, quem bellicis machinis extruendis occupatum ex improuiso obruit, magnamque stragem edidit, hostibus tergadantibus. Præda amplissima Ioppen delata, atque inter belli socios ex æquo distributa est. Postea rex Hierosolymam cùm suis reuersus est.

Apamea & Laodicea urbes captæ. Interea nec reliqui Palestinæ principes ocio torpebant, sed quisque suum dominium latius subinde extendere pro virili annitebatur. Tancredus enim, qui Galilææ præerat, coacta suorum manu non exigua, Apameam Cælesyriæ Metropolim, ac Laodiceam post multos labores expugnat. Balduinus etiam de Burgo Edessę dñs in omnes occasiones pro augendo suo regno intentus, vicinis Barbaris maximè fuit formidabilis. Illi ergo coniunctis operib. Carrã Mesopotamiæ vrbem Edessę vicinã obsidentes, fame ad deditionẽ cogũt, an. salutis 1104. Sed dum inter se certando vter prius vrbem ingrederet, aliquã moram traherẽt, Turcarũ exercitus obsessis auxilio aduolat, qui strictis gladijs in obsidentes irruunt, mactant, & dispergunt. Edesanus comes cùm Episcopo suo Benedicto & quodã Ioscelino consanguineo captus est. In alia parte Raymundus Tolosanus comes subinde nouas arces extruxit, quas firmis muniebat præsidijs, non tam Barbarorum insultus sustinendi, quàm sui dominij dilatandi gratiã.

Ptolomais vrbs dedita. Cùm rex Balduinus per septem menses à bellis immunis esset, ac Barbari eum non lacesserent, ipse in eos bellum mouet. Conuocatis itaq; Raymundo & Ioannitis fratrib. omnibusq; quotquot in regno essent militib. post Paschales ferias Ptolomaidem Phœnicię (quę & Accon dicitur) obsidet, sed re infecta discedere cogitur, solis hortis qui erant amœnissimi vastatis, & paucis ex ciuibus trucidatis. Pedem inde referens in latronum quandam cohortem incidit, cum quibus congressus lethale vulnus accepit: licet etiam à medicis incisione curaretur, perpetuos tamen inde sensit dolores. Anno sequenti reparatis viribus, maximè verò Genuensis classis subsidio erectus, eandem vrbem arctiori cingit obsidione, qua etiã post viginti dies certis vtrinque conditionibus prolatis, magna laude potitus est.

Aegyptij milites cæsi. Paulo pòst Rodoan quidam Alapiæ dominus suorum & aliunde accitorũ magnatum auxilio, Antiochenum ducatum ferro igniq; infestum reddidit: sed à Tancredo, cui eiusdem vrbis administrationem Bohemundus ad Francos profectus demandarat, in fugam vertuntur. At Calyphas Aegyptius maiores copias terra mariq; contra regem Hierosolymorum mittit: sed pedestres gladio, nauales verò ventorum procellis occubuerunt. Interea ingens exercitus ex Francia alijsq; locis Bohemundum ad terram sanctam redeuntem sequutus est. equitum quinque millia, & peditum quadraginta fuisse dicuntur. At cum sæpius Alexius Constantinopoli Imperator contra datam fidem sacros milites molestasset, his ipsis pœnas luit. Epyrum enim depopulantur, & Dyrrachij agrum vastum reddunt, donec Alexius iuramento dato pacem cum ipsis firmaret. Hinc digressi Hierosolymam petunt: dum autem Bohemundus Antiochiæ moram nectit, vitam cum morte commutauit, relicto filio paruulo Bohemundo in cunis, Antiochensis principatus hęrede

rede anno salutis millesimo centesimo octauo.

Dum hæc fiunt, Turcæ ad orientem habitantes, occasione captiuitatis Balduini Edesseni & Ioscelini, magna immanitate Mesopotamiam vastant vicos quoscunque tantam vim sustinere non valentes, igni tradunt, occisis vel abactis incolis eorum, frustra Tancredo repugnante. Cęterum dum post quintum annum duo illi se ex captiuitate redemissent, Tancredus Balduinum Edessa vrbe prohibet, ac vtrunque præterea omni principatu priuare molitur: sed tandem iuramenti religione, quo rerum administratio eius curæ interim demandata fuerat, in memoriam reuocata, à sua sententia decessit. Illi autem rerum summa iterum potiti, Tancredo bellum indicunt. Sed is Turcarum opera Ioscelinum in fugam vertit. Vicini aũt principes ex mutuis lanienis plurimum emolumenti Turcis accedere perpendentes, bellum inter Christianos componunt. Interea Raimundo Tolosano extincto, Vuilhelmus Iordanes rerum administrationem suscepit, atq; armis multa loca in suam potestatem redegit. Sed Bertrannus Raimundi filius, cum septuaginta nauibus superueniens, Vuilhelmo bellum facit. At amicis suam authoritatem interponentibus, inter ipsos conuenit, vt Vuilhelmus Arca & Antarado contentus esset, ac principis Antiocheni beneficiarium se profiteretur: reliqua Bertranno Hierosolymorum regis beneficiario cederent. sed non multo tempore interiecto, inter vtriusque milites contentione quadam fortè oborta, Vuilhelmus aduolat, & casu sagitta feritur, ex quo vulnere mortem obijt.

1110 *Christianorum principum discordiæ.*

Dum Christiani principes hac ratione inter sese digladiantur, aut cum infidelibus de finibus decertant, etiam Patriarcha Hierosolymitanus Ecclesiasticam dignitatem promouere contendit. Itaque Ecclesiam Bethleemiticam, quę hactenus Prioratus tantùm titulo insignita esset, ad Cathedralem dignitatem euexit, vt Nazarenes Ecclesiæ transmarinæ, quæ Christianorum armis compararentur, sibi subijcerentur. Vt autem Romanus Pontifex consentiret, Rex ipsum per nuntios interpellauit, & obtinuit. Sic enim Paschalis Balduino rescripsit. Paschalis seruus seruorum Dei, glorioso Hierosolymitano regi Balduino salutem & Apostolicam benedictionem: Ecclesiarum, quę in vestris partibus fuerunt vel sunt, terminos atq; possessiones, diutina infidelium possessio tyrannisq; confudit: cum itaque certos eius fines assignare deliberatione nequeamus, tuis precibus non immeritò duximus annuendum, vt quia pro Hierosolymitanæ ecclesiæ sublimatione personam tuam extremis periculis exponere deuouisti, quascunque infidelium vrbes cepe-ris vel cepisti, eiusdem ecclesiæ regimini subiaceant. Porrò earundem ciuitatum Episcopi Patriarchę tanquam Metropolitano obedientiam exhibere procurent, quatenus & ipse illorũ fultus suffragijs, & ipsi ad inuicẽ ipsis vnanimitatis auxilio vegetati, sic in Hierosolymitanæ ecclesiæ exaltatione proficiant, vt de illorũ profectibus omnipotẽs Deus glorietur. Datę Laterani, quinto idus Iunij. De eadem etiam re Patriarchæ scribit, & priuilegium amplissimum communicat: etsi Bernhardus Antiochenæ Ecclesiæ præsul plurimum reclamaret.

Patriarchatus Hierosolymitani dignitas.

Rebus sic constitutis, Balduinus rex cum Raimundo Ioannitarum equitum magistro Berithensem vrbem inuadere statuit, eámque tandem anno III. die vicesima tertia Aprilis expugnat, magnámque stragem in ciues edit: eodem etiam anno Norwegiana quædam classis religionis ergo eò loci deuenit. ergo illis quoque sibi adiunctis Sydone vrbe potitur, ciuibus vltrò sese dedentibus die decima nona decembris, Norwegios dehinc splendidis donis onustos à se dimittit, atque ipse cum Ioannitis & militibus suis triumphans, Hierosolymam redijt. Verũ Persici Turcæ Sydonis calamitatem vlturi, magnis agminibus Mesopotamiam peruagantes, damna maxima incolis inferunt, ac tandem ad Cæsaream castra ponentes vrbem oppugnant. sed Tancredus hostem inde propellit, Balduino rege & Bertranno Tripolitano suppetias ferentibus. Cæterum cum sola Tyrus ex maritimis ciuitatibus à Laodicea Ascalonem vsque Turcarum iugo premeretur, Balduinus

Balduinus Berithũ & Sidonem occupat.

1115. duinus rex belli fortunam tentandam statuit, eámq; dura obsidione cingit: sed cum quatuor mensibus in eius oppugnatione frustra laborasset, inde discedere cogitur.

Christianorum cædes. Cum aliquandiu rex domi quiesceret maior Turcarum colluuies anno 1113 ex Persia adueniens Cælesyriam omnem vastat, & ad oram maritimam circa Tyberiadam castra locat. Balduinus rex vocatis in auxilium Rogerio Antiocheno, qui superiori anno Tancredo defuncto successerat, atq; Comite Tripolitano, suum exercitum cõtra hostes ducit, & non procul ab ijsdem tentoria figit. Id cùm Mendur belli princeps obseruasset, aliquot equites ad lacessendos Christianos præmittit, ac maiorem cohortem in insidias ponit. Balduinus in illos temere impetum faciens eos in fugam vertit, quam simularant. Cúmq; longius à castris processissent illi qui latuerant, erumpunt, & magna quidem vtrunq; clade pugnatur, penes Turcas tamen victoria mansit. Eo prælio multi Ioannitarum equitum fortiter pugnantes interierunt. Balduinus etiam cum Arnolpho Patriarcha vix elapsi sunt. Eius belli occasione Ascalonitæ Hierosolymam militaribus viris destitutam grauiter affligũt, obsidione cingũt, atq; horrea nuper frugibus referta incendunt. Sed cum regẽ aduenire certò nunciaretur, omissa obsidione ad sua reuertuntur. Potrò cum indies Christianorum exercitus, ex nauigijs ad portum illum appellentibus accresceret, Turcæ suis viribus diffidẽtes pedem referunt. Damasci etiam Persarum princeps à Sicarijs interficitur, Doldequino Damascenorum rege, qui regno suo metuebat, consentiente.

Boemundi virtus. Anno sequenti Persicus exercitus, duce Borsequino, in Damasceno agro castra ponit, inde & Antiochenos affligit. Sed Doldequinus de cæde vt diximus suspectus, vicinorum Christianorum principũ per munera & obsides amicitiam sibi cõparat, atq; eorundem opera hosti occurrit, ac retrocedere coegit. Eadem tempestate Ascalonitæ Ioppensem vrbem oppugnant. sed nucum fortiter resistentium virtute abiguntur. Borsequinus autem dilapsis, quæ prius contra ipsum in armis steterant, copijs, bellum restaurat, & in Antiochenorum agro prædam agit, omniaq; oppida munitionibus carentia solo æquat. Sed Boemundus Antiochenus, coniunctis cum Edessano viribus hostem profligat, omniq; vicissim præda exuit. Eo prælio hostium supra tria millia occisa. Captiui etiam Christiani magna gratulatione recepti, atq; quisq; ad suas habitationes remissi.

Noui habitatores Hierosolymam vocati. Interea Balduinus in Syria Sobal trans Iordanem munitum castrum ædificat, atque illud Montem regalem appellat. Ibidem etiam pedites ac equites habitatores constituit, plurimáq; prędia concessit, vt ijs in locis hostem arcere, atq; religionem Christianam defendere possent. Cum etiam sancta vrbs Hierosolyma habitatorib. ferè esset vacua, nullíq; gentilium locus concederetur, rex ex Arabia transIordanẽ multos fidelium euocauit, atq; certas sedes in vrbe concessit, cum hactenus grauí seruitutis tributo à Turcis premerentur. Vltimo verò regni anno qui erat salutis 1118 expeditionem in Aegyptum suscepit, ordine Ioannitarum ipsum fortiter sequente, vt illatas hactenus iniurias vltisceretur. Ibidem etiam Pharamiam vrbem maritimã magno conatu expugnauit, & suæ ditioni adiecit. Capta vrbe rex ad Nili ostium accessit, atq; eius aquæ naturã magna admiratione cognouit. Multis quoq; piscibus collectis in vrbem redijt, ac sese cum suis læto prandio refecit. Conuiuio peracto antiqui vulneris dolorem sensit, morbóq; grauatus Hierosolymam redire statuit. In itinere verò iuxta vrbem Laris magno omnium mœrore decessit, atq; tandem Hierosolymam perlatus, iuxta fratrem Gothfridum regio funere tumulatus fuit, anno regni decimo-octauo. Vxores is habuit duas. repudiata enim priori coniuge, Siciliæ regis viduam duxit, quam conscientiæ stimulo agitatus, tertio anno reiecit, priori iterum assumpta.

Balduinus rex tertius Hierosolymorum. Balduinus de Burgo Edessæ comes, vir religiosus & bellica fortitudine insignis, patrueli suo Balduino in Hierosolymitano regno successit, & secunda die Aprilis magna solennitate inauguratus fuit. Forma fuit conspicuus, corpore procerus, facie venusta, capillo raro flauo canis mixtos barbam habens raram sed tamen

in pectus demissum, colore erat viuido, & quantum ætas permittebat, roseo, ita vt omnes in spem maximam deuenirent Christianam rempublicam hoc rege audam iri. Huic Aegyptus princeps eadem æstate superioris expeditionis cladem vindicaturus bellum terra marique facit, cui se etiam Damascenus coniungit. ac licet in hostium conspectum Balduinus quoque sua castra poneret, nihil tamen vtrinque memorabile gestum fuit, his Barbarorum multitudinem, illis pro verò Christianorum virtutem & fœlicitatem timentibus. itaque factum vt post tres menses sine prælio inde inuicem discesserint, licet toto eo tempore semper opposita tentoria & castra habuerint. Hoc anno obijt Alexius Græcorum imperator atque Ioannes filius successit. Moritur quoque Paschalis Papa, & Gelasius eius nominis secundus eligitur, præterea Patriarcha Arnolphus, atque decessit Guarimundus quintus ex latinis Hierosolymorum patriarcha in eius locum substitutus fuit, Hospitalarijs maximè in eius partes inclinantibus. 1119.

Eodem anno Templariorum ordo militaris Hierosolymis initia sumpsit. Erant enim nobiles & Dei amantes nouem viri, qui voluntate Patriarchæ more Canonicorum regularium in castitate & obedientia se perpetuo victuros professi sunt. Horum præcipui erant Hugo de Paganis & Ganfredus de Sancto Aldemaro: iniunctum autem eis erat vt vias & itinera ad salutem peregrinorum contra latronum & infidelium insidias pro viribus tuta conseruarent. Quibus, quoniam neque ecclesia neque certum domicilium erat, rex in palatio suo iuxta templum domini ad portam australem ad tempus habitationem concessit. Præterea pro victu & amictu beneficia quædam largitus est, donec occasio daretur ipsis commodius viuendi. Nouem annis post eorum institutionem vtebantur communi cum alijs hominibus vestium genere, quæ ipsis à populo pro remedio animarum liberaliter offerebant. Postea verò sub Honorio pontifice instituta est eis regula, atque albus vestis eis assignatus. Deinde verò temporib. Eugenij tertij rubea crux vestibus addita: quoniam aũt iuxta templũ Domini habitarent, Fratres militiæ Tẽpli dicebantur. Hic ordo postea in immensum piorũ collationib. creuit, vt eius sectatores in Syria & alijs Christianorũ prouincijs potentia sua principes æquarent, sæpius impetrent, & omnib. suspecti fierent. Longo tñ tempore vnà cum Ioannitis equitib. fortiter Turcis & Saracenis resistentes, res Christianorũ egregiè defenderunt, atque sibi vbique gentium magnũ nomen cõpararunt, donec tandẽ multorum scelerum accusati, vbique gentiũ ad internetionẽ deleti, atque eorum bona & possessiones maiori ex parte Ioannitarum ordini adiudicata fuerint, vt suo loco fusius docebitur. *Templariorũ ordo institutus.*

His etiam temporibus Teuthonicus quidam cum familia sua Hierosolymis magnam liberalitatem erga suam gentem exercebat, qui orandi aut militandi gratia ad sacra loca accesserant. Is enim in prima expeditione cum vxore Christianorum victoriæ interfuit, atque vitam suam Hierosolymis finire statuit. Cùm is multis opibus insignis esset, misericordia quadam motus, ex proprijs ædibus Xenodochium constituit, pro ijs maximè Germanis qui neque linguas peregrinas nosce-rent, neque diuersorium aliud haberent. Deinde etiam patriarchæ authoritate sacellum sub D. Mariæ virginis titulo construxit, vt ibidem orandi gratia conuenirent, atque pauperibus Eleemosinas elargirent. qua pietate multos Germanos nobili loco natos eò pellexit, vt voluntariam militiam profiterentur, atque bona in alimentum indigorum, corpus pro tutela piorum deuouerent. Hi aucti numero pietate, fauore, & liberalitate bonorum, etiam opibus excellere cœperunt: ad certum autem viuendi institutum nõdum animum adiecerant, sed sese cum Hospitalarijs aut Templarijs coniungentes, infidelibus armis restiterunt, nec etiam hospitalitatem neglexerunt. nam per fortiores foris bellum, per mãsuetiores domi liberalitatem & curam erga egenos exercebant. Tandem verò post 70. annos sub Henrico Cæsare, & Cælestino 3 Pontifice ordo inter Hospitalarios & Templarios medius constitutus, quem Teutonicorum B. Mariæ virginis nominarunt, albo vestitu & nigra cruce decoratus, vt infrà explicabitur. *Theutonicis ordinis initia.*

Dum

1120 Dum hęc Hierosolymis fiunt, Gazi Turcarum princeps, Doldequinus Damas-
Martis varia fortuna. cenorum, & Debeis Arabum reges, cum ingenti multitudine Antiochenum a-
grum ingressi, ad Alapiam castra locant. Rogerius Antiochenus princeps non
expectato auxiliarium aduentu copiarum, quas rex Hierosolymitanus, Ioscelinus (qui in Edesseno comitatu nuper Balduino successerat) & Pontius Tripolitanus subministrabant, temerè cum hoste confligit, sed admodum infœliciter. Nam ad vnum ferè omnes eius milites trucidantur, ipso Rogerio simul occumbente. Locus castrorũ postea Campus sanguinis dictus fuit. Sed dum liberè passim hostilis exercitus grassatur, Balduinus rex cum Hospitalarijs equitibus reliquisque copijs aduolat. Instructis vtrinque aciebus fortiter pugnatũ est; tandem Christiani superiores extiterunt, ipsis regibus, cum infinitam suorum multitudinem cadere cernerent, terga dantibus. Ex nostris tamẽ centum equites & septingenti pedites succubuerunt. Accidit hęc victoria mense Augusto in vigilia assumptionis Marię, anno 1120. Inde rex triumphans Antiochiã ingredit, atque eundem principatũ regno suo adijcit. Mox etiã lignum viuificę crucis, quod in prælio secum habuit, Hierosolymam cum Cæsariensi Archiepiscopo & honesto comitatu remisit, atque ipse Antiochiæ omnia optimè disposuit. Rebus omnibus expeditis in sanctam vrbem redijt, atque solenni natiuitatis Christi die in ecclesia Bethleemitica cum vxore, magna pompa, rex coronatus fuit.

Hierosolymitanis data priuilegia. Anno sequenti Gazi reparatis viribus, bellum in eodẽ loco restaurat. sed dum Balduinus cum Ioscelino & Antiochenis primatibus hosti occurrere parat, Gazi apoplexia tactus interijt, sicque ea expeditio finem suum sortita est. Rebus compositis, rex omnibus ciuibus Hierosolymitanis, in primis verò hospitalarijs S. Ioannis atque Templarijs multa priuilegia concessit. omnibúsq; Latinis liberam emendi & vendendi merces potestatem dedit, omni tributo aut exactione remissis. Immunitates etiam Surianis, Græcis, & Armenis haud contemnendas attribuit. Pari ratione Saracenis largitus est, vt triticum, hordeum, & quodlibet genus leguminis liberè in vrbem vendendi gratia adferrent. sicque factum vt abomnibus plurimum diligeretur.

Antiochenorũ pericula. Paulo pòst nimirum anno 1122 Doldequinus Damascenus, associato sibi Arabum rege, Antiochenos infestat, & Tyberiadensium fines in primis affligit. Nam cum Antiocheni principe destituerentur & Balduinus, qui eorum patrocinium agebat, rebus Hierosolymæ distineretur, omnium incursionibus magis fuerunt expositi. Sed rex cognitis rebus cum suo exercitu, præter omnium hostium opinionem, præstò est. Huius aduentu territus hostis pedem retulit. Balduinus cum è re sua eundem longius persequi non esse animaduerteret, ad latus declinat, & Garaze (quæ vna Decapoleos est) firmissimam Damascení arcem, superiori anno extructam, funditus euertit. nam sine magnis sumptibus & periculis non videbatur à nostris posse conseruari.

Balduinus rex à Turcis captus. Hac ratione cùm aliquandiu Christiani lęta pace fruerentur, Balacus, paucis annis interiectis, cum copijs Turcicis Antiochenos depopulatur, Ioscelinum etiam & Galeramum ex improuiso captos carceri tradidit. Balduinus quoque rex qui afflictis auxilio venerat, cum nocte quadam paucis eum comitantibus loca illa perlustraret, ab hoste intercipitur, & eodem cum Ioscelino & Galeramo carcere in quadam munita arce concluditur. Fama illa diuulgata, quinquaginta Armenij viri fortes & audaces monastico habitu induti, arcem illam accedunt, & in præsentia conspectum se admitti petunt, de graui sibi illata iniuria quæsturi. Voti sui compotes facti, sicis quas sub vestibus occultarant præsidiarios milites trucidant, vinctósque liberant. Mox etiam Ioscelinus emittitur, vt copias in subsidium cogat & adducat. Sed vicini Turcę de internecione suorum edocti, ad arcem accurrunt, regémque cum cæteris exitu prohibent. Balacus eadem nocte somnio, quo à Ioscelino oculos exsculpi sibi visus fuerat exterritus, mox missis nũcijs eundem capite plecti iubet. Sed cùm rei gestæ veritatem ex ijs redeuntibus cognouisset, subitò exerci-

exercitum conſcribit, arcémque oppugnat, & eoſdem ad deditionem cogit. Regi quidem & Galeramo vita donatur, ſed Armenij illi varijs tormentorum generibus interempti ſunt. Ioſcelinus autem quas interim Hieroſolymis collegerat copias adducturus, Antiochiæ rei euentum cognoſcit: ſed ſuis diffidens viribus arma depoſuit, atque milites ad ſuas habitationes redire iuſſit, qui etiam circa Aſcalapiam & circa partes Scythopolitanas hoſtibus plurimum detrimenti dederunt. 1122

Occaſione capti regis Balacus extrema quæq; terræ ſanctæ moliebatur, conuocatóque per vniuerſam Aegyptum milite, eam intrat, & ad Aſcalonem (quæ Turcis adhuc parebat) ſedes figit. Claſſis ad Ioppen appulit, militéſque egreſſi vrbem dura obſidione premunt. Cúmque eandem fere ad deditionem adegiſſent, Euſtachius Grener, cui interim in Hieroſolymitano regno rerum ſumma demandata fuerat, atque Raimundus Ioannitarum equitum magiſter, cum ſeptem millibus fortium virorum obſeſſis auxilio venerunt. Obſidentes horum conſpectu territi, nauigijs conſcenſis diſcedunt. Hinc Euſtachius cum ſuis Aſcalonam verſus iter inſtituit, atque ibidem hoſtem in acie ſtantem offendit. Itaque commiſſo prælio Chriſtiani egregiè vincunt, hoſtem in fugam vertunt, & cunctis Aegyptiorum opibus potiuntur. Eodem tempore Michael Venetorum dux Syriæ oram claſſe tenens, Aegyptios fugientes mari excipit, ac multas naues demergit, pluréſque capit: reliquæ numero quidem pauciſſimæ fuga ſalutem quærunt. Præterea in decem hoſtium naues omnis generis mercimonijs onuſtas incidit, quæ militibus prædæ fuerunt. Inde ad Ptolemaidem vrbem applicuit. Paulo pòſt hanc victoriam Euſtachius vita fungitur, cui Vuilhelmus de Buris vir magnanimus Tyberiadenſium Dominus ſubſtituitur. *Aegyptiorũ clades.*



Venetæ claſſis aduentu ſatis opportuno Hieroſolymitani plurimum erecti, nihil intermiſerunt quòd ad ſummæ beneuolentiæ declarationem erga aduentitios lacceret. Coniunctis itaque viribus Calendis Martij anni 1123 Tyrum vrbem antiquam & munitiſſimam obſident, & vndique acriter varijs bellorum machinis ad- *Tyrus vrbs à Chriſtianis expugnata.*

1123 motis oppugnant. Nec minori labore & apparatu obsessi nostris pro focis & aris pugnantes, resistunt. Interim Balacus Hierapolim vrbem corona cingit eiúsq; dominum contra saluum conductum datámque fidem decollari præcipit. Itaque Iosselinus animaduertens hostem suo capiti imminere, exercitum quantum habere potuit conscribit, atque ex improuiso Balacum aggreditur: tum etiam eundem (in quem fortè inciderat) gladio transuerberat, ac caput amputat. sicq; somno tandem euentus respondit. Hac victoria erecti milites, qui Tyrum oppugnabant, acrius instant, nihilque intentatum relinquunt, præsertim ipsis Hospitalarijs fortiter pugnando alijs animum addentibus. Itaque factum vt tandem ciues fame & gladio adacti, deditionem facerent: vix enim quinque modij frumenti in vrbe reperti fuerant. Capta est hæc celeberrima vrbs maritima à Christianis tertio calend. Iulij anno partę salutis 1124. Tum etiam vrbis duæ partes regi, & tertia Venetis cessit, iuxta pactum prius ab ipsis initum & confirmatum. Eodem etiã anno Baldoinus rex centum millibus Michaelitarum (quod genus monetæ erat) redemptus, è carcere liberatur, in quo per octodecim menses detentus fuerat.

Damascen; Turcæ victi. Sequenti tempore Borsequinus, assumpto belli socio Doldoquino Damasceno, denuo Antiochenũ agrum vastat. Id cùm Balduinus intellexisset, assumptis Iohannitis atq; reliquis suis militibus, hosti fortiter occurrit, cæsóque hoste tanta præda potitur, vt quinquennem filiam, quam pro sui redemptione obsidem dederat, liberarit. Deinde in Damascenum regem, ob sæpius illatas iniurias, animaduertit, eiusque aliquot vrbes vastauit. Ascalonitas etiam qui superioribus annis Hierosolymitanos molestarant, aliquo modo fortiter compescuit. Anno postea 1126 Balduinus rex regni sui vires collegit, atque Damasceno denuò bellum indixit, in eodem etiam virtute suorum militum superior extitit, fuso hostium exercitu, eorumque arcibus aliquot expugnatis. eadem tempestate Borsequinus à suis confoditur. Cum autem Bohemũdus iunior decimũ octauum annum attigisset, à rege Antiochiam repetijt: quam non modò rex vltrò reddidit, sed etiam filiam Halim eidem despondit. Is primum virtutis suæ specimen edidit, expugnatione Capharda oppidi, ab hostibus olim suis maioribus prærepti. Cùm autem postea inter Bohemundum & Ioscelinum seniorem Edessæ comitem lites quædam essent exortæ, rex celeriter accurrit, atq; prudentum virorum consilio maturè totam controuersiam componit.

Simultas inter regem & Patriarchã. Cùm autem hactenus post Tyri expugnationem nullus ibidem præsul esset ordinatus, tandem anno quarto Vuilhelmus natione Anglus, primus Latinorum ibi Archiepiscopus electus, atque à Guaremundo patriarcha Hierosolymitano consecratus, & à Honorio Romano pontifice confirmatus fuit: successerat enim mortuo Calisto Honorius secundus Imolensis. Eodem ferè tempore Heinricus quoq; eius nominis quintus Imperator fato functus, atque Lotharius Saxo in eius locũ electus. Paulo pòst etiam Guaremundus patriarcha obijt, atque Stephanus Abbas S. Ioannis de Valea ex vrbe Carnotensi successit. Postquam is consecratus fuisset, contra regem difficiles quæstiones mouebat, atque vrbem Ioppensem pro ecclesia resurrectionis Dominicæ repetebat: quinetiam post Ascalonam captam, vrbem Hierosolymam quoque huic ecclesiæ cessisse asserebat, propterea inter ipsum & regem graues inimicitię ortę, quæ tamen morte Patriarchæ finitæ sunt: vix enim biennio completo in fata concessit. fama erat ipsum veneno sublatum. Cùm enim in lecto grauiter decumberet, atque rex ipsum solandi gratia visitaret, ac de statu ipsius quæreret, respondisse fertur: Sic est nobis in præsenti, domine Rex, sicut vultis. atque hac ratione ambitionis suæ, tempore illo periculoso præ-nas dedit.

Damascus obsidetur. Anno sequenti, qui erat 1130 Hugo de Paganis Templariorum militum Hierosolymis primus magister, qui regis iussu ad occidentales principes pro perẽdo auxilio ablegatus fuerat, ingenti multitudine stipatus redijt. Quibus vniuersam terram sanctam incolentes principes coniuncti, Damascum vrbem potentissimam oblidio-

obſidione cingunt, ſed tum ab hoſte tum aeris intemperie diuinitus immiſſæ inde 1128.
profligantur. Boemundus etiam domum regreſſus à Turcis Antiochenos infeſtā-
tes occiditur. Id cum rex Balduinus intellexiſſet, illicò cum ſuis Antiochiam pe-
tijt. ibi contra filiæ voluntatem à ciuibus in vrbem recipitur. Itaq; ducissa expulsa,
Laodicea & Gabulo vrbibus contenta esse iubetur. Antiochenum autem princi-
patum rex Conſtantiæ Boemundi filiolæ attribuit, certis tutoribus ei adhibitis.
Rebus hoc modo fœliciter conſtitutis, Balduinus cum ſuo exercitu Hieroſoly-
mam redijt.

Dum hęc in Syria fiunt, Fulco Turonenſium, Cenomanenſium, & Andegauen *Fulconis in*
ſium Comes fere ſexagenarius, rebus domeſticis diſpoſitis, ad terram ſanctam re- *Syriam ad-*
ligionis ergò iter inſtituit. Sed dum hoc molitur, Balduini regis Hieroſolymitani *uentus.*
legati ſuperueniunt, regis filiam Meliſendam natu maximam ipſi matrimonio iun
gendam offerunt, dotémque ei promittunt ſucceſſionem in regno, ſi regi ſuperui-
xerit: interim Tyro & Ptolomaide contentus ſit, quam conditionem cum filia Ful
co grato animo ſuſcepit. Tertio anno lapſo rex in grauiſſimum morbum incidit.
videns itaque mortis diem ſibi immínere de proprio palatio egreſſus, regióque ſta
tu depoſito ſupplex & humilis in domum Patriarchæ ſe transferri præcepit, quæ
templo reſurrectionis Domini erat vicinior. Ibiq; accitis Fulcone genero & filia,
pueróque Balduino iam bimulo, in præſentia Patriarchæ, principum nonnullorū,
Ordinúmq; militarium Magiſtris, ipſis regni curam & plenam poteſtatem tradidit,
moréq; pij patris benedictionem indulſit, ac Fulconem regni ſucceſſorem deno-
minauit. Ipſe verò habitum monaſticum aſſumens, & vitam regularem ſi viueret
profeſſus, ſpiritum æterno patri tradidit, vndecimo calend. ſeptembris, anno regni
decimotertio, ſalutis 1131. Sepultus eſt ad anteceſſores ſuos ſub monte Caluariæ ad
locum Golgatha, multis ſolennibus ceremonijs regia maieſtate dignis. Eadem
tempeſtate & Ioſcelinus Ediſſæ dominus obijt, relicto filio eiuſdem nominis prin-
cipatus hærede.

Funere regis peracto, proceres regni conueniunt, atque communibus ſuffra *Fulco 4. rex*
gijs Fulconem regem decernunt, qui etiam decimooctauo calēd. octobris à Vuil- *Hieroſoly-*
helmo Patriarcha (qui Stephano ſucceſſerat) more regio conſecratus fuit. Pri- *mis.*
mùm autem poſt acceptum regnum cùm Pontio Tripolitano comite affini ipſi
bellum fuit, qui Boemundi viduæ ad priſtinam dignitatem (qua à patre propter
extremam inſolentiam & contumaciam exuta fuerat) iterum adſpirantis partes
tutabatur. Nam regem ad Antiochenos tendentem Comes vi & armis prohibere
conabatur: ſed irritus ipſius fuit conatus, rege hoſtes fortiter in fugam conijcien-
te. Amicorum tandem precibus Tripolitanus in gratiam recipitur. Rex verò
negotio ob quod Antiochiam venerat compoſito, rei ſummam Rainaldo cuidam
demandat. Interim autem Hieroſolymitani proceres, eò itinere quò Liddam
pergitur, munitam arcem ex ſolido opere ædificant, & Caſtrum Arnaldi vocant,
ad tutelam peregrinorum tranſeuntium. Ibi enim in montium faucibus Aſcalonitę
Chriſtianos inuadebant, ac tranſitum periculoſum reddebant. Hácque ratione via
illa ad loca ſacra multo ſecurior reddita.

Alterum Fulconis bellum, quod non multo pòſt pro Antiochenis geſſit, fe- *Raimundus*
liciſſimum fuit. Cùm enim Perſici Turcæ eoſdem moleſtarent, rex cum Ordi- *ad Antioche*
num militarium Magiſtris fortiter occurrit, atque incautos obruit. quinetiam ca- *num ducatū*
ſtris eorum ſplendidiſſimis paruo labore potitus eſt. Sub idem quoque tempus *vocatus.*
procerum conſilio regéq; conſentiente ad Raimundum Pictauienſem Comitem
dam legati mittuntur, pro ineundo matrimonio cum Conſtantia Antiocheni prin
cipatus hærede: huius legationis princeps erat Geraldus Zebertus ex ordine Ioan
nitarum equitum vnus. Quod etiam conſilium egregiè ſucceſſit, ita vt nec Con-
ſtantiæ mater, nec Rogerius Apuliæ dux (qui Boamundi conſanguineus duca-
tum iure hæreditario affectabat) harum rerū aliquid intelligere, nec Raimundum
aduenientem impedire potuerint. Hiſce peractis, rex magna laude Hieroſolymā

1135 in regiam ſuam ſedem redijt. Eodem tempore obijt Bernhardus primus Latinorum apud Antiochenos patriarcha, anno officij triceſimo ſexto, in cuius locum Radolphus Normannus ſucceſſit, qui ob vitæ inſolentiam in partibus Orientalibus plurimas turbas excitauit, atque alios eccleſiarum præſules contempſit. Tum etiam Honorius Papa deceſſit, ac Innocentius ſecundus in eius locum electus fuit, qui plurima bella cõtra Vuilhelmũ Calabriæ ducem geſſit, atq; cũ Anacleto pſeudopontifice magnas contentiones habuit, id q; Chriſtianis in Oriente plurimum obfuit, dum præſidijs piorum deſtituti, infidelibus ſæpius cedere, ac munitiores tantum vrbes defendere cogerentur.

Domeſtica Chriſtianorum diſſidia. In primis autem Fulconem domeſticum excepit diſſidium. Hugo enim Ioppenſis comes, cum alijs coniurationis aliorúmque criminum accuſatus, dum Monomachiã cum priuigno ſuo ſubire detrectaret, omnium ſuffragio etiam abſens damnatus eſt. In tantis anguſtijs Hugo conſtitutus, ſeſe (malo conſilio) Aſcalonitis Chriſtiano nomini inuiſis coniungit. Hi ea occaſione arrepta Hieroſolymitanis bellum faciunt, agriſqúe non exigua damna inferunt. Itaque rex Fulco copijs ſuis conuocatis Ioppen (vbi Hugo latitabat) obſidet. Interea Tegelmelud Damaſcenus Paneadenſem ciuitatem obſidet, ac antequam rex ipſis ſubuenire poſſet, expugnat, & in ſuam poteſtatem redigit, multis incolarum in captiuitatẽ abductis. Cùm itaque Vuilhelmus Patriarcha ac reliqui Chriſtianorum proceres viderent, quod ex mutua diſcordia belliſqúe inteſtinis hoſtibus noſtris plurimum emolumenti accederet, ſeſe medios inter regem & Comitem interponunt, atq; ſummo conatu de pace tractant, quæ etiam poſtea ſancita fuit. Inter alias conditiones erat quòd Hugo per triennium in exilium abeat, ac poſtea ſuum comitatum recipiat. Qui in Apuliam delatus, à Rogerio rege donatur Gargarenſi comitatu: is tamen nunquam in Syriam redijt, ſed in nouo ſuo comitatu, multorum luctu immatura morte deceſſit.

Raymundus Comes Tripolitanus. Paulo pòſt Bezenges Damaſcenorum princeps in fines Tripolitanos cum exercitu progreditur: huic Pontius Comes obuiam cum ſuis copijs factus, ad caſtrum, quod mons peregrinus dicitur, vincitur ac capitur, atque prodentib. eum Syrianis occiditur, Raymundo filio hærede relicto, & in eodem Comitatu ſucceſſore. Is virtutis ſpecimen illuſtre editurus, patris necem magno animi robore & ſingulari fœlicitate in hoſtes vlciſcitur. Cùm etiam Raymundus à Geraldo hoſpitalario Antiochiam perductus, Conſtantiã ducatus hæredem cum vrbe & prouincia tota in ſuam poteſtatem ſuſcepiſſet, in ea parte Syriæ magni motus ſubſecuti. Nam Ioannes Græcorum Imperator inſtructis copijs Antiochiam verſus profectus, eandem ad ſuam iuriſdictionem peruenijſſe aſſerebat: in primis is, Tarſum Ciliciæ Metropolim vi occupat, mox etiam tota prouincia ſubacta, Antiochiam properat, & vrbem obſidet. Cum autem res Chriſtianorum in maximo periculo vbiq; in Syria eſſent, prudentum virorum opera factum, vt inter Imperatorem & ducem pax iniretur, quæ etiam ijs conditionibus ſancita, vt dux ſeſe ſupplicem Imperatori exhiberet, atque ſuum ducatum feudi loco ab eodem reciperet. Eo peracto Imperator Tarſum redijt: ibiq; hyemauit, poſtea verò cum exercitu incolumis Conſtantinopolim profectus eſt.

Sanguinus Turca Chriſtianos affligit. Eodem ferè tempore Sanguinus Turcarum princeps denuo in Comitem Tripolitanum mouet, & caſtrum Montem ferrãdum obſidione cingit. Fulco rex obſeſis auxilium ferens, cum hoſte infœliciter confligit. nam copijs ferè omnibus cæſis ipſe cum paucis intra Montem Ferrandum recipitur, Tripolitanus verò ſommes capitur. Poſthæc Barbari grauiter caſtellum oppugnant: ipſi etiam intra caſtrum grauius cum fame conflictabantur, cùm nihil quod eſui eſſet, amplius ſupereſſet: omnes enim equos à rege & cæteris, quos ex fuga receperant, adductos iam deglutierant. In his anguſtijs rex cum ſuis conſtitutus, illicò à Hieroſolymitanis, militariumqúe ordinum Magiſtris, ucinisque Chriſtianis principibus auxilia efflagitat. qui ſumma feſtinatione omnem regni militiam collegerunt, aſſumpto etiam

pto etiam salutifero crucis ligno, versus hostes progredi cœperunt. Interim Sanguinus de magnis Christianorum copijs certis rumoribus edoctus, obsessis vltrò pacem offert atque promittit, si castrum ipsi tradatur non modò cunctis, qui inerant, vitam donaturum, sed & Tripolitanum cum cæteris captiuis saluum se bona fide dimissurum. Illi obuijs vlnis cum magna admiratione conditionem hanc amplectuntur: sicq; vtrinque ab armis discessum est. Rex autem aduenientibus pio- rum copijs occurrens, gratias egit, atq; cum exercitu Hierosolymam reuersus est. Durante hac obsidione, Bezzeuge Damascenus præfectus Neapolim Syriæ igni & ferro grauiter afflixit. 1138

Subsequenti anno rex Fulco cum Thedorico Flandrẽsium Comite genero suo, qui religionis causa Hierosolymam venerat, Barbarorum quoddam præsidium in finibus Ammonitarum iuxta montem Galaad obsidet, in quo furum manipulus & turma prædonum frequenter conueniebat. dum ibi Christianorum exercitus desudaret, Turcæ occasione arrepta Iordanem transeunt, atque Tocnam ciuitatẽ inuadunt, omnibus incolis trucidatis aut captis. Manserat tum fortè Hierosolymis Robertus cognomine Burgundio magister militiæ Templi. Hic cum quibusdam fratribus suis, atq; ordinis Ioannitarum equitibus ad locum prædictum summa celeritate aduolant, Bernhardo Vathec regio vexillo ferente: id cùm Barbari intellexissent, fugam ineunt & Ascalonem versus contendunt. Nostri verò id videntes, incautius agunt, atque magis fugientium spolijs incumbunt, quam vt ijsdem vestigijs hostes persequantur & trucidant. Cùm Turcæ per exploratores id cognouissent, mox acies suas dispersas conglobare, atq; nostros ex improuiso inuadere proponunt: sicque vagantes obtruncant, ac paucis resistentibus cruentum prælium ineunt, in quo Barbari superiores extiterunt. Conuersis igitur nostris in fugam per loca saxis asperrima & prorsus inuia à Turcis sagittis & armis peremuntur, aut præcipites prosternuntur. hac ratione factum vt ex vtroque militari ordine plures fortissimi & nobilissimi viri cecíderint, inter quos præcipuus Otto de Monte falconis vir strenuus & belli peritus extitit. Hostes verò victoria potiti, cæde & spolijs nostrorum lætantes Ascalonam reuersi sunt. Id cùm rex & alij principes in obsidione arcis perseuerantes audiuissent, vehementer animis consternati fuerunt. Veruntamen feruentius cœpto operi instãtes intra paucos dies præsidium vi expugnarunt, atque inde cum gloria & triumpho ad propria redierunt.

Militarium ordinum clades.

Paneadensis vrbs recepta.

Interea Sanguinus homo inquietus non solùm Christianis molestus erat, sed & rerum successu ad montem Ferrandum elatus, Damasceno regi bellum inferebat. Is hostium viribus impar Hierosolymitanum regem amplissimis promissis in bellí societatem vocat, atq; singulis mensibus vicena millia aureorum promittit, quin etiam vrbem Paneadensem nostris restituendam pollicetur. Hanc eñ Doldequinus Damascenorum rex paucos ante annos armis occuparat: sed postea prefectus loci à Damascenis defecerat, & Saguino adhæserat: vt etiã fides huic rei adsit proceres suorum filios obsides mittit. Rex Fulco magnatib. in consiliũ adhibitis, auxiliares eò copias transmittit, Amardo Damascenorum principe eas læto animo suscipiente ad vrbem Maram. Verùm Sanguinus callidus miles, cõtra duos pugnare difficile fore ratus, pedem retrahit. Itaque Hierosolymitanæ & Damascenæ copiæ Peneadem vrbem obsident, & multis machinis grauiter oppugnant: obsessi etiam viriliter resistunt, atq; libertatem, vxores, & liberos defendere nitunt. Cùm autem princeps Antiochenus & Comes Tripolitanus iusto exercitu quoque ad obsidionem venissent, incolę desperantes deditionem fecerunt, atq; cum sua supellectile liberum exitum impetrarũt. Vrbs verò ipsa Rainerio Bras, cui ante aliquot annos vi erepta fuit, restituta est.

Dum Christiani in ea obsidione essent, Amalricus episcopus Hostiensis Francus Romanę ecclesię legatus ad Sydonẽ applicuit, vt dissidium inter Patriarcham & Canonicos ecclesiæ Antiochenæ componeret. Hic audito Christianorum ad

Præsulũ in Syria discordiæ.

1140 Paneadem conatu, quoque ad obsidionem illam peruenit: postea quoque regem & principem Hierosolymam comitatus, ac tandem Antiochiam profectus est. Accusabatur Radolphus patriarcha Antiochenus quòd ecclesiam suam Romanæ subtrahere, atque primatum eiusdem infringere voluerit, sedem æmulam Antiochenam erigendo: vtramque enim Petri esse cathedram, suámque quasi primogenitam. Cùm autem causa transigi non posset, Radolphus Romam profectus, tandem in verba Pontificis iurauit, ac ad suam ecclesiam Antiochenam rediit. Postea verò iterum turbas mouens, sede deponitur, & Romam proficiscens, sedis Apostolicæ gratiam adeptus est: cùm autem domum redire maturaret, veneno hausto miserè interiit. Legatus verò Pontificis rebus ad Antiochiam compositis Hierosolymam reuersus est, & in Paschatis solennitate Templum domini solenniter dedicauit: mox etiam cùm Syrię prælatis ibidem in ecclesia sancta Syon synodum celebrauit, cui & maximus Armeniorum pontifex, adeóque omnium Cappadociæ, Mediæ, & Persidis, ac vtriusque Armeniæ princeps interfuit, qui Catholicus dicitur. Cùm eodem de multis fidei articulis est actum, quibus ab ecclesia Romana dissentiebat. His ritè peractis, & in primis Militaribus ordinibus confirmatis, legatus Romam rediit.

Græcorum Imperator Syriam turbat.

Quatuor annis præteritis Ioannes Græcorum Imperator viribus reparatis iterum in Syriam peruenit, atque Antiochiam versus iter instituit. Cùm autem eò venisset atq; ciues introitum negarent, exercitum in Ciliciam reduxit, vt hyemis ingruentis inclementiam maritimæ oræ temperie mitigaret. In vere autem, dum feras insectare conatur, aper à canibus deprehensus, coram fatigatus consistit: quem dum celerrimè intoxicata sagitta petere conatur, propriam manum vulnerat, quo etiam vulnere interiit. suadentibus enim Medicis vt manus illa auferatur antequam totum corpus inficeretur, respondisse fertur: Indignum esse vt Romanum Imperium vna manu regatur. Eo mortuo filius iunior Emanuel successit, qui exercitum iterum Constantinopolim reduxit, Latinis in Syria principibus magno periculo liberatis.

Alba specula arx extructa.

Videns autem rex quod in duarum arcium fundatione Bersabeæ videlicet & Hybolim contra Ascalonitarum superbiam plurimum profecissent, tertiam etiam ædificare statuit, vt hostium vrbem affligere atque terrorem incutere posset. Ergo proceribus regni in consilium adhibitis circa veris initium omnis generis artifices in tribu Simeonis, octo miliaribus ab vrbe Ascalonitarum in alto monte firmissimum præsidium quadris lapidibus extruũt, vnde in vrbem hostium liber prospectus esse posset. Hęc inde Alba specula dicta fuit. Eandem rex commeatu & armis egregiè muniuit, atq; ordinis Ioannitarum viris prudentibus & rei militaris experientiam habentibus custodiendam tradidit. Hinc Ascalonitæ moti, Aegypti regem admonuerunt vt vrbi suæ circumuallatæ quasi, suppetias ferat. Postea regina quoque Melesindis habita matura deliberatione in Bethania, Lazari atque sororum castello, Monasterium fundauit pro religiosis virginibus. Huic etiam oppidum Hiericho in campestribus Iordanis situm, cum multis alijs prædijs & bonis attribuit, vt nulli monasterio virorũ aut mulierum in tota Syria inferior haberetur.

Fulco rex in uenatione interijt.

Accidit autem illis diebus, rebus regni paccatis, quod rex Fulco cum vxore, circa autumnũ, in ciuitate Acconensi essent: ibi regina animi gratia extra vrbẽ ad loca quędam fontibus irrigua ambulare proposuit. Itaq; & rex cum aulicis suis eò prosciscisci statuit. Accidit autem casu, vt pueri præeuntes leporem in sulcis iacentem excitarent, quem etiam fugientem clamor omnium prosecutus est. Rex lancea arrepta leporem celerrimè insectatur, atq; adeò cursu fatigauit, vt tandem in terram corrueret, ac regem præcipitem deiiceret. iacente sic rege attonito, sella adeò caput contriuit, vt cerebrum comminutum per aures & nares effluueret. Eo casu comites perterriti aduolant, & dum opem ferre desiderant, regem ferè exanimem sine voce & sensu reperiũt. Inde multis lachrimis in vrbem deportatus, triduo adhuc palpitans vitam protraxit; quarto demum die Idibus Nouembris obijt, anno regni

gni vndecimo, salutis nostræ 1142. Inde Hierosolymam delatus, vniuerso clero & populo occurrente, in Ecclesia Dominici sepulchri, sub monte Caluariæ, ad prę cessores suos regia magnificentia sepultus fuit. 1144

Rege sic defuncto supererāt duo impuberes filij, Balduinus tredecim & Amalricus septem annorum. Itaque patri in regno surrogatur Balduinus eius nominis tertius atq; ordine regum Hierosolymorum quintus, qui etiam per Vuilhelmum Patriarcham Hierosolymis cum matre Melesinda (quę regni consors facta) in die natali Christo magna solennitate coronatur. Medio autem illo tempore Sanguinus, occasione simultatis inter Edissenum & Antiochenum principes, Edissam vrbem Christianorum celebrem obsedit, & tandem per cuniculos expugnauit, magna in ciues Christianos vsus immanitate. Aliqui referunt cladis huius causam in Raymundi principis Antiocheni & Ioscelini comitis huius vrbis periculosas simultates, quę prius exortę & nōdum sopitę fuerant, Ioscelinus enim tum sua vrbe aberat: alij verò in Hugonē huius vrbis Archiepiscopum referūt. Cùm enim is magnā vim auri & argenti collegisset, quā militibus erogare & vrbem conseruare posset, maluit tamen auarus opibus incumbere, quàm pereunti populo succurrere. Itaque & ipse in fuga pressus & suffocatus interijt. Hac victoria elatus Sanguinus Cologenbar quoque obsidet. Sed nocte quadam vino ęstuans à familiaribus confoditur, sicq; obsidio soluitur: paternum autem regnum filius Noradinus suscepit. Balduinus primo regni sui anno Castrum in Syria Sobal trans Iordanem, à Turcis olim occupatum in suam potestatē redegit, atque communiuit, postea cum exercitu Hierosolymam redijt. Anno sequenti Stantain quendam Bostrensis vrbis gubernatorem, à rege Damasceno eiectum, restituere parat. sed res infelicem sortita est exitum. Nam copiæ fame, siti, alijsq; tam longinqui itineris molestijs exhaustę, vrbi ad quam oppugnandam venerant, nihil inferre damni poterant. Prętera tanta Turcarum vis ad eam defendendam confluxerat vt copijs saluis vix se ad suos recipere potuerit. Nam reuertentes Noradunus Damasceni regis gener excepit, eorumq; cursum impedire conatus fuit: verum Balduinus cum suis ferro sibi iter aperiunt, ac demum post mille labores exuperatos ad patrios lares reuersi sunt. Patebantur tum omnes Christiani, quod ab eo tempore quo receperant Hierosolymam, non fuerit nostris in Oriente periculosior expeditio, absq; manifesta victoria hostium, prędecēti nimirum mirabili itineris duce. is enim cum exercitus castra metarentur subitò disparuit, mane verò iterum nostros anteibat.

Balduinus 3 Rex 5 Hierosolymis.

Christianorum ingens periculum.

Interea Christiani qui Edessam incolebant, cum præsidiariorum militum ibi relictorum numerus, ob domesticos motus (quos Noradinus regni causa sustinebat) indies decresceret, ciuium porrò augeretur, Ioscelinum comitem reuocant, eumq; noctu intromittunt. Arces verò quæ intra vrbē erant Turcæ obtinebant. Noradinus re cognita cum exercitu, quantumcunque ex vniuerso regno cogere potuit, accurrit, & vrbem obsidione cingit. Ciues in maximis angustijs constituti, extrema quæuis tentanda potius censent, quam hosti irato vrbem tradendam, præsertim cum intus etiam à præsidiarijs militibus affligerentur. stat itaque sententia, gladio exitum parandum. Propterea agminatim ex vrbe effusi, in hostes irruūt, quos hi vicissim excipientes miseram plebeculam sine sexus ætatisqúe discrimine mactant: ipse verò Comes cum paucis alijs fuga elapsus, sese Samosatum recipiunt. Eodem tempore obijt etiam Vuilhelmus Hierosolymitanus patriarcha atq; Fulcherius Tyrensis Archiepiscopus in eius locum successit. Tum etiam circa diem Epiphaniorum ecclesiæ Dominici sepulchri & montis Sion fulmine tactæ, visus etiam per multos dies Cometa, qui & ipse multa infausta Christianis portendere dicebatur.

Christianorū noua expeditio, in Syriam.

Rumor de capta Edessia & in ciues crudelitate perpetrata mox per vniuersum Occidentem sparsus, omnium Christianorum animos perculit. Propterea Eugenius pontifex, missis hinc inde suis legatis, principes ad ferēda afflictis Christianis auxilia sedulo incitabat, inter quos S. Bernhardus Clarevallēsis albas facilè primas


1146. obtinebat. Accidit fortè cum D.Bernardus in Hayterſen pago Briſgaudiæ eſſet, atque nobiles concurrentes ad ſacrum bellum adhortaretur, vt hominem cæcum, ſurdum, & mutum à natiuitate ſanitati reſtitueret. Eum locum poſt 200 circiter annos ordinis Ioannitarum per Alemanniam prior à Baronibus à Stauffen certo prę tio comparauit, atque pulchra arce exornatam ſibi & ſucceſſoribus ſedem conſtituit, aliſs octo pagis vicinis ditioni ſuę cõiunctis, ubi etiã hodie Philippus Flachius à Schuartzenburg magna laude Ioannitis Germaniæ præeſt. eo autem tempore Sanctus Bernhardus Conrado Romanorum Imperatori & Gallorum regi arma induere perſuaſit. His ſe coniungunt Theodoricus Flandrenſis, & Heinricus Bleſenſis comites: deinde Heinricus Ratisbonenſis, Otto Friſingẽſis, Regimbertus Bathauienſis, Stephanus Metenſis, & Heinricus Tullenſis epiſcopi: prætera Heinricus Noricorum dux Imperatoris frater, Guelpho, Iabeslaus dux Bohemorum, Odoacer Marchio Styriæ, baronum & nobilium plurimi, ac denique ex Anglia, Gallia, Germania ac Pannonia tanta multitudo confluxit, vt numerum penè excederent. Inter hos & mulieres erant, quæ non coniunctis ſed diuiſis pedibus virorum inſtar ſuper palliſs equitantes, haſtatæ atque armatę, imò virili habitu ornatæ, Martio vultu Amazonibus audaciores videbantur. Iis quidem Manuel Conſtantinopolitanus imperator non modò liberum per ſuam terram tranſitum, ſed & omnium rerum venalium copiam ſplendida oratione pollicetur: attamen clàm inſidias ſtruxit. Sæpius enim in extremis agminibus, Græcis Germanos laceſſentibus, pugnatum eſt. Præterea contra datam fidem non modò forum hoſpitibus denegatum eſt, ſed calce farinæ immiſta panem peſtiferum perfidi Græci reddebant: &, vt paucis dicamus, nullum mali genus fuit, quod Imperator non vel ipſe in eos machinaretur, vel aliſs machinandi author eſſet. Idem & Turcæ imitati ſunt, Manuelis literis ad bellum Alemannis faciendum concitati, cum quibus ſacri belli milites fortiter congreſſi, ad Meandrum fluuium tanta ſtrage eos conciderunt, vt oſſium tumuli crebri & alti collium inſtar paſſim conſpicerentur.

ſuſcepta fuit hæc expeditio anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto.

Sed vt principium belli infelix & difficile fuit, ita exitum ſortitum eſt infeliciſſimum. Nam præter Turcarum iniurias & famem, quam perpeſſi ſunt milites maximam, inglorij inde iterum diſceſſerunt.

Damaſce-

1148.



Damascena vrbs anno 1147 die 25. maij primùm obsessa, & pomeria latè occupata, trucidatis ijs quos ciues eò in insidias locarant. Obsessi suis rebus diffidentes de vrbis quidem deditione cogitant: attamen vnicum prius medium tentandum censent, quod etiam successit. quosdam enim inter oppugnantes primarios duces, multis talentis interuenientibus, sibi conciliant, quorum consilio & autoritate exercitus ab ea vrbis parte, qua primùm & quidem rectissimè oppugnari cœperat, discedit. Facilius enim ab eo latere quod Austrum & Orientem spectabat, obsessis vim inferri posse spem cunctis faciebant. quæ omnes fefellit. Isthic enim commeatu destituti cum fame sæuissimo hoste conflictabantur, nec ad priorem stationem, Damascenis ingentes trabes molésque obijcientibus, reuerti concedebatur. Sicque non sine dedecore inde discessum est. Cæterùm eius mali ea perhibetur fuisse occasio, quod Flandrensi comiti (qui Francorum regi militabat) de Damascena vrbe possidenda, si ea potirentur, spes facta fuerit. Tantum bolum quidam terræ Sanctæ principes sibi prærípi ægrè ferentes, castrorum translationis authores fuisse perhibentur: alij Antiocheni principis suasu, alicuius simultatis inter ipsum & Francorum regem causa, id factum narrant. Sed vt vt res sese habeat, ea perfidia non solùm moti reges ad sua inglorij pedem referunt, sed & reliqua magnatũ multitudo in vniuersis regnis deinceps minus de rebus Palestinæ sollicita fuit.

Damascena vrbs frustrà obsessa.

Turcæ ab eo tempore semper cõfidentiores fuerunt, & cognito exterorum abitu ipsi ad arma conclamant. In primis autem Noradinus Antiochenum agrum depopulatur. Raimundus princeps hostem propulsaturus, cùm minus cautè se geret, trucidatur, eius caput cum dextro brachio à reliquo corpore dissectum ad Calyphã maximum Saracenorum principem mittitur. Hac edita strage Noradinus reliquam terram non sine maleficio perlustrat, oppidáq; expugnata vel diruit, vel suo muniuit præsidio. Ioscelinus quoque Edessanus comes Antiochiam contendens, cùm longius à suo comitatu fortè secessisset, à Barbaris prędam passim agentibus intercipitur, & perpetuo carceri mancipatur. Tum Aimericus Antiochenus Patri-

Principes duo à Turcis intercepti.

1149. Patriarcha, vocato in auxilium rege, afflictis rebus subsidium ferre laborabat, qui etiam cum suis celeriter aduolauit. sed vrbe defensa tantam hostium multitudinẽ foris reprimere minimè valuit, qui pro libidine interim ad satietatem vsque impunè quælibet perpetrabant. Hacque ratione factum vt Antiochena & Edissena prouincia, ducibus interceptis, muliebri consilio regerentur, peccatis nostrorum (vt Tyrius inquit) id exigentibus.

Gaza ordinum equitibus tradita.

Pace aliquanto pòst restituta, rex Balduinus cum proceribus regni animum recepit, atque vrbem Gazam contra Ascalonitarum proteruiam reparare, & communire statuit. erat hæc antiquissima Philisteorum ciuitas in colle sita decem miliaribus versus Austrum ab Ascalone distans. Cum iam muri restaurati & turrib. firmati essent, communi consilio Hospitalarijs & Templi militibus traditur, vt inde hostes à prædis coercerent, atq; reprimerent. qui etiam viri fortes & strenui existentes, vrbem illam contra varias Barbarorũ incursiones non modò fortiter defenderunt, sed quoq; hostes ferocientes vndiquaq; lacessere cœperunt, atq; tutum refugium in communitum castrum habuerunt. Hac ratione fines regni ab Austro versus Aegyptum tutissimi fuerunt, præsertim cum Barbari Ascalonitis neq; succurrere, neq; Christianos inuadere metu Gazensium ausi essent. His rebus fœliciter expeditis, rex cum exercitu circa veris initium Hierosolymam rediit.

Regis & matris dissidiũ.


Pręter Barbarorum bellum, quo vniuersa terra multos iam annos attrita fuerat, etiam intestinũ inter regem Balduinum & matrem, improborũ quorundã instinctu, obortum est. Nam filius cum inscia matre (dissuadentibus etiam Patriarcha & alijs) se regem coronari fecisset, regni diuisionem ab eadẽ extorquet. Re in proceru conuentu deliberata, & optione Balduino data, rex Tyrum & Acconem vrbes maritimas occupat, atq; Hierosolymam & Neapolim matri gubernandas reliquit. Sed non multo pòst instigantibus ijsdem improbis magistris, matrem omni prouincia exturbare molitur, & Neapolim vi expugnat, de hinc Hierosolymã contendit. Fulcherus Patriarcha eius animum lenire studet, sed omnia frustra. Igitur vrbem obsidet, & à ciuib. regia indignatione territis intromissus, arcem quam mater tenebat summa vi oppugnare adoritur. Tandem mater, Neapolitana vrbe contenta, Hierosolymam regni caput filio resignat.

Turcæ ad Hierosolymam acie victi.

Cum eo tempore Edessenus comitatus Domino orbatus esset, atq; Turcæ eundem occupare statuissent, rex Balduinus cum suis eò accurrit. Aduolat etiam Constantinopoleos Imperator cum maximis copijs. Itaq; voluntate regis atq; Comitis fæ, quæ annuatim certos inde percipiebat reditus, idem Comitatus Græcorum Imperatori fuit traditus. Quod cum Noradinus percepisset sumpto animo in Græcos, quos effeminatos & molles esse cognouerat, exercitum duxit, eósq; omnes illo loco fortiter expulit. Decesserunt eo bello Antiochenæ ecclesiæ tres Archiepiscopatus, Edessenus, Hierapolitanus & Toritiensis. Non minus periculum immi nebat Antiochenæ vrbi quæ à vidua regebatur, quam patriarcha (vt fama erat) inuitis omnibus à secundis nuptijs retrahebat, quo solus ipse rerum summa potiretur. Eodem etiam tempore Raimundus Tripolitanus comes ab Assissinis in quodam tumultu confoditur. Inter has turbas & ipsa Hierosolyma à Turcis tentatur. Nam Hyaroquini, quorum maiores olim eam tenuerant, vndiq; conductis copijs, socijsq; bellorum ascitis, Oliuetum occupant. Sed Ioannitæ equites cum ciuibus præsidiarijs erumpentes, hostes terga dare cogunt. Fugientes Neapolitani cruentis gladijs excipiunt, ita vt eo die quinque millia Barbarorum cæsa fuerint. Accidit ea victoria nono calend. Decembr. anno regni Balduini nono, salutis verò 1152.

Christiani

1150



Christiani tanta victoria & hostium spolijs amplissimis erecti, Ascalonam vnicum Aegyptiorum refugium, terra marique anno sequenti mense Ianuario obsident: sita est hæc vrbs in littore maris, multis vallibus & præsidijs egregiè firmata, quam Aegyptij pro muro contra Christianos quater in anno armis & annona communiebant. In ea obsidione conueniebant rex Balduinus, Fulcherus Patriarcha, Petrus Tyrensis, Balduinus Cæsariensis, Robertus Nazarenus Archiepiscopi: dein Fridericus Acconensis, Gerardus Bethleemitarum Episcopi, cum multis Abbatibus. Præterea Raymundus magister domus hospitalis, Bernhardus de Tremulai magister militiæ Templi, ac tandem ex principibus politicis Hugo de Hybelin, Philippus Neapolitanus, Hemfredus de Torano, Simon Tyberiadensis, Gerardus Sydonienſis, Guido Berythensis, Mauritius de Monte regali, Raynaldus de Castellione, & Gualtherus de sancto Aldemaro. Hi ergo circa vrbem tentoria fixerunt. Obsessi oppugnantium multitudine & robore territi, crebris nuntijs Calypham Aegyptium deferendo auxilio sollicitant. Is ergo obsidionis quinto mense expeditissimam mittit classem septuaginta triremibus constantem, cuius aduentu obsessis animus qui ferè penitus conciderat, redijt. Sub idem tempus Noradinus Ainardo forti duce mortuo, Damascenorum vniuersum regnum (regione profligato) occupat. Postea Paneadensi vrbi exercitum admouet, ea spe, Ascalonæ obsidionem ita solutum iri: sed ciuium fortitudine inde repulsus fuit.

Ascalon vrbs obsessa.

Interea nostri milites acrius Ascalonam oppugnantes, muri partem deijciunt. Sed dum de primo in vrbem ingressu inter se rixantur, magna clade accepta reijciuntur, trabibus ruina resarcitur, & cæsi milites per funes ex muro suspenduntur. Quo spectaculo excitì duces belli summo conamine, licet multi id disuaderent, vrbem tentandam extremumqúe periculum subeundum censent, præsertim Episcopis id suadentibus. Itaque mox tuba personat, ad arma coguntur milites, & hostes ad pugnam prouocantur: in quos milites vehementius irruentes tanta eos conciderunt strage, vt omne militiæ robur consiliúmque obsessis ferè perierit. Primarij

Vrbs Christianis dedita.


marij enim ipsorum duces simul occubuerunt. Missis itáque ad regem Legatis, supplices pacem petunt & vrbem tradunt. Ciuibus etiam libera discedendi potestas cum vniuersa familia conceditur. Capta est vrbs die duodecima Augusti, anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto. Præda postea amplissima inter milites eorúmque duces distribuitur. tum etiam Americo regis fratri Ioppensi comiti vrbis cessit administratio. Hacqúe ratione Christianorum res in Syria magna incrementa sumpsere. Rebus fortiter gestis rex cum exercitu Hierosolymam rediit, vbi etiam Deo magna solennitate pro hac victoria preces institutæ, & publicè in omnibus Templis gratiæ actæ.

PRIMI LIBRI FINIS.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MARIque fortiter gestarum,

Liber Secundus.





VM negotia regni Hierosolymitani satis prosperè nostris succederent, etiam Ioannitarum equitum Ordo incrementa sumpsit, atque ob virtutem plurima oppida, vicos, atque bona passim à rege & principibus in terra sancta obtinuit, ita vt magnæ simultates inde ipsis cũ Fulchero Patriarcha exortæ fuerint: conquerebatur enim ipse quòd decimas prædiorum sibi negarent, quòd sumptuosas domus ante Resurrectionis ecclesiæ ianuã in sui contemptum ædificarent, quódq; excommunicatos & ab ecclesia separatos ad se reciperent, ac eisdem ægrotis supremam vnctionem & mortuis sepulturam non negarent. Itaq; tandem

Patriarchæ & Raimũdi Ioãnitarum magistri cõtentio.

contentiones eò deuenerunt, vt partium ſtudioſi etiam in templis ſeſe mutuis telis impeterent. Cùm ergo Patriarcha videret Hoſpitalarios ſubinde ditiores fieri, atque ſibi & alijs Epiſcopis decimas negare, ſua priuilegia & regnum immunitates prætendentes, Romam ad Pontificem proficiſci ſtatuit, vt aduerſarios accuſare, atq; Eccleſiæ ſuæ iura aſſerere poſſet. Vnde centeſimo ferè ætatis anno verno tempore ſe mari cõmiſit, atque vnà cum comitibus Tyrenſi Archiepiſcopo, Friderico Acconenſi, Almarico Sidonienſi, Balduino Cæſarienſi, Renero Sebaſtenſi, & Herberto Tiberiadenſi epiſcopis, Hydruntum Apuliæ vrbem maritimam appulit, & poſtea Brunduſium peruenit.

Adrianus 4. põtifex pro Ioãnitis pronunciat.

Eodem tempore Hadrianus eius nominis quartus Pontificatum inierat, atque diuturnum bellum cum Vuilhelmo rege Siciliæ ferebat. Huic bello ſeſe etiã Conſtantinopolitanus Imperator, Pontificis rogatu implicabat, atque Brunduſium in ſuam poteſtatem redegerat: quinetiam Comes Robertus Tarentũ & Barium munitas vrbes occuparat. Aderat quoque Fridericus Barbaroſſa Cæſar, vt imperij coronam Romæ ab Adriano acciperet. Hiſce motibus factum vt Fulcherus patriarcha minus ad Pontificem peruenire, atque Ioannitas accuſare poſſet, præſertim cũ illi ipſi honeſtam legationem ex ſuo ordine prius ad Pontificem miſiſſent, atq; priuilegiorum ſuorum confirmationem impetraſſent. Tãdem tamen Anconam peruenit, atque per Epiſcopos ſuos Imperatorem ſalutauit, & eius literas ad Hadrianum commendatitias obtinuit: poſtea Romam acceſſit, ac tandem Pontificem Beneuentum ſecutus ſalutauit. Ibi partibus auditis Hadrianus cum Cardinalium ſenatu pro Ioannitis pronuntiauit, atque eorum bona à Iuriſdictione Patriarchæ & Epiſcoporum liberauit. vix enim duo Cardinales inuenti, nimirum Octauianus & Ioannes de ſancto Martino qui Patriarchæ partes fouerent, alijs omnibus (vt Tyrius inquit) muneribus à Hoſpitalarijs corruptis. Hac ratione factum, vt Fulcherus infecta re domum redierit. Ab eo autem tempore ordo Ioannitarum (Pontificis Romani authoritate) opibus & dignitate plurimum creuit, atque apud principes in magna exiſtimatione & honore fuit.

Aegyptiorũ motus.

Dum ſatis proſperè Hieroſolymitanæ res ſeſe haberent, Soldanus apud Aegyptios Calypham, quem ipſi numinis quodam loco colebant, fraude interficit, quo ſuum filium Noſceradinum ad eam honoris dignitatem eueheret. ſed populo arma contra homicidam corripiente, ipſe cum filio ſibi fuga conſuluit, & verſus Damaſcum iter arripuit. Re cognita vicini Damaſco Chriſtiani profugos adoriuntur, iiſq; cæſis, tantis ſpolijs potiuntur, quanta vix vnquam ab ipſis viſa fuerint. Noſceradinus verò qui ſorte Templarijs militibus contigit, ab ijſdem Aegyptijs repetentibus venditur ſexaginta aureorum millibus, qui eundem in minutiſſimas partes diſcerpſerunt. Eodem etiam tempore Rainaldus gregarius miles (qui ducta in vxorem Conſtantia Raimundi vidua, Antiochenum ducatum nactus fuerat) Cyprum inſulam præter meritum miſerè depopulatur, & omnibus facultatibus exuit, plurimis ſine ſexus & conditionis diſcrimine trucidatis.

Paneadenſium media vrbs Ioãnitis oblata.

Paulo pòſt Arabes & Turcę quidam à rege Balduino impetrant, vt in Saltu Libani circa vrbem Pandeadenſem habitare, atque pecora & armenta ſua ibidem paſcere poſſent. Verùm poſtea maleuolorum conſilio eoſdem ex improuiſo aggreſſus, partim occidit, partim in fugam coniecit, pecoribus eorum direptis & abductis. quæ quidem res peſſimè Chriſtianis ceſſit: Noradinus enim hanc iniuriam vlturus exercitum collegit, & Paneadenſem vrbem obſidere ſtatuit. id cum Hemfredus regis copiarum præfectus (quem Conſtabularium dixerunt) intellexiſſet, viribus ſuis diffidens, regis conſenſu eandem ſuam vrbem cum fratribus ordinis Ioannitarum ex æquo diuiſit, & inhabitandam conceſſit, quo hoſtibus Turcis reſiſtere, atq; eandem armis & cõmeatu munire poſſent. Cum autem Hoſpitalarij armentis & camelis ſarcinas impoſuiſſent, atq; ciuitati omnib. neceſſarijs rebus prouidere certo die decreuiſſent, Noradinus quorundã proditione rẽ cognouit, atque Ioannitas aggreſſus, eos diſſipauit, & in fugam egit, omnib. impedimẽtis interceptis. Id

ptis. Id cũ Hospitalarij vidissent, atq; similes euentus formidarent, Pandeadensem vrbem Hemfredo restituerunt, atq; à pactis discedẽtes bellicos apparatus & opes suas in meliores vsus cõferre voluerũt. Noradinus hoc successu ferocior factus, vrbem denuò obsidione cingit, grauiterq; obsessos affligit. Illi tãdem re ad extremũ casum perducta erumpũt, ac atroci casu cum hoste confligunt, sed à Barbaris fugã capescere coguntur, qui eosdem tanto impetu insequuntur, vt & porta & tota vrbe pr̃ multitudine potirent̃. Ciues autem in arcem quæ munitissima erat, se recipiũt. 1157.

Rex Balduinus cognita Paneadensium calamitate suppetias ferre militémque suum instruere proposuit. qua de re Noradinus edoctus, succensa prius vrbe cum præda excedit. Liberati ciues mox vrbis mœnia reparãt, regijs copijs ipsos defendentibus. Noradinus interea cum suis in vicina sylua latitabat, in quasuis occasiones damna inferendi intentus, nec eum sua spes fefellit. Nam rex dimissis pedestribus copijs, solo cum equitatu, & eo quidem non satis copioso, proficiscebatur. Cum autem Iordanem transiret, Barbari subitò irruentes ordinem turbant, & conflictu facto, superiores extiterunt. Rex cum paucissimis ex pugna sese subducens in Saphet oppido se occuluit: tum nobilium virorum & ordinis equitum non exiguus numerus in manus hostium peruenit, vtpote Bertrandus de Blanquefort Magister militiæ Templi, Hugo de Hybelim, Otto de S. Amando regis Marschallus, Ioannes Gottmannus, Rohardus Ioppensis, & Balianus frater eius cum multis alijs. Accidit hæc strages decimotertio calend. Iulij anno regni Balduini decimo quarto. Post hanc victoriam Noradinus, contracto nouo milite ex agro Damasceno, iterum Paneadem obsidet, ea spe regis vires ex percepta clade ita esse fractas, vt inde nihil periculi sibi sit metuendum. Itaque rex quoscunque milites cogere potuit obsessis in auxilium mittit: idem & Antiochenus princeps, & Tripolitanus comes præstant. Noradinus horum aduentu cognito, liquet vrbis muros propemodum fregisset, iam iámque ad deditionem inclinarent ciues, obsidionem soluit, & in vlteriores regni sui partes recessit. Hac ratione vrbs illa denuo liberata fuit. *Christianorum clades.*

Inter hosce motus Theodoricus Flandrensium comes cum coniuge (quæ regis Balduini ex patre soror erat) ad portum Berithensem, haud paruo militum numero stipatus, appellit, anno salutis 1157. Terræ sanctæ principes tantorum hospitum aduentu in spem erecti, mox quisque exercitum cogere cœpit, vocatóque in auxilium Armeniorum principe, Noradinum ad Nepam vrbem castra habentem petere statuunt. sed, de desperato eius morbo certiores facti, animum mutant & Cæsaream Syriæ vrbem, ad Orontem fluuium sitam, arcta obsidione cingunt. Ciues negotiationibus magis quàm rebus bellicis exercitati, & de sui principis Noradini quem decumbere nesciebant, potentia confidentes, minus prudenter bellum administrabant. haud magno itaque labore Christiani eam vrbem, licet munitissima esset, primo statim impetu expugnant. Ciues non defendendi sed potius se occultandi gratia intra arcem, quæ vrbi contigua erat, confugiunt. Cæterùm orto ex prædæ diuisione inter duces dissidio, arce salua, ipsi diuite præda contenti, Antiochiam simul redierunt. Dissidij verò ea fuit occasio: Balduinus rex Theodoricum Flandrum ea vrbe, si caperetur, donarat. At cùm Rainaldus Antiochiæ princeps eandem suo dominio subesse postularet, Theodoricus regibus solùm nõ autem principibus se hactenus paruisse asserens, id facere renuit. Principes porrô reconciliati, vicinum quoddam Antiochiæ oppidum Arethusam nomine expugnant. de hinc quisq; ad sua regreditur, sed Theodoricus Flandrus cum rege & exercitu Hierosolymam proficiscitur. *discordia victoriã Christianorũ impedit.*

Circa idem tempus Arnoldus de Comps (qui Augerio successerat) Ioannitarũ ordinis magister ætate confectus fato fungitur, atq; in locum eius Gilbertus Ascalonis vir armis & prudentia insignis 5 magister substituitur. Tum etiam Fulcherus Hierosolymitanus patriarcha moritur, atq; post aliquot contẽtiones Amalricus ecclesiæ Dominici sepulchri prior, Nouiodunensis natione, eligitur. Interim Nora- *Gilbertus 5. Ioãnitarum ordinis magister.*

1159 dinus, qui iam præter omnium opinionem ex morbo conualuerat, de soluta principum expeditione certior factus, rursus arma induit, & Suetam arcem, quæ regis Hierosolymorum erat, grauiter oppugnauit. Balduinus militibus suis conuocatis, statim obsessis suppetias ferre, atque cum hoste prælio decertare proposuit. Itaq; ad hostem appropinquans acies instruit & Noradinum ad pugnam incitauit. Prælio acriter commisso nostri egregiè vincunt, multisq; trucidatis, alios in turpem fugam coniiciunt. Contigit ea Christianis victoria idibus Iulij. Eodem etiam tempore rex Balduinus Theodoram Emanuelis Cõstantinopolitani Imperatoris ex fratre neptem vxorem duxit. Tum etiam Rainaldus Antiochenus Imperatori in Ciliciam obuiam progressus, ob Cyprum vastatam eidem reconciliatur. Rex etiam Balduinus ad Imperatorem accedens benignè suscipitur, & multis muneribus exornatur. Postea Imperator & rex cum principe Antiochiam contendunt, & summa solennitate ac pompa suscepti fuerũt. Principibus orientis hoc pacto inuicem reconciliatis, quisq; in suum regnum magna lætitia rediit.

Rainaldus Antiochiæ princeps captus.

Aliquanto pòst Noradinus Iconensis Soldani agros igne ferróq; perdit. Hierosolymorum verò rex ea occasione Damascenum quoque agrum impunè depopulatur, rebúsque prosperè confectis incolumem exercitum domum reduxit. Dum hæc alibi fiunt, etiam Rainaldus Antiochenorum princeps suam ditionem extendere aut prædam aliquam comparare conatur. Itaq; aulicorum quorundam impulsu fideles populos, inter Maresiam & Tulapum habitantes, aggreditur. Ibi enim Turcæ præsidia occuparant, atq; sub vrbana ab Armenijs, & Surianis Christianis tantùm colebantur. Cùm itaque longè latéque prædas ageret, atque rediturn cum suis pararet, ab Alapiensi præfecto Megingedo, Noradino familiari, prælio superatur, & cum omni præda intercipitur, princeps etiam Alapiam captiuus perductus, & à cunctis ludibrio habitus fuit. Contigit hæc strages in loco Comi, inter Cressum & Mares, nono calenda. Decembris anno Balduini decimo octauo: postea Balduinus, populo petente, principatus administrationem in sese recepit, & omnes motus egregiè compescuit.

Balduinus rex à Iudæo medico sublatus.

Cùm rex rebus fœliciter expeditis Hierosolymam redijsset, ecce Guido Stephanus & Trisillus, Imperatoris Constantinopolitani legati, comparent, & suo Domino vxorem de regis consanguineis exoptant, atque literas offerunt. Rex itaq; deliberatione habita sororem Comitis Tripolitani virginem illustrem, nomine Mellesendam, ei desponsandam offert. sed Imperator eandem respuit, atque Mariam Raimundi principis Antiocheni defuncti filiam, rege consentiente, vxorem duxit. Comes Tripolitanus id ægerrimè tulit, atque per pyratas Imperatoris regiones mirum in modum afflixit. Matrimonio autem illo contracto Rex Antiochię degebat, atq; arcem Pontis ferri super Orõtem fluuium contra hostes restaurabat. Dum ibi moram traheret ante ingruentem hyemem (pro more) à Barac Iudæo Tripolitani comitis Medico pillulas sumpsit, quibus venenum immixtum credebatur. nam pharmaci reliquum cani porrectum eundem enecuit. Itaq; eo medicamento sumpto rex diisenteria & febre simul corripitur: ac mox in hecticam febrim incidit. Propterea immensos dolores sentiens aerem mutauit, ac Tripolim peruenit. post menses aliquot Beryttum deportatus sacramenta sumpsit, atq; hanc vitam cum æterna beatitudine commutauit. Inde Hierosolymam perductus magno luctu maiorum sepulchro illatus est. Obijt is Idibus Februarij anno regni 24. ætatis 33. & salutis 1163. Ob eius mortem non amici tantùm, sed & hostes doluerunt. Nam Noradinus cum ad hostiles irruptiones, dum regi exequiæ pararentur, à suis instigaretur, dixisse fertur: Compatiendum & humanè indulgendum est iusto eorum dolori, eò quod principem amiserint, qualem reliquus non habet orbis.

Amalricus rex 6. Hierosolymis.

Cum Balduinus absq; liberis decessisset, Amalricus eius frater viginti septẽ annorum, Ioppensis & Ascalonitanus comes, Clero & populo vniuerso, ex magnati bus verò paucis assentientib. substituitur atq; 12. cal. Martij ab Amalrico Patriarcha coronat. Antequam aũt hoc fieret, à Ioanne Cardinale põtificis Alexandri legato coniugem

coniugem, quæ quarto gradu consanguinitatis enim attingebat, abiurare cogitur, 1164
ea postea viro insigni Hugoni de Ibelin nupsiit. Confirmato Amalrico regno, Aegyptij omnium primi tributum pendere denegant. Itaque rex contra eosdem copias suas ordinúmque militarium equites educens, cùm Dargam Solthano præsidium iniit, atque hostibus fugatis superior extitit. Illi autem, ne terræ suæ maiora incommoda infera ntur, ruptis Nili aggeribus aditum intercluserunt. Hac ratione rex victor magna lætitia, cum exercitu Hierosolymam reuertitur. Sequenti anno rex iterum à Dargam in Aegyptum cum copijs euocatur, vt ei contra Syraconum Noradini exercitus ducem suppetias ferat, qui Sanarum, expulsum Solthanum restituere, & Darganum sobio deijcere proposuerat Cùm autem Dargam teloictus succubuisset, & Syraconus aliquot vrbes subiugaret, Almaricus sese Sanaro coniunxit. & Syraconum Aegypto expulit.


Fortunæ inconstantia.

Dum rex in Aegypto moram trahit, Noradini copię, cùm rerũ suarum successu elatæ sine maiori aliqua solicitudine cubarent, in finibus Tripolitanis misere caduntur à Christianis. Noradinus è strato exiliens, relicto gladio & altero pede nudus, equo insidens fuga salutem quæsiuit: nostri verò spolijs ditati domum reuersi sunt. Huius expeditionis dux erat Gilbertus de Laci vir nobilis & in armis exercitatus, fratrum militiæ templi in illis partibus præceptor. Tantum autem fugæ ignominiam Noradinus postea deleturus vires reparat, vicinorum opem vndecunque conquirit, & Arethusam oppidum corona militari cingit. Obsessis Antioche nus princeps Boamundus, Raimundus iunior comes Tripolitanus, Calamannus Cilicię prędes, & Toros Armeniorum princeps, auxilia subministrant. quo cognito, hostes inde discedunt. Hos illi acrius gloriæ cupidissimi insectantes, magnum sibi malum crearunt. Turcæ enim locorum periti, cùm insequentes palustribus quibusdam locis concluſi essent, magnam inter ipsos stragem edunt. Belli duces (quos diximus) omnes capiuntur, præter Armeniorum principẽ, qui & pedem retraxerat, & hostes longius persequi cæteros fuerat dehortatus sedulò. Dehinc Noradinus ad prędictum oppidum reuersus, illud intra paucos dies expugnat, anno 1165. Post hęc rerum successu & regis absentia fretus, Paneadensem vrbem petit, eáque potitur, ciuibus libera discedendi potestate data.

Duodecim Templarij à rege suspensi.

Bello feliciter administrato rex ex Aegypto reuersus, & ab Antiochenis vocatus, vt afflictis & penè iam desperatis rebus opem ferat, eò mox cùm Flaudrensi comite itineri se accingit, viris aliquot prudentibus regni administratione demandata. Exacto autem ferè captiuitatis anno, princeps eorum regis studio liberat, multo prius argento persoluto. Eadem tempestate Syraconus Noradini militiæ princeps duas arces occupauit, quarum vna in Sydonensi agro, altera vltra Iordanem in Arabiæ finibus sita erat. Erat hæc Templarijs militibus credita, vt ea parte vim hostilem arcerent. Itaque rex iratus duodecim ipsorum, quos proditorum loco habebat, de patibulo suspendit, anno 1166. Aliquãto post Syraconus omni militia Saracenorum & Turcarum stipatus in Aegyptum descendit, vt totam illam prouinciam domino suo Noradino armis subijceret. Sanar Soldanus extremum sibi exitium intentari, secũ tantę hostium multitudini imparem fore facilè animaduertens, Hierosolymorum regem Amalricum in subsidium vocat, præter annuum tributum quadraginta aureorum millia ei pollicens, si à tanto hoste se, & suos securũ redderet.

1166



Syraconus à nostris victus.

Pactis vtrinque ritè confirmatis, Amalricus cum Ioannitis ac Templarijs equitibus alijſq; militibus ſuis illicò arma induit, & Syraconum qui præceſſerat, fortiter inſequitur, ac tandem ad Nilum oppoſita caſtra locarunt. Syraconus enim cum ſuis flumen iam tranſierat. Mox Hieroſolymitani exercitus pars ex nauigijs & tribus (quorum magnam copiam regio illa ſubminiſtrabat) pontem ſuper Nilum extruit. Reliqua multitudo noctu nauigijs tranſportata, hoſtium cohortem, quæ inſulam Mahelech ditiſſimam occuparat, trucidat, & qui gladium effugerāt aquis ſubmerguntᵉ. Ea clade Syraconus animo fractus, motis vndiquerſis caſtris in ſolitudinem quandam clàm diſcedit. Rex relictis ad pontem cuſtodibus, magno animo (licet militum numero longè inferior eſſet) cum ſuo exercitu & Aegyptio milite ſubſequitur, ac in arenoſo quodam loco hoſtem in acie ſtantem offendit. Itaq; rex omnium primus in eam legionem cui ipſe Syraconus præerat, impetum fecit, ac tandem egregiè proſtrauit, ita vt dux in fugam conijceretur. cum reliquis diu anceps Marte fuit dimicatum. Verùm Chriſtianorum virtute & iſti in fugam conuerſi ſunt. Illi inter fugiendū fortè in regis impedimenta incidunt, & mire ſequuntur. ſicq́ue factum, vt noſtri victoria, illi verò ampliſſima præda potiti fuerint. Tum etiam hoſtes fugientes Hugonem Cæſareenſem captiuum vnà abduxerunt.

Rex Alexandria vrbe potitur.

Syraconus ex fuga iterum ſuis collectis Alexandriam contendit, quem etiam ciues intra mœnia recipiunt. Rex ſubſequens ad præterlabentem Nilum caſtra tantùm ponit, vt eos commeatu intercluderet: nā inde ciuibus alimenta adportabantur. Syraconus famem præſentiens, relicto ibi Saladino cum mille equitibus, ipſe cum reliquo milite per ſolitudinem nocturnis temporibus excedit, & ſuperiores Aegypti partes non ſine maleficio peragrat. Hunc rex inſectari cupiebat, ſed ab Aegyptijs ducibus Alexandriæ expugnationem maturandam conſulentibus, retrahitur. Admotis itaque ad vrbem machinis muros turreſq́ue concutiunt. Ciues mercemonijs non armis aſſueti, cædium, vigiliarum, timoris faciſq́ue in primis pertæſi, hoſpites quos receperant eijcere ſtatuunt. Saladinus citium

uium animo perspecto, patruum Syraconum, vt rebus afflictis citissimè opem se- 1167
rat, reuocat, ciuesq; ne moram impatienter ferāt, orat ac obsecrat. De hac re ob-
sidentes certiores facti acrius instant, hortos amœnissimos vastant, omnisque ge-
neris machinas ad expugnationem profuturas vrbi admouent, obsessósque vehe-
menter vrgent. Syraconus opem laturus, cùm ad pontem Nili nuper extructum
Hugonem de Hybelim, qui ab Amalrico rege repudiatam vxorem duxerat, resi-
dere offenderat, animo frangitur & Hugonem Cæsareensem captiuum sollicitat,
vt ipso mediante pax vtrinque sanciatur. Itaque Hugonis iussu Arnolphus qui-
dam nobilis, eodem prælio captus, regem adit, ac rem omnem ordine exponit. Pla
cet cunctis Arnolphi consilium: vnde mox vrbs in obsessorum potestatem venit,
atque Saladinus cum suis saluus dimittitur, tum etiam vtrinque omnes captiui re-
stituuntur. Hinc factum, vt Syraconus relicta Aegypto ad suos reuersus sit. Rex
etiam rebus ad hunc modum pacatis magna gloria victor ad suos remeauit, & 12
calend. septembris Ascalonem ingressus est, anno salutis 1167.

Cum rex domum reuersus esset maximo omnium applausu, nouo gaudio per- *Rex Tyri nu*
funditur. nam Mariam sponsam Ioannis Protosebasti filiam Constantinopoli sibi *ptias cele-*
adductam, domi offendebat. Itaque quarto calenda. septembris Tyri regio ap- *brat.*
paratu nuptias celebrauit. Tum etiam rex cum Manuele imperatore fœdus iniit,
atque mutua auxilia ad Aegyptum inuadendam promissa fuerunt. Nam Amalri
cus anno quinto regni sui Aegyptiorum oppulentia extimulatus, regno bellum
inferre proposuit, quod hoc prętextus titulo ornabatur, quasi Soldanus Aegypti
contra datam fidem Noradini fœdus atque amicitiam expeteret: sed reuera belli
fax primaria erat Gerbertus cognomēto Ascalit magister domus hospitalis Ioan-
nitarum. Is enim cum rege pepigit, vt victoria adepta sibi atque ordini suo vrbs
Belbeis (quæ olim Pelusium dicta fuit) cum vniuersa circumiacente regione, in
perpetuū cederet. Erat is vir magnanimus, & quadā liberalitate donandi prodigus.

Pacto eo cum rege firmato, Gerbertus omnes thesauros hospitalis domus ex- *Gerbertus*
posuit atque infinitam pecuniam vndiquaque mutuò sumpsit, ac militibus eroga- *magister ioā*
uit. dicitur enim bello illo infeliciter administrato, quòd tanto ære domum grauā- *nitarum e-*
rit, vt vix inquam sese inde liberare potuerit, sed officio cesserit, administrationiq; *xercitum a-*
renuntiarit, ac centum millibus aureorum domum obligatam reliquerit. Fratres ta *lit.*
men militiæ templi amico Aegyptiorum regno vim inferre recusarunt, atque re-
gem sequi noluerunt. Mense itaque octobri exercitus in Aegyptum contendunt,
ac transcurso heremo dierum decem Pelusium veniunt, eam vrbem intra triduum
expugnant, ac sine sexus ætatisque respectu ciues iugulant, aut vinculis constrin-
gunt. hócque modo hæc vrbs, ratione pacti prius initi, hospitalarijs custodienda
& inhabitanda traditur. Postea vrbs Cahere à nostris obsideri cœpta: præterea clas
sis Hierosolymitana Tapium ciuitatē diripit. interea Sanar Solthanus Amalrico
auri cupidissimo vicies cētena millia promittit. mox etiā centena millia soluit, qui
bus filium & nepotem Pelusij captos redemit, pro reliqui etiam intra paucos dies
soluēdo duos nepotes dat obsides. Cæterum solutionem studio de die in diem dif
fert, quo omne Aegyptum robur cogi, & Turcicum auxilium interim aduolare
posset. At cum iam Syraconus imminere diceretur, Amalricus rex partem exer-
citus Pelusij reliquit, atque cum reliquis hosti obuiam processit: sed ab ea via qua
hostis proficiscebatur aberrauit, sicque Syraconus Turcarum dux cum suis copijs
in Aegyptum peruenit. Itaque Amalricus duorum exercituum multitudine terri-
tus, Pelusium redijt, atq; præsidiarijs militibus receptis, versus Syriam tendit: sicq;
maximo sumptu Hospitaliariorum hæc expeditio in nihilum abijt.

Syraconus autem iam (quod superiore expeditione tentauerat) assequendi *Saladinus*
tempus & occasionem offerri optatissimam facilè perspiciens, ad Cairum castra *Aegypto po*
locat, atque se amicum egregiè simulat. Soldanus hospitem summa beneuolentia *titur.*
excipit, ac eum sæpius inuisit, sed tandem iussu Syraconi cùm visendi gratia veni-
ret à militibus occiditur, sicque Syraconus voti sui compassos efficitur, atque per

1170 Calypham Aegypti Soldanus designatur, sed vix anno vno exacto, è rebus humanis excedit. Huic Saladinus fratris filius surrogatus, qui Calypham summum Aegypti gubernatorem claua interimit, omnémque eius progeniem penitus excindere statuit. Thesauros etiam Aegyptiorum militibus suis distribuit, atque ad bella Christianis inferenda multò alacriores reddidit.

Legati in occidentem missi.

Illa itaque in Aegyptum expeditione rex & Hospitalarij, non tam Aegyptijs quam regno Hierosolymitano, magnum malum crearunt. Commercia enim mutua interciderunt, & quod maius erat, Noradino acerrimo hosti terra marique loca sancta pro arbitrio (nemine resistere valente) infestandi amplissima fenestra aperta. nec vllam ille occasionem neglexit. Rebus itaque omnibus ad interitum tendentibus, ad occidentis principes communi consilio legati mittuntur, Amalricus patriarcha, Ernestus Cæsariensis Archiepiscopus, & Vuilhelmus præsul Acconensis. Sed oborta tempestate subitanea vix naufragium euadentes post triduum reuertũtur. Eę postea partes Friderico Tyrensi Archiepiscopo, & Ioanni Pandedensi Episcopo demandantur, sed hoc Lutetię Parisiorum defuncto, Tyrensis post biennium infecto negotio domum redijt, quæ quidem res Christianis in Syria magnum terrorem incussit.

Damiata frustra à Christianis obsessa.

Interea Constantinopolitanus anno 1169 (vt promiserat) copias ad bellum Aegyptiacum subministrat, quæ centum & quinquaginta nauibus vectæ ad Tyrum appellunt, ac præterea alias sexaginta ad commeatum portandum paratas. Amalricus quoque omnem ex vniuerso regno militem, ipsósque militares equitum ordines cogit. Hoc modo dispositis regni negotijs, 18 calend. octobris Græcis coniunctis Ascalona soluunt. Nec etiam pedestris exercitus exiguus erat. Itaque in Aegyptũ delati, magno conatu Damiatam obsident: sed frustra in eius oppugnatione vterque exercitus desudat, ciuibus & Turcico præsidio fortiter mœnia vtribus tutantibus. Fame insuper Græca classis premebatur maxima. & oppidani repletum quoddam nauigium aridis lignis ersarmentis succẽdunt, ac flumine & vento secundo in classem oppugnantium immittunt, quo stratagemate quinque naues in fauillas redactæ sunt: tandem pace vtrinq; facta ab obsidione discessum est. Rex cum equestri quidem comitatu saluus ad patrios lares regreditur, ex classe verò paucissimę nauiculæ seruatæ sunt: reliqua nauigia mare ferè absorbuit. Aestate sequẽte magnus terræmotus in Syria extitit, qui Gabulum, Laodiceam, Tripolim, Tyrum, & multas alias vrbes miserè concussit, magna inhabitantium calamitate.

Saladinus Palestinam vastat.

Saladinus Aegypti princeps sub finem anni 1170 Palæstinam formidabili bello petit, & Daron oppidum expugnat, arx tamen salua mansit, in quam ciues vrbe amissa sese receperant: ex regijs etiam copijs, quæ obsessis suppetias laturæ aduenerant, plurimi cæduntur. Victoria hac comparata Saladinus in regnum suum redijt, nec vlterius progredi voluit, licet tantus eius exercitus fuerit, quantum terra sancta hactenus nunquam viderat: soli enim quadraginta millia equitũ fuisse perhibentur. Cum autem rex magnum periculum quod regno imminebat præsentiret, sequenti anno cum Hospitalarijs quibusdam Constantinopolim ad Imperatorem Græcum profectus est, vt cum eo consilia conferret, ac subsidia contra infideles imploraret. Proceres etiam aliquot regni ad principes occidentis ablegauit, vt rebus Christianorũ in Syria fluctuantibus subuenirent. Rex Constantinopoli summa humanitate exceptus, atq; spe plenus liberaliter dimissus fuit, qui etiam secundis ventis 17 calend. Iulij apud Sydonem cum suis incolumis applicuit. Sequenti etiam anno Fridericus Tyrensis præsul cum alijs proceribus re infecta ex partibus Occidentis in Syriam reuersi sunt.

Armenia Turcis coniuncta.

Interea Thorus Armeniorum princeps fato fungitur, atque Thomas ex sororis nepos, procerum regni suffragio rebus potitur. At Melier frater Thori assumptis à Noradino Turcis nepotem eiecit, sibiq; regnum contra æquitatem arripuit. Ipse enim Christianus existens sese Turcis coniunxit, atque eorum amicitiam deinceps semper coluit, maximo nostrorũ detrimento: statim enim potestatem consecutus fratri-

fratribus militiæ Templi quicquid in Cilicia habebant abstulit, & toto ducatu ex- 1172.
clusit, licet prius in ipsorum ordine frater extiterit. Christianos etiam hincinde captos Turcis vendidit. Itaq; Antiochenus princeps eidem bellum mouit, cui etiam rex cum suis auxilio venit. Cum autem Saladinus interim Petram secundę Arabiæ Metropolim obsedisset, rex eò properans obsidionem soluit. sicq; totum illud bellum absq; memorabili aliquo facto in nihilum abijt.

Anno postea 1172 Saladinus castrum trans Iordanē munitissimum (quod Mons regalis dicitur) tentauit. Itaq; rex regni viribus congregatis, ei in solitudinem vsq; obuiā processit. Cumitaq; Turcis res minime succederēt, Saladinus ab incœpto desistit, atq; in Aegyptū redijt. Anno etiam sequenti denuo omnem prouinciā trans Iordanem depopulatur. eodem ferè tempore Raimundus Tripolitanus comes octauo captiuitatis suę anno è vinculis liberatur, octoginta millibus aureorum pro redemptione missis, pro solutionis etiam fide obsides dati. Rex eundem liberaliter suscepit, atq; comitatum quem hactenus defenderat, restituit, partem etiam solutionis magna clementia nunerauit. *Mons regalis tentatus.*

Dum hæc alibi fiunt Assyrinorum secta (quæ in Phœnice prouincia circa Tyrum habitabat, atq; hactenus Saracenorum religionem professa erat) ad Christianorum religionem animū adiecit. Itaq; legatos ad regem miserunt, petentes, si fratres Militiæ Templi suis hominibus tributum annuum duorum millium florenorum remitterent, quod fidem Christianorum amplecti, atq; illis subsidium ferre cupiant. Rex eo nuntio lætus, legatos benignè accepit, atq; tandem ad ordinis magistrum Ottonen de Sancto Amando Tripolis existentem misit, pollicendo, si aliter fieri non possit, quod ex erario suo quotannis eam summam pendere fratribus statuerit. Dum hoc modo Bohadellę legationis princeps pergit, subito à Gualthero de Maisnilio alijsq; Templarijs ad id ordinatis, in itinere cum socijs occiditur. Rex ira percitus ab Ottone magistro ordinis petit, vt sceleris authores exhibeant, & pro merito grauiter puniantur. Cum autem impetrare nihil potuerat, apud Sydonem regni Comitia habuit, ac tandem ordinis magistrum cum quibusdam alijs Templarijs Tyri in carcerem conijci iussit. Mox etiam sese apud Assyrinorum magistrum excusauit, ac veniam impetrauit. Hocque modo factum vt rex atque Templi milites animo inuicem abalienarētur. id quod postea Christianis & regno Hierosolymitano plurimum obfuit, & ad interitum perduxit. *Assyrinorū secta à Templarijs abalienata.*

Paulo pòst Noradinus strenuus Turcarum princeps obijt, anno regni suo vicesimo nono. Itaq; rex Almaricus mox Paneadem vrbem obsedit ac recuperare statuit. sed defuncti principis vidua, certa pecuniæ summa expensa, & viginti equitib. ex carcere emissis, regis animū placauit, ita vt soluta obsidione inde discesserit. Dimissis autē copijs, cum familiari comitatu Tyberiadē peruenit, vbi etiā dysenteria in æstate laborare cœpit. Inde morbū metuens per Nazareth & Neapolim equo insidens Hierosolymam redijt. Ibi valetudine ingrauescente, febre quoque correptus fuit. Cùmque grauiter per aliquot dies afflictaretur, medicos accersiri iussit, instanter petens, vt aliqua decoctiuncula aluum soluerent. Id cùm negarent, iussit omnem euentum sibi imputari. sumpta potiuncula, atq; alui obstructione soluta, videbatur melius esse. antequam verò corpus exhaustum cibo refici posset, febris quę solita recurreret, in fata cōcessit. mortuus autē fuit quinto idus Iulij, regni eius anno duodecimo, ętatis tricesimo octauo, atq; salutis 1173. Is magno luctu iuxta fratrem ante locū caluariæ sepultus fuit. Rex enim erat prudēs & fortis, adeóq; ad regni gubernacula idoneus, vt dignus fuerit, cui diuturnior ætas cōtingere potuerit. *Noradinus Turca & Amalricus rex mortui.*

Balduinus quartus Amalrici filius, anno ętatis decimo tertio, Hierosolymorū septimus rex à procerib⁹ regni electus, atq; ab Amalrico patriarcha in Templo, quarto post pattis obitū die Idibus Iulij, diademate regio coronatus fuit. Erat is ex Agnete prognatus, quā pater ob cōsanguinitatis quartū gradū repudiarat, vt prius dictum est. Eodē tempore Alexāder 3 pontificē, Fridericus Barbarossa Imp. occidētis, Manuele Imperatorē orientis agebat. In Gallia regnabat Ludouic. in Anglia Henricus, *Balduinus 4. rex septimus Hierosolymorum.*

1173. ricus, n Sicilia Vuilhelmus 2. Præerat tum Antiochenis Boamundus principis Raimundi filius Tripolitanis verò Raymũdus iunior, senioris Raimundi Comitis filius. Cùm autem Balduinus elephantiasi correptus esset atq; ob ætatem grauissima regni negotia administrare non posset, Milo quidam de Planci homo superbus & arrogans primas sibi partes vẽdicabat. Verùm is non multo pòst à sicarijs, quos æmuli subornarant Accone occiditur, eius dignitate postea Raimundus Tripolitanus comes, cunctis primorum suffragantibus exornatur.

Saladinus Damascum occupat.

Noradinus Damascenorum princeps qui eodem ferè tẽpore obijt, reliquit Melesalam impuberem filium regni hæredem. Huius imperium magnates detrectantes, Saladinum Aegypti princip ẽ, qui Syracono patruo successerat, clã vocant, eiq; vrbem produnt. Post hæc idem Cœlesyriam petens, Heliopoli, Emissa, & Cæsarea magna nullo cum labore potitur. Ardebat animus regni & glorię cupiditate, ideóque Melesalam omnino eiectum volebat, & vt toti Orienti imperaret manibus pedibúsq; laborabat. Sed Melesalam euerti & Orientis opes Aegyptijs coniũgi minus è re Hierosolymorum erat. Itaque Tripolitanus regni administrator cum copijs & militarium ordinum equitibus hosti obijciuntur. Cotobedus etiam Parthorum princeps pupilli cuius res agebatur, patruus, aliquot turmas equitum in subsidium mittit. sed illi ad Alapiam, vbi se Melesala continebat, miserè cæduntur. Saladinus quoque Tripolitanum placat, obsidibus suis gratis illi restitutis, quos hactenus in Emissa retinuerat. Alij etiam regni proceres acceptis muneribus arma deposuerunt, & domum reuersi sunt. Aliquanto post & Rainaldus Antiochenus ac Iocelinus Edissanus multo auro ex vinculis liberantur.

Emanuel Græcorũ Imperator à Turcis victus.

Dum hæc in Syria fiunt, Manuel Imperator Constantinopolitanus ad Iconium à Turcarum Soldano acie superatur, multis suorum procerum occisis aut captis. Paulo pòst etiã anno tertio Balduini circa octobris initium Vuilhelmus Marchio de Montisferrato à regni principibus vocatus ad Sidonem applicuit, atque regis sororem vxorem duxit, acceptis dotis nomine Ascalone & Ioppe maritimis vrbibus. Verum is post medium annum Ascalone in morbum incidit, quo etiam in Iunio extinctus fuit. Corpus eius Hierosolymam perlatum, in vestibulo ecclesiæ domus Hospitalis, magna pompa terræ mandatum est. Sequenti anno Philippus Flãdriæ comes apud Acconem applicuit, & postea Hierosolymam peruenit. Hũc rex summa humanitate excepit, atq; consilio procerum regni inprimis verò magistrorum Hospitalis & Templi, administrationem totius regni obtulit. Aderant & Constantinopolitani Imperatoris legati. Flandrus autem hanc prouinciam renuit, atque sese orandi non regnandi gratia venisse callidè asseruit. Postea tractatum est de expeditione in Aegyptum, sed Flandro tergiuersante negotium non successit, præsertim cum & Tripolitano & Hospitalarijs hæc expeditio minus placeret. Itaque Flandrus sacris locis conspectis sese Comiti Tripolitano, Bohemundo, atque Hospitalarijs & Templarijs coniunxit, ac circa Emissam & Cęsaream magnã, hostium agros liberè depopulãtur. Saladinus enim de expeditione in Aegyptum edoctus omnes militiæ ciues eò contulerat. Postea Arethusam vrbem obsident & grauiter oppugnant, quam Saladinus solam Melesalæ, omni regno exuto, reliquerat.

Saladinus à Christianis acie victus.

Dum hæc circa Antiochiam aguntur, Saladinus rei præclarè gerendæ occasionem sibi offerri ratus, regnum Hierosolymitanum inuadere ac occupare statuit. Itaq; Rex Balduinus de hostium aduentu præmonitus, vocato qui supererat militi, Ascalonem contendit. Interea Barbarus, infinita eum comitante multitudine, in Christianam terram delatus agros populatur, pecora abigit, cædem miserorum facit, vicos villasqúe succendit, & haud procul ab Ascalone tentoria figit. Ascalonitis prælium detrectantibus ipse ferocior factus est. Qui autem tum Hierosolymis remanserant de fuga, si qua euadere liceret, cogitabant. Diffusis ergo hinc inde prædandi gratia hostibus, Rex militem clam Ascalone educit, vt inopinantem Saladinum opprimeret: nec eum spes fefellit. Nam expedito prius diuino auxilio in hostem impetum facit. ac cum æquo aliquandiu pugnatum esset certamine, tandẽ victoria

victoria ad regem inclinat, Saladino cum suis fugam arripente. pugnæ dies erat 25. Nouemb. anno 1177. Diuinitus hanc victoriam contigisse ex pugnantium multitudine impari constat: Saladinus enim circiter equitũ viginti sex millia, Balduinus autem vix quadringentos cum paucis peditibus habuit: continuis etiam imbribus hostis impeditus, suos ex fuga colligere non potuit, præterea fame & frigore maxima hostium multitudo absumpta est. Verùm oppugnatores Christiani ob hyemis inclementiam quoq; infecta re ab Arethusa vrbe discesserunt. Rex etiam cum suis victor & triumphans Hierosolymam rediit atq; muros vrbis, in multis locis collapsos, ex hostium spolijs piorumq; contributione restituit. 1175

Saladinus postea acceptam hanc cladem vlturus, sępius in Christianorum regiones hostiles impetus fecit, atque in primis Sydonien sem agrum grauiter afflixit. Rex ergo arma cum suis corripiens hostem reprimere tentauit, atq; partem exercitus eius prædam agentem in fugam egit. Saladinus de suorum clade edoctus, subi tò aduolat, & spolia omni metu sepositò diuidentes obruit, plurimósq; trucidat. Ot to militiæ templi magister, & Hugo de Tyberiade Tripolitani comitis priuignus capiuntur. Tripolitanus cum paucis Tyrum peruenit, Rex autẽ cum fidis quibusdam fugam arripuit, atq; incolumis euasit. Saladinus ea victoria parta, arcẽ quandam munitam, quam rex ad Iordani ripam priori anno ædificarat, atque templarijs cum circumiacẽti regione custodiendam tradiderat, obsidet ac vi expugnat. Quinq; ibi deprehensi, aut trucidati aut in captiuitatem abducti fuerunt. Paulo pòst Petrus de Cortiniaco regis Francorum Ludouici frater cum multis nobilibus in Syriam venerunt, quorum aduentu nostri diuersis casib. territi, denuò recreati fuerunt, sperantes horum ope potenti hosti sese resistere, suámq; ditionem conseruare posse. Mox etiam cum Saladino pax ad tempus sancita fuit. *Christiani victores eæduntur*

Cum hoc modo Saladinus Damascenã prouinciam pacasset, exercitum suũ contra Tripolitanum comitẽ eduxit, atq; eius ditionem vastauit. mox etiã sese in oppidum Achis recepit, atq; commodam occasionẽ cum nostris confligẽdi expectauit. Eo tempore fratres Militiæ Templi arces suas quas in ijs locis possidebant, firmauerant, atq; indies obsidionem à hoste timebant. Idem & fratribus Hospitalarijs accidit, qui contenti erant oppida sua contra hostes defendere, & opportunitate data Barbaros vagantes persequi. Nam Saladinus sese medium inter Tripolitanum & militię ordines magnis copijs locarat. Classis quoque eius subitò aduenies insulam Aradum occuparat. Id cùm comes percepisset, atq; maiora metueret, cum hoste pacem iniit. sicq; Saladinus in partes Damascenas rediit. Eodem tempore Manuel Græcorum imperator obijt, atq; Alexius filius in Imperio successit. *Tripolitani comitis pax cum Turcis.*

Interea magnæ turbæ circa Antiochiam exortæ, Boamundus enim princeps Theodoram Imperatoris Constantinopolitani neptem vxorem suam reiecerat, atque Sibyllam pellicem assumpserat. Cum etiam admissum crimen obijceretur, ira percitus locorũ præsules officio semouit ac sua ditione expulit. Itaq; vicissim ipsi eundem excõmunicarunt, atq; sacerdotibus interdixerũt, ne vel viuis sacramẽta, vel defunctis sepulturas concederẽt. Hunc etiam factũ vt multi procerũ ab eo recesserint, inter quos Rainaldus mansuetus extitit, qui exclusos præsules ad se in munitam arcẽ recepit, ac benignè hospitia prębuit. Cum itaq; rex Balduinus hoscemodi tumultus intellexisset, atq; maiora pericula, quę Christianis imminerẽt, pręsensisset, honestã legatiõe huiusmodi tumultus compescere, ac discordes animos iterũ reconcilia restatuit. Itaq; Rainaldus de Castellione (qui aliquãdo princeps Antiochenus fuerat atq; Boemundũ educauerat) pręterea Rogerus de Moris Ioannitarũ equitũ magister, ac Arnoldus de Troge magister militię Templi in eã prouinciã missi, vt scandalum admissum tollerẽt, ac partes dissidẽtes componerent. Illi primi ad Laodiceã conueniũt atq; Boamũdo principi & patriarchę Antiochię diẽ constituũt. Tandẽ res ita est cõposita, vt Boamũd. pellicẽ dimitteret, atq; clerus iterũ ad diuina officia rediret. Verũ hęc cõpositio nõ fuit diuturna: nã princeps ad priora flagitia rediit, atque multos procerũ ditiõe sua expulit, q à Rupino Armeniorũ principe humaniter *Turbæ circa Antiochiam*

excepti

1178 xceptis fuerũt. Paulo pòst etiã Melesula Noradini filius obijt, atq; Alapiam cũ reliqua ditione, cognato suo Hezedin Mussulæ dño vi testamenti attribuit & hęredẽ fecit, ne Saladinus (qui tum Aegypti regnũ pacabat) totam Damascenorum prouinciam subiugaret. Is etiam illico cum copijs aduolauit, atq; Alapiam obtinuit.

Latini Constantinopoli electi.

Hoc modo aliquandiu ab exteris hostibus pax Christianis in terra sancta fuerat, præsertim ijs qui in regno Hierosolymitano habitabant. Saladinus enim cum rege Balduino pacem seruabat, cum Damascenorum regio quæ integrum ferè quinquennium nulla pluuia rigata fuerat, omni alimentorum genere destitueretur. Verùm domestici motus, quos regij amici ciebant, trãquillitatem illam diuturnam esse non sunt passi: nam Tripolitanus comes, cui regni administratio demãdata fuerat, Hierosolymam versus iter faciens, & Biblij subsistens, æmulis apud regem eũ traducentibus, quasi regni diadema appeteret, non sine dedecore pedem referre iubetur. Eius rei authores primarij erant regis mater mulier importuna, & eiusdem frater regius Senescalus, qui absente comite ægrotum regem pro suo libitu ducebant. At regni principes magnarum calamitatum telam inde facile texi posse animaduertentes, illis inuitis comitem multo cum labore reuocant, & regi conciliãt. Atq; hoc modo discordiæ fomes iterum sopitus fuit. Eodem tempore magna quoque rerum mutatio Constantinopoli facta. Cum enim Manuel fato functus esset (qui Latinis plurimum fauebat, atq; honesta Imperij officia committebat) ac Alexius filius successisset, Andronicus patruelis eius contra Latinos turbas excitauit, atq; officijs depositis etiam vrbe vi expulit. Id quod nostris in Syria plurimum obfuit. accidit id anno salutis 1179.

Christiani Saladinum prælio superant.

Saladinus affulgente iterum belli gerendi commoda occasione, paci contra fœdus initum renuntiat, & conuocatis copijs ex Aegypto Damascum redire constituit: rex Balduinus aduentu hostium cognito & ipse regni robur vniuersum cogit, ac hosti, quem ad mare mortuum aduenturum putabat, occurrere parat, & iuxta veterem quandam vrbem, cui Petra deserti nomen (in secunda Arabia sitam) castra ponit: sed Saladinus ab itinere instituto deflexerat, & in terrã regis delatus, ad Montem regalem arcem munitam, quæ à militaribus ordinibus defendebatur, tentoria fixit. Aberant autem à se inuicem vterq; exercitus itinere trium dierum: interea Turcici satrapæ qui circa Damascum, Bostrum, Emissamq; degebant, cum eo loci regnum Hierosolymitanum defensoribus destitutum viderent, Iordanem transeunt Galileæ partes deprædantur, & Buriam castellum, ad radices montis Tabor situm, haud procul ab vrbe Naim, præter ciuium opinionem corona cingunt, & intra paucos dies expugnant. Cædes ibi plurimorum facta, & quingenti circiter in uinculis abducti sunt. Saladinus verò cum ad Montem regalem militem ex continuis itineribus fessum nõ sine incolarum maleficio refecisset, nemine obstante Damascum vsq; peruenit. Eò mox omnem Damasceni regni vocat militem, qui Aegyptijs cõiunctus terram sanctam ingreditur. Barbarus exercitus ad viginti millia æstimabatur. Balduinus in extremis rerũ angustijs constitutus erat, præsertim cum Tripolitanus comes acuta febre decumbebat. Verùm Hospitalarijs illum animantibus cum septingentis equitibus fortiter ad hostem, ad Frobolet vicum residentem, procedit. Ibidem prælio inito Christiani superiores extiterunt, hostis enim nostrorum fortitudine territus fuga salutem quæsiuit. Veruntamẽ gladio & calore solis intensissimo maxima eorum pars interijt. Postea Saladinus iterum Damascum magnis itineribus contendit.

Berythus urbs frustra obsessa.

Quum Saladino hac via res minus prosperè successisset, alia aggreditur, & ex Aegypto classem vocat, eandémq; ad Berythensem vrbem, quam oppugnare proposuerat, appellere iubet. Itaq; illa ad calendas Augusti aduolat. Saladinus etiam pedestres copias adduxit, ac terra marique vrbem indefesso studio tentauit. Præterea Saladini frater qui interim Aegyptiorum regno præerat, Darum nouissimam regni Hierosolymitanis in finibus Aegypti vrbẽ depopulatur. Balduinus ergo procerum consilio adhibito periculosiori morbo, quo cum Berythenses conflictaban-

tur, me-


tur, medelam adhibendam statuit. nam vtrunq; hostem simul reprimere vires non sufficiebant. Ergo Tyrum cum exercitu profectus, classem triginta trium nauium adornare iubet: res etiam intra dies septem mira celeritate perficitur. Dum hæc Tyri aguntur, Saladinus, cùm fortè excubitores intercepissent nuncium literarum fasciculum ad obsessos deferentem (quibus vt vrbem strenuè tuerentur, monebatur) facta ipsis certa spe de auxilio ferendo, obsidionem soluit. Itaq; rex de hostium abitu certior factus Sephorum rediit. 1180.

Saladinus aũt gloriæ ac longè latéq; dominandi libidine supra modum ardens, in Mesopotamiam bellum transfert, & Euphrate transmisso, Edessam, Carram & alias quàm plures ciuitates Mussulæ domino subiectas, partim auro partim vi expugnat: rex Hierosolymitanus commodam hosti damna inferendi occasionem arripiens, Damascenũ agrum hostili animo depopulatur, Patriarcha, qui crucis lignũ exercitui præferebat, simul eunte. Re autem fœliciter gesta, pedẽ referunt. facta sunt hæc mense octobri ann. 1180. Cumq; extero bello Saladinus implicitus diutius abesset, denuo communi consilio in Damascenorum fines mense decembri eiusdem anni fit impetus. Vicinæ etiam villæ Bostro vrbi per Tripolitanũ comitem armentis spoliantur, ac incolæ abigunt. Rex autem alia via cum maiorib. copijs incedẽs, nulli loco, nulliq; hominib. in hostium agro parcit, sed cum ipsam vrbem Damascum attigisset, regressus est Tyrum, vbi etiam D. Natalem diem magno gaudio cũ Christianis celebrauit: postea Hierosolymam rediit, atq; cum primoribus regni concentum habuit de tributo exigendo, vt Barbarorum irruptionibus maturè cum iusto exercitu occurrere posset. nam de centum Bizantijs nummis singuli Bizantij numerabantur in omnibus regni locis. *Rex vastat Damascenũ agrum.*

Ex Mesopotamia Saladinus victor reuersus, rectà Alapiã contendit, quæ totius regni robur putabat, quámq; ipse auidissimè expetebat. Eã itaq; obsidione cingit, vrbis d. Samare & alijs quibusdã oppidis (vt per legatos inscijs ciuibus petierat) donatus, hosti eã tradidit. Tanto rerũ successu Saladini, sacræ terræ principes in angustias coguntur, & clã militẽ colligũt, q̃ vicino hosti, si necessitas fortè exigeret, resistere valerẽt. Tũ etiã Antiochenus princeps Tarsum, Ciliciæ primæ Metropolim, (quam à Græcis receperat) Rupino Armeniorũ Satrapæ vẽdidit. Videbat enim quòd in tanta Saladini propinquitate eandẽ, etiã magnis sumptib. & periculis, ob locorum distantiã defendere vix poterat. Eodẽ tẽpore rex Balduinus Nazarethæ in febrim incidit, & elephantiacus morbus indies magis magisq; ingraescebat. De vita itaq; ipse desperãs Guidonem Lusignanum, cui nuper sororem viduam desponderat, comitem Ioppensem & Ascalonitanum, præsente matre & patriarcha, militumq; ordinum Magistris, regni procuratorem constituit, salua sibi regia dignitate retentáq; Hierosolyma, cum redditibus 10 millium aureorum annuatim solueudorum. Iurasse tamen Guidonem regi fertur, q̃ eo viuente ad coronam non aspiraret, nec oppida aut arces aliquot à regno abalienaret. *Alapia Turcis cessit.*

Cum interea Saladinus nonnihil à belli laboribus respirasset, in terram sanctam iterum mouet, multa castella effringit, damnáq; inhabitatoribus infinita inferr. Christianorũ exercitus, ad Sephorianum fontẽ considet, cui Pisani, Genuenses, Venetij, Longobardi & alij sese coniunxerant, cum hyeme instante à nauigatione prohiberentur. Aberat vix vno miliari hostis, vnde vrbium vicinarum habitatores metu percussi intra mœnia se continebant, minúsq; cõmeatu Castrenses iuuabant, ita vt fame in Christianorum exercitu laboratum fuerit. Ac licet sacris militibus sæpius commoda daretur occasio cum hoste confligendi, præsertim cum clarissimos ducees, & inter eos Heinricum Louaniæ in Belgia principem, secum haberent, tamen odio contra Guidonem regni procuratorem concepto, prælium detrectarũt, quãdis semper alij prætextus adferrẽtur. Itaq; hostes, cum per multos dies circa Iordanem libere prædas egissent, illęsi ad sua redierunt: id quod hactenus ijs locis nunquam contigit. Nostri verò iterum ad fontem Sephorianum regressi, hostis consilia explorabant. *Discordia Christianorum obest.*

1181. Vix aũt elapso vno mense rediit Saladinus, machinis bellicis, quæ ad vrbiũ face
Balduinus puer rex Hierosolymis. rent expugnationẽ, ijsq; fortissimis & plurib. instructus, ac perlustratis trans Iorda
nem locis, Petracensem vrbẽ, dum nuptias parat Hemfredus cũ regis sorore, obsi
det: rex obsessis mittit auxilio Tripolitanũ comitẽ, quẽ repudiato Guidone, regni
procuratorẽ iterum ordinarat. Huius fortitudinẽ Saladinus pertimescens, obsidio
nem soluit, cum iam integrũ mẽsem eos duriter pressisset. Cęterùm antequã ad hoc
bellum iret, rex infirmus Balduinũ nepotem suũ ex sorore Sybilla, annorũ quinq;
puerum in regno successorẽ, de cõmuni principum consilio, denominat. Tum etiã
Tripolitanũ comitẽ regni gubernatorẽ designat. factũ est id die 20. Nouemb. anno
1183. Sybilla illa Vuilhelmo iuniori Mõtisferrati Marchioni per 3 menses fuerat ma
trimonio iuncta, ipsoq; post in fata cõcedente, ex eo hunc Balduinum filiũ posthu
mum progenuit, illaq; deinde Guidoni nupsit, Hãc aũt regis constitutionẽ Guido
ægerrimè tulit, adq; vrbẽ suam Ascalonẽ accessit. Cum itaq; Patriarcha atq; Hospi
talis & Templi magistri imminentia pericula ex hac cõtentione præsentirẽt, in vr
be Acconensi, vbi rex principũ cõuentum agebat, ad regẽ accedũt, atq; supplices
petunt, vt Guidonẽ in gratiã recipiat, quo maiora regni incõmoda præcaeantur.
Nihil aũt efficientes, aliis non expectatis, ex conuentu discedunt, itavt de mittẽdis
legatis ad principes occidentis nihil certi constitui potuerit.



Magistri ordinum militarium in occidentem legati missi.


Ex eo tẽpore regnũ Hierosolymitanũ semp in peius ruere cœpit. In rege eñ Bal
duino q & corpore & cõsilio ob infirmitatẽ parũ valebat, ferè nulla erat spes, in re
ge puero adhuc minor, q ob ætatem immaturã tantę dignitatis onus ferre non po
terat: Guidonis etiam & Raimundi Tripolitani simultates regni rebus plurimum
obstabant: præterea idẽ comes Tripolitanus cũ Barbaro amicitiã nimis suspectam
contraxerat, ita vt rex cogitaret ipsum tanquã Christianę reipub. hostem decernen
dum. Itaq; Balduinus solius Vuilhelmi Tyri Archiepisc. & vtriusq; ordinis eg tum
magistrorũ cõsilio vtebat, qui censebãt ab occidentis principib. Christianis per le
gatos auxilia petenda. Cõsilio ergo procerũ regni congregato, Heraclius patriar
cha Hierosolymitanus, Rogerius de Molins octauus Ioannitarũ, & Arnoldus Tẽ
plariorũ equitũ magistri legati electi, qui ad Lucium 3 pontificẽ Rom. Fridericum
Impp. Philippũ Gallię, & Heinricũ Angliæ reges accederẽt, & vtrebus afflictis in
oriente succurrerẽt, ardentib. votis impetrarent. Legati suam operã pollicentes ex
portu Acconensi soluerũt, & felici nauigatione in Italiã traiecerunt. Cum aũt eo tẽ
pore magnę turbę inter Luciũ pontificẽ, & ciues essent ortæ propterea qd ipse Cõ
sularẽ dignitatẽ abrogare statuisset, legati aliquãdiu apud Vuilhelmũ Siciliæ regẽ
permanserunt, atq; tandem ad Concilium Veronense peruenerunt. Ibidem

Ibidem legati magna diligentia in præsentia Pontificis & Imperatoris petitionem Christianorum Orientalium proposuerunt, atq; omnes principes attentos habuerunt. Legatis auditis pontifex author fuit, vt ijdem in Galliam tederent, atque Philippo persuaderent vt & ipse cum copijs in Asiam trajceret. Id enim si fieret, alios Christianorum principes promptissimos futuros. In eo itinere Arnoldus Templariorum magister obijt, atque reliqui duo cum comitatu Lutetiam peruenerunt. Rebus ibidem fæliciter peractis, spe pleni in Angliã trajciunt, postea quoq; Germaniam percurrunt, atq; eò rem deducunt, vt hinc inde maximi exercitus atq; bellici apparatus colligerent, quò sequenti æstate expeditio contra Barbaros in Orientem fieret. Itaq; legati primò Veronam, postea in Siciliam, & tandem Hierosolymam reuersi sunt. Sed paulo pòst simultates inter põtificem & Imperatorem recruduerunt, atq; crudele bellum inter Gallum & Anglum inchoatum: quinetiam Vuilhelmus Siciliæ rex Græciæ oram vastauit. Mox quoq; Lucius Papa moritur, atq; Vrbanus 3. in eius locum eligitur, qui ob plurimas turbas in Occidente motas Turbanus dictus fuit. Hisq; de causis cœpta illa in Orientem expeditio omissa fuit. Id cum rex per literas amicorum cognouisset, mœrore & angustia magis, quàm dolore aut acerbitate morbi extinctus est, vir nulli regum vel animi fortitudine vel laborum patientia postponendus: obijt 16. die Maij anno regni 12. ætatis 25. salutis 1185. Cadauer eius magno luctu in regum Mausoleo iuxta Caluariæ locum reconditum fuit. 1183. *Balduinus rex mœrore obijt.*

Rege sepulto, Balduino 5. adhuc puero existenti regnum confirmatur. Tum autem scintillæ quæ iam sub cineribus latuerant in magnum incendium exiuerunt. Raimundus enim Tripolitanus comes omnem regni administrationem ac regis pueri Balduini tutelam sibi integram deberi contendit, atq; à proceribus regni in publicis comitijs ferè obtinuit: at Sybilla defuncti regis soror & viuentis pueri regis mater Guidonem maritũ suum instigat, vt competitori Tripolitano nullo modo cedat. Guido etiam quod volebat, minis à regni proceribus extorquet. Verùm septem mensibus lapsis Balduinus rex puer quoq; obijt, atq; ad auunculum suum sepultus fuit. ferebatur autem tum vulgò quod à matre lento veneno, regni cupidi tate, sublatus fuerit. Eius etiam obitum mater non prius aperuit, quàm ab Heraclio patriarcha alijsq; proceribus regni impetrarit, vt Guido maritus rex declararetur. Cum etiam Gerardus Ridefordius Templi magister Coronam & reliqua regni insignia apud se custodiret, ingenti pecunia accepta reddidit, atq; vt Guido statim coronaretur author fuit: hac ratione factũ, vt vno eodémq; die Balduini exuuiæ terræ mandarentur, atq; Guido rex coronaretur. Hunc etiam eius conatũ Bonifacius Montisferrati Marchio, qui tum cùm non contemnenda militum manu in Syriam veneraf, plurimum adiuuit. *Balduinus 5. rex Hierosolymorum veneno tolli tur.*

Cùm hoc modo Guidoni regnum aliquo modo esset confirmatum, atq; Tripolitanus videret se omni spe regni decidisse, ira exæstuans, omnem lapidem mouere cœpit vt Guidoni rebus obsistere posset. Saladinus animum ægrotum & regnandi cupidum magis impellit, eiq; suam operam addixit. Id officij genus Raimũdus auidè arripuit. Fata enim regnum Hierosolymitanum appetebant, & ad miserabilem ruinam trahebant, præsertim cum populus regi atq; templarijs esset infensissimus, quasi iura regni pecunia vendidissent, atq; sacra profanis passimmiscerẽt. Itaq; Saladinus fœdus cum Tripolitano inijt, ac missis passim nũtijs, Turcas, Saracenos ac Aegyptios arma capessere hortatur, vtendum enim occasione hac maxima, nimirum discordia Christianorum principum, ex præda etiam diuitias pollicetur amplissimas. Vrbs Acconensis locus constitutus, in quo omnes copiæ conuenirent. Itaq; ex omnibus locis religionis odio & spe prædę, quam Saladinus omnem proposuerat, tãtus exercitus conuolauit ex omnib. Barbarorum locis, vt ad 50. millia equitum, & infinitus numerus peditum conueniret, quibus etiam per Hierosolymitanorum fines tutum iter non patebat, Tripolitanus comes per Tyberiadis, Nazarethanum, & Galilææ agrum saluos deducit. *Guido rex Hierosolymis.*

1186.



Hospitalari ordĩ insignis de Turcis victoria.

Copijs Barbarorum omnibus congregatis, Saladinus vrbem Acconam (quę & Ptolomais dicitur) primo obsidere atq; bellicis machinis oppugnare statuit. Erat autem hæc vrbs iam dudum à regibus Hierosolymitanis militarium ordinis equitibus Hospitalarijs & Templarijs tradita, vt ijs in partibus rempublicam Christianam fortiter contra Barbaros irrumpentes defenderent, atq; eam vrbem conseruarent. Itaque fama huius belli euulgata, omnes suas vires eò contulerant, armis & commeatu communierant, magistris ipsis ordinum præsentibus. Cum autem Saladinus timeret ne & Guido nouus rex cum suis copijs aduentaret, atque ordinum Magistris succurreret, statuit vrbem ipsam oppugnare & in suam potestatem redigere, omnibus incolis interfectis. Itaque die primo Maij constituto, Barbari omni genere telorum & machinarum in vrbem impetum faciunt, atque per scalas vrbis mœnia superare contendunt, idqué ea hora cum Christiani in templo rebus diuinis vacare statuerant. Verùm Christiani fortiter turres & mœnia defendebãt, atque Barbaros magno clamore ascendentes præcipites deijciebant. Cùm hoc modo ad mœnia pugnaretur, ordinum Magistri cum selecta equitum manu per auersam portam erumpunt, castra hostium inuadũt, ac obuios quosq; obtruncant. cadentium ploratus ad aerem attollitur, atq; funestam cladem Barbaris ad mœnia pugnantibus denunciat. Mox etiam nostri à tergo oppugnantes vrbem inuadunt ac omnia prosternũt: itaq; Saladinus castrorum clade attonitus, oppugnatione omissa, ingruenti hosti occurrit & prælium cruentum inijt. Pugnabat etiam Tripolitanus pro Barbaris, sed habitu mutato & facie fucata, qui Volonum manu in omne scelus promptissima per medias acies in Magistrorum cohortes irrupit, idq; potissimum odio Templarij ordinis. Cum autem is in diuerso loco pugnaret, in loannitarum magistrum incidit, atq; eundem viriliter resistentem equo deiecit, qui etiã armorum onere oppressus, & multitudine hostium instantium obtritus interijt. Id cum loannitæ sensissent, dolore & ira perciti hostem loco pellunt, atq; strenue pugnando Christianis egregiam victoriam, sed sibi cruentam ac luctuosam, compararunt,

rarunt, fortiſſimi enim quiq; cum ſuo magiſtro occubuerunt. In hoc prelio ex Turcis ad quindecim millia perierunt, alij ſibi fuga vitam conſeruarunt: contigit hæc memorabilis victoria Chriſtianis calendis Maij anno 1187. 1187.

Cùm Saladinus vi nihil præclari contra Chriſtianos agere poſſet, rem dolo aggrediendam cẽſuit. Itaque author eſt Tripolitano vt amicitiam cum rege ſimulet: placet viro cõſilium, móxq; regis per legatos amicitiam ambit. Ex cõpoſito quoq; Barbarus, omiſſa Accone, Tyberiadem quæ Tripolitano parebat oppugnare ſtatuit. Vnde Tripolitanus à rege & militiæ ſacræ ordinibus auxilium petijt, conſilio itaq; habito Chriſtianorum vires per Aſiã congregantur, quibus ſe etiam Tripolitanus coniunxit. Mille 500. equites, & 15. millia peditum æſtimabantur. At hoſtium exercitus equitum 120. millibus, peditum verò 160. millibus conſtabat. Ad ſubleuandam igitur Tyberiadis obſidionem profecti, ad Sophoritanũ fontem caſtra ponunt: in itinere mox obuium hoſtem habuerunt, qui in ſingulas occaſiones intentus, cõmodiſſimis quibuſq; locis regios arcendos ſtatuebat. Itaq; 4. Nonas Iulij atrox pugna cæpta, quam etiam, omnib. ſolis ardore feſſis, nox tãdem diremit. Postridie prælium reſtauratur in quo Barbari, Tripolitani proditione & turpi ex acie fuga, ſuperiores extiterunt. Cum Guidone rege Gerardus Templi magiſter ac Bonifacius Mõtis ferrati Marchio viui in hoſtium poteſtatem peruenerunt. Capta etiam ſacroſancta crux, quam Acconenſis præſul exercitui prætulerat. Omnes hoc prælio Chriſtianorũ orientalium vires conciderunt. Tẽplarij etiam & Hoſpitalarij omnes, quos Barbarus miles ceperat, cũ fugere nollent, miſerè trucidati ſunt: hinc etiam factum vt multi noſtrorum ſeſe Hoſpitalarios aut Templarios profiterentur vt martirij gloria de hoſte triumpharent. Rainaldus etiam Caſtellio, qui ſæpius Barbaros fuderat, cum ad Tyrãnum duceretur, ab eodem gladio per iugulum adacto obtruncatus fuit. *Raymundi proditione Chriſtiani vincuntur.*

Prodita hac ratione à Raimundo re Chriſtiana, cætera omnia Barbaro prona fuerunt. Ptolemaide enim, Biblio, & Berytho ſpontanea deditione potitus eſt. in deditione Saladinus victor mitis ac liberalis erat, nec religionis Chriſtianæ quenquam, præter Latinos, vrbibus excedere iubebat, modò æquo cum cæteris iure viuere, ac tributum conferre pollicerentur. Calamitatem præteritam & futurã multa præceſſerunt prodigia, crebri horrendique terræ motus, venti atroces, ſolis defectus, grandines frequentes inſtar oui anſerini, mare redundans æſtu ſolito maiore. Regis etiã cubiculario prægrandis aquila 7. iacula vnguib. vncis geſtans, & Chriſtianorũ copias circũuolitans per quietẽ viſa, quæ humanã vocẽ ædebat, Vę Hieroſolymis: Accedebat vita ſacerdotũ diſſoluta, ac plebis obrutę ſcelerib. mali mores. nec etiã patriarcha Heraclius integrè vixiſſe traditur. Cũ itaq; hoſtis totã regionem, quæ inter Sidonem & Aſcalonem ad mare ſita eſt, præter Tyrum intra menſem occupaſſet, exercitum ad Aſcalonem vrbem admouit, atq; tandem per 9. dies fruſtra oppugnauit. *Ptolomais hoſti ceßit.*

Dum aũt Barbarus timeret ne obſeſſorum virtus victoriæ ſuæ curſum impediret, deliberatione habita, diſceſſit, atq; rectà Hieroſolymam ſanctã vrbem & regni caput petijt. Mox etiam legatos in vrbẽ miſit, atq; vt ſeſe & fortunas dederent ciuibus conſuluit, verũ legati infecta re diſceſſerũt. Itaq; vrbem obſedit, & per 14. dies omni genere machinarũ oppugnauit. Cùm aũt ciues viderent regni vires ac militares ordines proxima pugna maiori parte occubuiſſe, nec ab exteris vlla ſubſidia ſubuenire poſſe, certis conditionibus vrbs Saladino tradita, nimirum vt ciuibus vel manere vel incolumes cum faſciculis, quos ſinguli humeris ferre poſſent, abire liceret. Latinis tamen ad habitandum vrbs negata, atq; Syris, Græcis, Armenis, Iacobitis, Georgianis, & Neſtorianis ſtationes deſignatæ. Incidit hæc calamitas in ſextum Nonarum octobris anno ſalutis 1187. cum Chriſtiani eam per vndenonaginta annos inhabitaſſent. Mox etiam Latini parentes cum liberis, nobiles cum plebeis magno luctu vrbe exceſſerunt, atque Tripolim, Tyrum, aut Antiochiam petierunt, quæ ſolæ tres vrbes in hiſce tumultibus Chriſtianis ſaluæ permanſerunt, *Hieroſolyma à Saladino occupata.*

1187. omni circumiacenti ditione in solitudinem quandam redacta. Deinde etiam Turcæ Hierosolymam ingressi Templum Domini prophanarunt, atq; aqua rosacea lotum suæ superstitioni dedicarunt, reliqua equorum habitatione facta, solum Dominicæ resurrectionis phanum à Surianis ingenti auro redemptum. Hanc calamitatem Tripolitanus etiam auxit, atq; miseram Christianorum gentem exulantem cõpijs suis aggressus dissipauit, ac crudeliter omnibus sarcinis spoliauit, ita vt plurimi fame & frigore perierint. Paulo pòst tamen etiam Tripolitanus nocte quadam in cubili suo mortuus inuentus, atq; (vt Vincentius refert) circumcisus, quòd defectionis non modò à rege Guidone, sed etiam à Christiana religione euidens fuit argumentum. Perierunt in hisce turbis vltra viginti millia Christianorum.

Saladinus ad Tyrum castris exutus.

Exinde Saladinus iterum Ascalonem obsidione cingit, atq; omni genere machinarum expugnare contendit: cum autem ciues fortiter resisterent, atq; subsidia Christianorum aduentare dicerentur, æquas pacis conditiones obtulit, atq; omnis generis humanitatis officia pollicitus fuit: itaq; decima die obsidionis vrbem occupauit, quæ propugnatoribus ferè erat vacua. Inter pacis conditiones erant vt Guido rex cum Gerardo Templariorum magistro ex captiuitate liberarentur, atq; incolę cum omni suppellectile ad Christianos migrare possent. Postea quoq; Tripolim tentauit, sed infecta re inde discessit, atq; vrbis cura Antiocheno principi commissa fuit. Inde ad Tyri oppugnationẽ Saladinus cum exercitu progressus, eò sese Conradus Marchio Montiferrati Græcorum nauibus vectus contulerat, atque Christianis exulibus vndiquaque concurrentibus, ciuium hortatu, eãdem vrbem munierat & cõtra Barbaros fortiter defẽdere statuerat. Cum ergo Saladinus signo dato vrbem horribili clamore oppugnaret, Christiani magno animo restiterunt, atq; plurimos à mœnibus præcipitarunt. Margaritus etiam classis Siciliæ prætor hostium naues, quas vndiquaq; collegerunt, incendit ac dissipauit. Itaq; Saladinus cum à fronte & tergo peteretur, metu territus, obsidionem soluit, atq; castris exutus fuit, quæ etiam à nostris directa fuerunt.

Antiochia Turcis prodita.

Paucis diebus trãsactis Saladinus copijs restauratis in Antiochenum agrum duxit, atq; viros & oppida miserè vastans, omnia in potestatem redegit, sola vrbe Antiochia excepta. Cum autem videret aperto Marte id uix fieri posse, proditionẽ tentãdam existimauit. nec spe falsus fuit. Patriarcha enim largitionibus corruptus arcem vrbis prodidit atq; præsidium Turcarum recepit. postea quoq; vrbs occupata: ciuibus potestas oblata ibidem in pristino statu permanẽdi, siue ad alia loca migrandi. Factum est id anno nonagesimo, postquam à Boemundo principe in manus Christianorum peruenerat. Fama amissæ inclytæ huius vrbis nõ modò Orientales sed etiam Occidentales Christianos plurimũ deterruit, atq; Vrbanum 3. Pontificem eò adegit, vt in itinere ad Venetos Ferrariæ mœrore subsitierit, & febre correptus mortuus fuerit. Huic successit Greg. eius nominis octauus. Cũ autipse bellum inter Pisanos & Genuenses cõponere cuperet, vt rebus Hierosolymitanis Christiani coniunctis viribus succurrerẽt, die 60. pontificatus quoq; Pisis decessit, atq; Clementem tertium successorem suffragantibus plerisque habuit.

Orientales Christiani ab occidẽtalibus auxilia impetrant.

Vt ergo Clemẽs in Gregorij locum, ita & eius solicitudines subijt, atq; cunctantes principes instigauit. Aderant etiam ex terra sancta legati, nimirum Heraclius Patriarcha Vuilhelmus Tyri Archiepiscopus & militarium ordinum magistri. Illi Rauennam primò peruenerunt atq; Ottoni Archiepiscopo persuaserunt, vt sacræ militiæ nomen daret, idem etiam Hugbaldo Lanfranco Pisano præsuli persuadẽt, qui Reipublicæ Pisanæ classi, quæ 50. triremib. constabat, præficitur, vt etiam Rauennas Venetorum nauibus: hisce etiam Genuenses accesserunt. postea per alpes in Galliam transgressi sunt, Heinrico Pontificis legato eos comitante. Philippus Galliæ rex, atq; Heinricus Angliæ in Vellocassibus cõueniunt atq; Tyrensis præsulis eloquentia persuasi, militiam sacram professi sunt, atq; crucem belli tessaram susceperunt. Hisce sese Otto Burgundiæ dux adiunxit. Frisones quoque & Dani quinquaginta triremi classe, atq; Flandri 37 subsecuti sunt. Syriæ Legati postea Germa-

Germaniam peragrant atq; efficiunt vt & Fridericus Barbaroſſa inuictus Romanorum Imperator vnà cum filio Friderico Sueuiæ, Bertholdo Morauiæ, Hermanno Badenſium, Lupoldo Auſtriæ ducibus crucem aſſumpſerint. Hiſce ſeſe Cameracenſis, Rothomagenſis, Veſontinus, Tarantaſianus, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Miſnenſis Herbipolenſis, & Veronenſis præſules cum innumeris alijs Comitibus & nobilibus ex varijs prouincijs coniunxerunt. Bela etiam rex Vngariæ, ne ſacrum bellum impediret, pontifice adhortante, cum Venetis duorum annorum inducias ineunt. Vuilhelmus quoq; Siciliæ rex mare à Pyratis pacatum reddidit, atq; ex Sicilia & Apulia Chriſtianis annonam ſuppeditauit. 1188

Cum autem eodem tempore paſſim virtus Hoſpitalariorum & Templariorum fratrum per Europam prædicaretur, vt qui ſoli hactenus Barbaris reſtitiſſent, atque plerique pro religione Chriſtiana fortiter pugnando occubuiſſent, multi comitum & nobilium eos ordines profeſſi ſunt, atq; paterna bona Teſtamento ęd. to ipſis attribuerunt, quo infidelibus perpetuò reſiſtere, atq; vbicunque locorum eſſent, Chriſtianam religionem pro ſua virili tueri poſſent. Hacqúe ratione paſſim Ioannitis Hoſpitalarijs atq; Templarijs plurima bona acceſſerunt, quibus etiamnum vtuntur & fruuntur. Tum etiam in Gallia decretum, vt omnes qui domi, ſiue Eccleſiaſtici ſiue politici eſſent, permanerent, ſuarum rerum decimas penderent quas Saladini decimas vocarunt. In Anglia quoque Portoria, vectigalia, & prę-ſe-cturæ oppignoratæ aut vẽditæ, vt expeditio hæc rectius procederet. In Germania tantus fuit apparatus, vt Imperator ſexcenta millia fortiſſimorum virorum ſecum perduxiſſe ferat. Horũ teſſera in armis veſtibúſq; depicta fuit. circulus cũ cruce impoſita, quo Symbolo Ieſum Chriſtũ dominum noſtrum crucifixum toti terrarũ orbi præeſſe debere indicare voluerũt. Huiuſmodi tamen bellici apparatus non eodem tempore, ſed ob alia incidentia negotia, paulatim & poſt ſucceſſionẽ à principibus ſuſcepti fuerant. *Hoſpitales S. Ioannis opibus aucti.*

Saladinus occidentalium apparatu cognito Guidonem regem, quem contra fidem Aſcalonenſib. datam per annum adhuc in vincuiis detinuerat, dimittit, accepto ab eo iuramento, nunquam ſe regni ius armis proſecuturũ aut vindicaturum. Ea verò ratione exteros milites placatum iri ſperabat. Sed Pontifex atq; Patres cenſuerunt hoſti hac in re fidem ſeruandam nõ eſſe, cùm Saladinus regem diutius quàm conuenerat, captiuum retinuiſſet. Poſtea Guido regio nomine tumens, ſeſe Tyrum contulit. Verum à ciuibus excluditur, Conradus enim Montis ferrati Marchio, Græcorum nauibus aduectus, Tyrum, ciuibus orantibus & in verba eius iurantibus, defendendam ſuſceperat, hoſtémque inde Saladinum fortiter repulerat. Guido itaque collecta vndique manu Ptolomaidam corona cingit, Chriſtianis in Syria diſperſis vndique ad ipſum confluentibus. Superuenerunt etiam paulatim Cruceſignatorum ex occidente copiæ, atq; primo Venetorum & Piſanorũ claſſis, Iacobus etiã Auienus cum Brabantinis, Danis, Friſijs, Holandis & Flandris in Siciliam per fretũ Gaditanum, ingreſſus, apud Meſſanã ſoluũt, atq; primo Affricanis, qui Hiſpaniam ſępius depopulabant, bellum faciunt, Syluina ipſorum vrbe die quadrageſima expugnata. Illi cùm tardius in Aſiam venerunt, ſeſe Guidonis copijs ad Ptolomaidam coniungunt. *Chriſtiani Ptolomaidã obſident.*

Cùm hoc modo Ptolomais grauiter à Chriſtianis vrgeretur, Saladinus copijs vndiq; comparatis obſeſſos liberare, & Chriſtianos depellere ſtatuit. Itaq; à ſeptentrione impetu facto multos noſtrorũ proſternit & obtruncat. Verũ Friſonũ fortitudine repulſus, receptui cecinit. Interea ex Gallia & Germania ſubinde noui milites cũ Bertholdo Zaringiæ principe & Alberto Hapſpurgenſi comite in caſtra venerunt. Mox etiã Saladinus cum inſtructo exercitu redijt, atq; noſtros ad pugnã prouocauit. Ab initio res Chriſtiana ſuperior erat, ſed timore ſubito orto fuga ſubſecuta, niſi etiã Gaufredus regis frater cum hoſpitalarijs, qui ad caſtrorũ cuſtodiã relicti fuerant, hoſtem intrepidè inuaſiſſent, atq; in fugam egiſſent, ingens clades accepta fuiſſet. Perierunt tñ duo millia Chriſtianorũ, cum Gerardo Templariorũ magiſtro. *Dubio Marte ad Acconem pugnatur.*

1189 Postea Saladinus ex Alexandria classem aduocauit, atq; vrbi obsessæ milites, arma ac annonã vi intulit. Itaq; oppidani ferociores facti sæpius in nostros erumpebant atq; in opprobrium, imaginẽ crucifixi in muro erectam flagellabãt. Barbari etiam fretum occupantes, annonã omnem & peregrinos aduenientes intercipiebant ita vt maxima fames in Christianorũ castris oborta fuerit, nisi etiã Heinricus Campanię Comes fortuitò cũ sua gẽte aduenisset, atq; nostris animũ reddidisset Christiani obsidionem vrbis reliquissent. Hoc modo tam Barbari quàm nostri sesquianno in obsidione peracto, sub pellibus hyemis sæuitiam & imbres perpetuos ferebant, ac veris initium & Christianorum principum aduentum expectabant.

Principũ dissciordia ob regium titulum.

Interea Christianorum principes ad obsidionem Acconensem nouas discordias alere cœperunt. Cum enim Guidonis vxor Sybilla ac quatuor eius liberi mortui essent, Hemfredus de Torono, cui olim Balduinus sororem Isabellam desponsarat, regni titulos vsurpare cupiebat, præsertim cùm Henricus Campaniæ comes & aliqui procerum ei astipularentur. idem & Conradus Montisferratensis Comes petebat, qui Tyrum vnicum Christianorum refugium in sua potestate habebat. Hæc trium virorum contentio cum Christianis in obsidione periculosissima esset, primates regni tandem statuerunt, vt regius titulus apud Guidonem permaneret, qui prius electus ac publicè coronatus fuerat. quod autem summam contentionis pertineret, iudicium Imperatoris Friderici expectandum, qui iam in itinere cum suis copijs esse dicebatur. sicq́ue discordia illa principum sopita fuit. postea statim oppugnatio cœpta atq; scalæ muris admotæ, machinęque adiunctæ: verùm eæ ab hostibus demolitæ & incensæ, magno nostrorum luctu. Hostes successu elati die ascensionis Domini vrbe erumpũt atq; castra inuadunt. cum autẽ nostri milites resistterent, in vrbem repulsi sunt. Veronensium virtus tum maximè apparuit, qui fugientem Barbarum in vrbem insecuti: verum instantium multitudine premissi pro muris suspensi fuerunt. Interea Saladinus cum classe Aegyptia appropinquat, vt suos obsidione liberet, & nostros propulset. Itaq; Christiani illi obuiam pergũt, atq; crudele certamen terra mariq; ineunt, tandem etiam victoriam cruentam nostri obtinuerũt. Tanta autem ad Ptolomaidam Barbari clade affecti, eorũq; vires adeò fractæ sunt, vt nec terra nec mari in Christianos aliquid moliri tum amplius fuerint ausi: atrocissima hæc pugna in Calendas Iulij anni 1189 incidit.

Friderici imperatoris in Syriã expeditio.



Eodem ferè tempore Fridericus Imperator ciuilibus bellis compositis cum Germanię principibus Norinbergiæ Comitia celebrauit, atque vt omnes copiæ Ratisbonæ illicò conuenirẽt statuit, vt expeditio in Syriam contra Barbaros susciperet. postea instructis nauib. Vuiennam descendit, atq; Lupoldum Austriæ marchionem in consortium belli secum abduxit. Deinde Budam peruenit atque Belæ eius nominis tertij regis Vngariæ filiam Friderico filio suo Sueuię duci despondet. Itaque annonæ copiam & iter tutum habuit. Inde Bulgaria & Tracia em ensus atque aliquoties insidias passus, Constantinopolim cum suis peruenit. Ibi quidem magnificè ab Isacio Angelo Græcorum impetatore susceptus fuit. Cùm autem Græcis tanti imperatoris potentia suspecta esset, illicò suadere incipiunt vt Bosphoro traiecto in Asiam festinaret, antequam Christiana respublica grauius aliquid à Turcis pateretur. Itaque Fridericus obsidibus acceptis mare transijt, ac in Lycaoniam peruenit. Cum autem Iconienses Turcæ ei vias occludere molirentur, eos maxima clade affecit, Iconiumq; expugnauit & militibus diripiendã concessit, memor iniuriarum quas olim Conradus patruus ibidem à Solthano acceperat. Postea in Ciliciam progressus, intellexit Saracenorum magnũ numerum Tauri montis fauces insedisse, ac transitum negare. Præmissis itaq; quibusdam copijs in eos impetum facere, atq; paulatim recedendo in planitiem insequentes hostes tradu-

traducere iussit. consiliumqûe processit. Ibi enim Saraceni circundati, atque trucidati fuerunt. 1190

Ad Philomelam deinde vrbẽ peruenit, quam Soldanus omni genere armorum communierat. Cum etiam Imperator vrbis deditionẽ per legatos peteret, ciues, iu regentium violato, legatos interficiunt, ac portis apertis nostris occurrunt: verum magna clade in vrbem repelluntur. Postea vrbs oppugnatur, & portis effractis diripitur, & in cineres redigitur, omnibus incolis interfectis. Deinde Armeniã mino rem intrat, ac vrbem Melitenem expugnat. Cùm autem Saraceni ingenti exercitu in subsidium vrbis venissent, eos pugna aggressus egregiè vicit, ad ducenta mil lia interemit, ac omnia vicina loca in potestatem redegit. Hac Friderici fortuna vidini Reguli permoti ingentibúsq; donis missis, amicitiam eius ineunt, fœdera firmant, & in verba eius iurant. In Comagenam inde progressus, Saphadinum Salaadini filium ingenti exercitu obuiam habuit, eundem ergo aggressus fortiter vicit, ac in fugam coniecit. dum autẽ cedentibus instat, præaltum fluuium Sarum quem nunc Selephium vocant, inexplorato vado transmittere conatur, atq; equo offendente, iam grauis ætate lapsus est. Equo autem natatu ad citimam ripam reuerso, aquis ferè suffocatum Imperatorem & stapedi inhærentem ita affecit, vt inter manus suorum vix respirare atq; oculis in cœlum intentis hæc verba effari potuerit: O per omnia laudandus Deus, qui vt per aquam in hunc mundum natum peccatorem regenerauit, eundem per aquam sceleribus purgatum, ad æternam vitam recipere dignatur: Accipe Iesu Christe spiritum meum.

Imperatoris successus.

His dictis atque nutu faciei suis valedictis expiranit, magno totius reipublicæ Christianæ luctu & detrimento. Saladinus enim victorem appropinquantem adeò exhorruit, vt non modò Syriam relinquere, sed etiã de Aegypto sollicitus ad Cayrum sese conferre statuerit: loca etiam omnia per quæ Imperator transiturus erat, deripere & excindere, prouincias flamma depopulari, Biblium, Berithum, Sidonem, & Lãodiceam muris nudari iussit. Periit autem Fridericus Barbarossa anno ætatis suæ 70, Imperij 38, salutis nostræ 1190 quarto idus Iunij. Corpus eius in exercitu Christianorum mansit, ac postea in Tyrensi ecclesia regio funere conditũ fuit.

Fridericus victoriæ interitus.

Friderico Imperatore hoc modo extincto, paternum principatum omnium principum suffragio Fridericus eius filius dux Sueuiæ suscepit. Is primo legatos ad Guidonem regem Ptolomaidam transmisit, atq; de rerum suarum statu certiorem reddidit, eosdem etiam vicissim explorare iussit, quo loco res apud Christianos sint constitutæ. Vix autem legati castris egressi erant, ipsi Saraceni Imperatoris mortem audita, Christianorũ copias interitum Friderici lugentes, ex improuiso obruerunt atque insignem cladem inferre appropinquarãt. sed equorum hinnitu & armorum fragore consilium proditum minus feliciter successit. Prima dimicatio circa Austriacorum tentoria oritur: mox etiam Sueui, Saxones, & Franci valida manu hostem irrumpentem aggrediuntur, ita vt ancipiti marte diu pugnaret. Tandem Barbari fortuna inclinante sparsim per agros fugam ineunt, hostem nostri segnius insecuti, cùm & mœror & lassitudo res impediret. Igitur signo dato ad castra redierunt. postea hostes circumiacentem regionem vastant, & annonam corrumpunt, vt fame grauissima nostri laborare cœperint. Superueniunt etiam Guidonis regis Legati qui Fridericum properare, adq; obsidionem Acconensem venire iubent, antequam clade ingenti Christiani ibidem afficerentur. Cum autem exercitus fame & morbis confectus esset, Fridericus Antiochiam accessit, atq; vrbe recepta à quibus Christianis benignè milites refecti fuerunt. Per quindecim dies ibi in otio existentes, Fridericus arma reficere iussit, vt Christianis ad Acconem succurrere possent. Id cum cœpissent, grauissima pestis seuijt atque indies optimos quosque milites sustulit, ita vt princeps vrbem relinquere, aerem mutare, atque in vicinis vrbi locis consistere coactus fuerit.

Turcæ & Saracẽi à Christianis victi.

Cum Fri-

1109 *Theutonicorum militũ B. Mariæ ordo confirmatus.*




Cum Fridericus exercitũ ad triginta millia passuũ ab vrbe transtulisset, Bremenses & Lubecenses quidam ægrotorum, qui hinc inde dispersi iacebant, miserti, vela nauibus, quibus nuper aduenerant detrahunt, ac ex his tentoria conficiunt. In eadem ægrotantes milites adducunt, victum exhibent, & morbis medicinam per viros idoneos impartiunt, ita vt plurimi his pietatis operibus pristinæ valetudini restituerentur. Fridericus exercitus dux, viris illis collaudatis, Conrado Herbopolensi præfuli atq; Adolpho Holsatiæ comiti mandat, vt in vicinis oppidis huiusmodi pijs viris domicilia constituantur, quibus exercendæ pietatis amplior facultas daretur, ac ne sumptibus exhausti institutum intermittere cogerentur, ex erario suo ipsis menstruum stipendium decernit. Hac principis liberalitate illi pijs operibus ita inclauerunt, vt Fridericus per legatos Heinricum fratrem, ad Romanum Imperium iam euectum, oraret, quò apud Pontificem intercederet, vt viri illi pij aliqua familia sacrata censerentur. Celestinus ad preces Imperatoris institutum probat, atq; insigni quodam titulo exornare cupit. Cum autem comperisset iam olim, post recuperatam à Christianis Hierosolymam, Theutonicum quendam extitisse, qui aduentãtibus peregrinis ex proprijs ædibus Xenodochium constituerit, atq; omnis generis hospitalitatis officia exercuerit, ita vt multi Germani haud ignobili loco nati voluntariam militiam ibidem elegerint, atque cum Hospitalarijs & Templarijs fortiter contra Barbaros pugnarint, factum est vt linguæ similitudinem considerarit, atq; candidum illis amictum cum atra cruce assignauerit. Nomen etiam pontifex militum beatę Mariæ virginis domus Theutonicorum dedit, barbámq; alere iussit. Insuper & id concessit, vt soli Germani ex nobili stirpe prognati in eum ordinem sublegi possint. Quibus etiam fas sit supremum magistrum & principem ex suo ordine eligendi. Suffragijs ergo initis Heinricus à Valpot rei militaris peritissimus primus magister electus fuit anno 1190. qui ordini per decenium pręfuit, atq; Ottonẽ à Kerpen successorem habuit. Euaserunt hi postea in magnam frequentiam & potentiam, regiæ non inferiorem, donec tandem rebus in Syria deploratis cum Hermanno à Saltza ordinis eius magistro 4 sub Friderico secundo Cæsare, in Germaniam redierint, atque Prussiam sibi subiecerint, vt suo loco fusius ostendetur.

Friderici Sueuiæ ducis de Turcis victoria.

Dum hoc modo exercitus ad Antiochiam piorum virorum opere reficeretur, Fridericus percepit Dodequinum, quem Saladinus copijs ex Aegypto accitis præfecerat, magnis itineribus aduentare. Itaq; Fridericus ordine facto & Aquilis explicatis hosti obuiam progreditur, parentis funere in media acie collocato. Cum exercitus conuenissent, Dodequinus cum viginti millibus Turcarum pugnam inire cœpit: prælium tum maximum & dubium fuit, victoria modò huc modò illuc inclinante, nostri enim virtute, sed Barbari numero prævalebant. Iam pedites nostri prima acie pulsi, in secunda laborabant, tum Fridericus paternæ virtutis memor, equitum cuneo facto, in aduersam hostium aciem irrumpit, idq́ue tanto impetu, vt hostis perculsus loco moueretur. Mox etiam Lupoldus Austrius pulsis terrorem addit, ac pedites reducit, qui Turcas equis confossis ad terrã dejiciant. Tandem hostis in fugam coniectus nostris victoriam reliquit. Cæsa sunt hostium eo die quatuor millia, mille capti cum quindecim signis militaribus. Victor Fridericus in vlteriorem Cœlosyriam profectus, Laodiceam seditione laborantem & ad Ismaelitas inclinantem, pacat. Berythum quoque nullo labore subigit, atque alijs plurimis Syriacis vrbibus potitus est, quæ prius Latinis paruerant, & postea ad Saracenos defecerant. Tyrum postea delatus, patri regia pompa funus facit. Cum autẽ de suo aduẽtu ad Acconam Guidonem per legatos monuisset, Monteferratensis iuuenis in occursum classe missus, vt equitem ac peditem nauibus imposi-

tum

positum adueheret. Sicque Fridericus tandem regijs castris illatus magna gratu- 1190
latione cum suis ab omnibus Christianis susceptus fuit.



Eo tempore Monferratensis longè alium castrorum aspectum inuenit, quàm discedens reliquerat. Turcæ enim per portam Septentrionalem eruperãt, & in mi- *Ptolomais oppugnata.*
lites hospitalarios S. Ioannis, qui primum locum tenebant, impetum fecerant, mul
nisque in locis ignem in castra coniecerant, sed equites nostri per aliam castrorum
portam egressi à lateribus hostem aggrediuntur: perruptáq; eius acie posterio-
res ad vrbem fugant, postea quoque redeuntes ad vallum à tergo Barbaros truci-
dant. Vnde & illi qui in castris remanserant animis resumptis confertim in hostes
ferebantur, ac præcipites extra vallum adigunt in fossam, qui cum ad suos redire co-
narentur ab equitibus excepti conficiebantur. Hanc hostium proteruiam cum
Fridericus percepisset, inquit, Ecquid Conrade inulta hæc relinquemus? ta que
Consilio habito corona vrbem circundandam decernunt, singulisq; stationes de-
signatæ: Pisanis & Templarijs maritima concessa, quibus & rex cum suis additus,
Pons Beli fluminis ac loca omnia, quæ eundem ac præsulis aulam interiacent Sue
uo commendantur: Veneti, Genuenses, & Hospitalarij, reliqua ad Raimundi æ-
des vsque occupant: Phrisij, Flandri, & Holandi alteram partem quæ ad mare ver
gebat assumpserunt. Ex omni etiam natione optimiquique ad castrorum custodiã
relicti. Cum miles scalas muris iniecerat, & per mille vulnera ad summum tende-
bat, Saladinus ex improuiso castra irrumpit, ita vt omnia tumultu replerentur.


In eo tumultu stationarij primum hostis impetum audacter excipiunt, sed vbi, *Austriaca insignia mutata.*
pluribus amissis, impares se hosti vident, pedem referre incipiunt. igitur loco pul-
si, Turcæ aliquot tentoria diripiunt, signa auferunt, & ignem injciunt, cæsis ex
hostris centum & amplius. Fridericus anxius animo, cum oppugnatio parum pro-
cederet, & sui in castris laborarent, acies reuocat, & ad castra proficiscitur. At Sara
cenus imparem se ratus, cõuersis signis sibi fuga consuluit. In eo ardore pugnan-
di Saladinus ferè oppressus fuit, ac ægrè se subduxit. acta hęc pridie idus octobris
fuerunt.

1190 fuerunt. Excursiones deinde frequentes à nostris factę, & prędę comparandæ gratia sæpius pugnatum. Interea noui Proceres militiam sacram professi semper accedebant, ita vt nostris numero auctis fames augeretur, æmulatio etiam Regis & Montferratensis accessit, quæ rem omnem sæpius impediebat. Nihilominus tamen omnes eius temporis authores (qui ipsi rebus gestis interfuerunt) fatentur in ea oppugnatione Germanos præclaram suam virtutem declarasse, & sæpius mœniorum coronam ascendisse, Turcis ad nomen Germanorum expauescentibus: nisi etiam aliorum negligentia obstitisset, vrbs ferè capta fuisset. Nam occupata turre quadam Austriæ princeps in repugnantem hostem fortiter pugnabat, ac reliquos vt sequerentur summis clamoribus admonebat. cum autem timore perculsi tardarent, atq; multi suorum caderent, de turri in mare præcipitem se dare coactus est, hoc modo totus sanguine suffusus, cingulo tenus duntaxat, quod album corpus intersecabat, incolumis sese ad Christianos recepit. Vnde etiam Fridericus exercitus suffragio, noua illi insignia, rubro & albo coloribus distincta perpetuò concessit. Cùm hoc modo Fridericus ad Ptolomaidem nihil intermissit quod ad prudentis ducis & strenui militis officium pertinere videretur, lue in castris orta, moritur atque magno luctu in Tyro iuxta patrem sepelitur. Ab eo euentu, totius exercitus suffragio, noua illi insignia, rubro & albo coloribus distincta perpetuò concessit. Cùm hoc modo Fridericus ad Ptolomaidem nihil intermissit quod ad prudentis ducis & strenui militis officium pertinere videretur, luc

aperiuntur: in alio latere, quæ sorte Lupoldo Austriæ duce obuenerat, nulla huius rei erat notitia, cunctantib. autem alijs, dux ipse primus muros ascendit, telisq; vndiq; petitus fuit. festinabant Germani ducem sequi, ita vt pondere accelerantium scalæ frãgerentur, ipse verò horũ inscius præcipiti saltu in vrbem desilijt, ac fortuna comite omnem aduersariorum vim solus sustinuit, donec nouis scalis allatis milites eius mœnia conscenderint, atq; per media tela ad ducem suũ peruenerint. Interim de deditione rumor exoritur: Barbari etiam depositis armis fidẽ implorare, manúsq; porrigere incipiũt. Lupoldus re cognita, turrim quã occuparat intrat, ac Austriacæ domus signis erectis, quid agatur intentus expectat. Tũ statim Anglus Richardo appropinquat, ac signis Lupoldi in terrã excussis, sua ibidẽ statuit. Eã ignominiã Germani haud ferentes, arma corripiunt, atq; Anglos inuadere statuunt. Verum Lupoldus, iniuriam pro tẽpore dissimulandam ratus, ferocientem militẽ blanditijs minisq; cõpescuit. Occupata autẽ vrbe, crux nusbiam apparuit: itaq; Richardus ad 7 millia Barbarorum, qui ei obuenerant vt ad Soldanum reducerent, in meditum productos trucidare iussit. Frãcus prudentiori consilio vsus captiuos suos asseruari voluit, vt Christianos eorũ permutatione liberaret, inter hos erat Characux vates, quo consulto rex didicit, Hierosolymam & regnum Christianorũ in orientis possessionem necessariam esse. capta fuit vrbs 4 idus Iulij anno 1191. 1191.

Hanc victoriam Christianorũ atrox pestis subsecuta est, quæ intra paucos dies quinquaginta episcopos & comites è nostris sustulit, inter quos præcipui nominis Rauennas, Fauentinus, & Vesontinus fuit: mox etiam simultas Franci & Anglí recruduit, ac rebus Christianis plurimum obfuit. Quin etiam Conradi Montferraten quiq; regium nomen tueri conaretur. Guidonis partes Richardus Anglus, Balduinus Flandrensis, Heinricus Campanus, Hospitalarij S. Ioannis, Veneti, & Pisani: Conradi verò Philippus Francus, Otto Burgũdus, Rodolphus Claremontẽsis, Templarij, Genuẽses, Thuringiæ Landgrauius, Lupoldus Austrius, & Roberti Nassouius tuebantur: hinc factum, vt propter Christianorum ambitionem Saladinus respirare, & exercitum dissipatum colligere potuerit. Itaq; in primis vrbes suas, quę situ & opere ad resistẽdum minus idoneę videbantur, mœnibus nudauit, atq; Hierosolymam restituere cogitauit. Ita Porphyria, Cæsarea, Ascalon, Gaza, & Elam direpta: Christianorum sententiæ tum bifariam de bello sacro continuando erant diuisæ: pars rectà Aegyptum alij Hierosolymam regni caput petendũ censuerunt. atq; posterior præualuit. Itaq; omnium decreto Ioppen instaurandam, atq; Gazam per Templarios muniendam voluerunt, id quod Richardus egregiè præstitit, atq; Saladinum impedientem repressit. *Dissensio Christianorum Turcis profuit.*

Dum hæc in Syria fiunt Philippus Franco cæli grauitatem & morbum prætendens in patriã redire statuit. nam comitatus Flãdriæ cupiditate mirum in modum afficiebatur: in corona tamen procerum sese quingentos equites & decem millia pedites sub Ottone Burgundo, in Syria relicturum ad bellum sacrum finiẽdum pollicetur, quibus arma, machinas, commeatus & stipendia affatim præstiturum promittit. His constitutis, suos in naues Gallicas imposuit, & è Genuensium classe aliquas sibi cõiunxit, atq; Celestino 3 põtifice Romæ salutato, in regnum suum rediit. Mox etiam Franco abeunte, Lupoldus Austriæ dux acceptæ iniuriæ memor, cum imperium omne ad æmulum delatũ cerneret, ab exercitu cum suis profectus domum venit: post & Veneti classem suam ex Syria reuocant, supplemento opus esse referentes. Idem & Pisani & Genuenses fecerunt: tum etiam Conradus Marchio insidias æmuli veritus sese Tyri continuit, ac milites suos in castris reliquit. Accidit autem cum quadam die in forum descenderet, reipublicæ negotia curaturus, vt à duobus sicarijs gladijs confoderetur: homicidæ ex fuga retracti, veluti egregio facinore edito, alacres mortem subierunt. *Philippus Gallus Syriam relinquit.*



1192 *Cypri regnũ Lusignanis cessit.*

Anglus occasionem adesse ratus regni Hierosolymitaniacq uirendi, Isabellam blanditijs euocatam Heinrico Campaniæ comiti matrimonio collocat, & in sua verba iurantem Tyro vrbi præfecit, Guidone plurimum reclamante. Postea Richardus primùm Guidonẽ rogare, deinde & minis compellere cœpit, vt regnum Cypri à se capesseret, atq; omni iure cederet, quod sibi in regno Hierosolymitano cæteráq; Syria esse cõtendebat. quin etiam pecuniã obtulit, quam Templarijs debitam solueret. Guido ergo rogatu potentioris coactus, rei pluſquam incertæ spei inhians, sublatis suis rebus in Cyprum transmisit, atq; insulam in suam potestatem redegit, Angliæ regib. inde titulus regni Hierosolymitani cessit, quem etiam lõgo tempore vsurparunt. Verùm Lusignianorum familia Cypri regno per 283. annos potita fuit, donec tandem Veneti, posthumo Iacobi Nicosiensis pereũte, idem regnum iure hæreditario inuaserunt. Tandem tamen Cypri nobilissimum regnum anno 1571. Turcæ inuaserunt, ac Venetis extirpatis suæ iurisdictioni adiecerunt, vt suo loco indicabitur.

Anglus regnum Hierosolymorum administrat.

Summa rerum hoc modo ad Richardum Anglum delata, maiore quàm antea animo ad rem bellicam accedit. in primis autem statuitur de Hierosolymitana vrbe tentanda. Itaq; Ptolomaide educunt quotquot milites supererãt. Præcedebat Anglus, mox Ottho Burgundus cum Francis incedebat, Iacobus Auenensis agmẽ claudebat. Barbarus regni caput peti non ignarus, terga adoritur, sed illi versis signis strenuè hostiũ impetus sustinuerũt, cum quisq; gloriæ laudis extimulatus, vel solus hostem reprimere attentaret. Ibidem Richardus fortiter pugnando vulneratur, Auenensis verò occubuit. Barbarorum aũt tot millia interempta fuerunt, quorum memoria vna die vnóq; prælio cæsa nemo dicat. Militares enim Hospitalariorum, Templariorũ & Theutonicorum ordines cõiuncti miserandam stragẽ in hostes ediderũt, pugnã tãdẽ nox diremit. Nostri illo in loco nocte peregerũt, ac deinde Bethleẽ æquè à Ioppe & Hierosolyma distantẽ peruenerunt. Ibi ingentẽ multitudinẽ camelorũ ex Aegypto Hierosolymã ꝓperantẽ cõmeatũq; ferentẽ noctis beneficio interceperũt, ac in sua castra perduxerũt. Sed hyeme iam ingruẽte Richardus Ascalonã, ne milites ocio torpescerẽt, vallis & muris vestiuit. Id & Tẽplarij in Gaza restauranda fecerũt. Galli aũt Tyrũ in hyberna concesserunt; authores insuper fuerunt

fuerunt,vt obsidio Hierosolymitana intermitteretur,ne si quid præclari gereretur, in Richardū solum gloria recideret,id quod Christianę reipub.plurimum obfuit. 1193.

Vere autem appetente omnes exercitus iterum ad Bethleem ex omnibus locis coeunt,atq; consilium de oppugnandis Hierosolymis exequi cēpant. dúmq; rebus necessarijs occupantur,Richardus à suis domum reuocatur,vt Normanniæ à Gallo turbatæ suppetias ferret.Concione igitur habita domum sibi redeundum ait, ne dum procul pro repub.Christiana bella gerat,propriį regni iacturam faceret. Hic etiam sermo statim ad Barbaros diuulgatus, eos in certissimam spem victoriæ erexit.Hæc etiam Angli concio ideo dānata,quod nō prius inducias aut pacem cum Saladino firmarit.Igitur Richardus coactus Barbaro pacem offerre, & has conditiones accipere compellitur:Diueret muros vrbiū,quascunq; post receptam Ptolomaidam instauraſſet:Barbarus per quinquenniū res Christianorum nō molestaret:Anglo etiam ingens pecunia numerata. Hac ratione Christianis præter Tyrū, Ptolomaidam, & Antiochiam nihil integri permāsit: cætera enim triēnio magno labore capta hosti reddenda: sicq; duorum regū conatus in nihilum ferè abijt. Vnicum tamen memorabile hoc tēpore contigit,quod multi ingenui & nobiles viri post regum & principum discessum in terra sancta permāserint,atq; sese militarib. ordinibus adiunxerint,omnibus suis bonis transmarinis ijsdem atributis.Inprimis autem Hospitalarijs Ioannitis accedebant,propterea quod Templarij ob amicitiā cum Turcis multis suspecti & inuisi essent,Teuthonici autem tātum suæ gentis homines assumerent. Anglus autem Traciam petens in grauem tempestatem incidit & cum paucis in Dalmatiam delatus, habitu templarij per Germaniam iter fecit. cum autem Austriam attigisset per exploratores proditur, & ob priores ad Ptolomaidem cum Lupoldo simultates,captiuus Viennam perducitur.Etsi autem pontifex & Imperator pro eo intercederent vt liberaretur,tamen per viginti duos menses in custodia fuit,donec magna pecunia numerata dimissus in Angliam reuersus fuerit.Austrius autem hac pecunia Stiriæ ducatum atq; Neuburgensem, Lintzensem, & Vuelsensem comitatus eum , & pomeria vrbis Vienensis ampliauit. *Hospitaliorum ordo in Syria auctus*

Richardus Syria discedens aliquot militum copias Heinrico Campano reliquerat.Otto quoq; Burgundus haud contemnenda manu ibidem permanserat, qui se Tyrum & Ptolomaidam receperant.Heinricus quidem sæpius à Christianis interpellatus, vt titulum regni Hierosolymitani assumeret,renuit,atq; sese totū otio dedit.Cum etiam reditum in patriam pararet,atq; superiorē aulæ suæ partē incautius circumiret,præceps delatus expirauit. Obijt etiā eodem tēpore Guido rex in Cypro,cui Americus frater vir ambitiosus parum aūt prudens suffectus est. Is ducta in vxorem Isabella vidua Heinrici Cāpani,qui Tyro & Ptolemaidi dominatus fuerat,regium titulum & dotis nomine prędictas vrbes accepit: sicq; Cypri regnum Hierosolymitano coniunctum fuit.Paulo pòst etiam Saladinus Turcarum & Aegyptiorū princeps potentissimus decessit,cuius vel nomen Christianis formidabile fuerat:in funere eius Signifer(ipsius iussu)præcedebat,atq; in lācea eius interiorem tunicam,in modum trophæi pręferebat,altum inclamitans:Saladinus Asię & totius Orientis domitor,illud vnum secum in sepulchrum defert. Fuerat is sapientissimus & fortissimus princeps, cui propter veram Christi cognitionē ad summā laudem nihil defuit. Reliquit is filios nouem,quos præter vnum Norcadinum, Saphadinus patruus interemit omnes. *Americꝰ rex Hierosolymorum.*

Mortuo Saladino Celestinus pontifex in magnam spem erectus est de Hierosolyma recuperanda,& regno Orientali firmando,præsertim cùm Turcæ,Saraceni,& Arabes mutuis dissidijs consumerētur.Cum autem apud Francum & Anglū ob intestina bella nihil efficeret, Heinrico eius nominis 6 Imperat.persuasit,vt ad Argentinam crucē assumpserit,atq; in terra sancta Christianis succurrere ꝓmiserit. Cum autem ipse alijs regni negotijs distineretur, atq; parum prospera valetudine vteretur,Heinricum Saxoniæ ducem exercitus ductorem dixit,eúmq; ingentibus copijs in Asiā ꝓperare iussit, præsertim cum finis induciarū cum Barbaris instaret. *Christianorum noua in Syriā expeditio.*

1195 Adduntur ei legati duo, Conradus Moguntiæ & Conradus Herbipoli præsules. Tum etiam sacram militiã multi principes professi, Hermannus Thuringię Landgrauius, Heinricus Palatinus Rheni, Heinricus Brabantiæ dux: præterea Bremensis, Verdensis, Halberstatensis, Patauiensis, & Ratisbonensis Episcopi sese prioribus adiunxerunt: hos etiam Conradus Marchio Morauiæ, Fridericus Austrius, Albertus Hapspurgensis & Heinricus Papenhemius subsecuti sunt. Illi Pannonia Thraciáq; emensi ab Alexio Angelo Græcorum Cæsare (cuius soror Irene Philippo Heinrici Imperatoris fratri desponsata erat) armis, annona, & rebus necessarijs adiuti ac classe Græcorum Antiochiam delati, tandem terrestri itinere Tyrum peruenerunt. Dum autem copiæ ibidem reficiuntur Herbipolensis in Cyprum traiecit, ac Americum regem inaugurauit: negotio confecto ad Ptolomaidem militem Christianum reperit.

Berythus restaurata & euersa.

Consilio habito Christiani Ioppen versus profecti sunt, vt obsessis Germanis succurrerẽt. antequam verò adessent Germani proditione trucidati, atq; vrbs funditus deleta fuit. Cum itaq; ad ruinas venissent, Sidonem petunt, quæ & ipsa à Saracenis deserta erat, præda & captiuis abductis. postea motis castris Berithum tendunt, quò hostes se contulerant, vrbemq; armis & commeatu munierãt. In eo loco aliquandiu vario Marte pugnatum, cum obsidentes & obsessi quisq; fortiter suas stationes tuerentur. Tandem tamen Barbaris eiectis nostri vrbe potiuntur, multaq́ue millia Christianorum carceribus liberantur: tãtum armorum ibi repertum fuit vt duabus onerarijs nauibus vix exportari potuerint. Ingens etiam annonæ uis cõparata, quæ diu nostros in hostili terra sustentare potuit. Deinde vrbe instaurata, Toronum versus castra mouent, eámq; vrbem oppugnant: id cum Saraceni & Turcæ percepissent, coniunctis uiribus eò properant, atq; multoties circa vrbem cum nostris confligunt. Cæterùm dum ad Toronum duces occupantur, Barbari Berithum inuadunt, & denuo in suam potestatem redigunt, præsidium etiam occupatum funditus euerterunt: sicq; Berythus paucis mensibus restaurata & euersa fuit, anno incarnationis Christi 1197.

Saxoniæ & Austriæ duces in Syria mortui.

Postea Christianorum exercitus Ioppensem vrbem petijt, quam à Turcis deseram nostri milites occupant & muniunt. Hos etiam Barbari rectà subsequuntur. itaq; nostri hostem ad pugnam allicere tentãtes, noctu castra ab vrbe remouent, ac quadraginta stadijs ab eodem castra figunt. Barbari nostros metu discessisse putantes, partim ad vrbem oppugnandam accurrunt, partim ad insequendos nostros sine ordine feruntur. Nostri autem conuersis equis vno impetu prorumpunt, strictisq́ue cominus gladijs cruentum prælium incipiunt. Tum etiam Fridericus Austrius in Barbarorum ducem inuectus, confossum equo deiecit, atq; hostes in præcipitẽ fugam abegit. Ceciderũt eo die Barbarorũ aliquot millia. Profligato autem hoste lectisq; spolijs nostri ad vrbis mœnia reuertuntur. Sed tãtæ victoriæ gaudiũ duorum principum lamentabilis casus imminuit, Saxonis nimirum & Austrij: dũ enim Saxo prudentissimi ducis ac militis grauissimi munia obijt, solis æstu & laboris immensitate fatigatus, cum à pugna auram captaret, in grauem febrim incidit, qua etiam quarta die extinctus fuit. Austrius autem ab hoste, quem equo deiecerat, vulneratus, vltimus ex pugna discessit, profusóq; sanguine & viribus amissis, proxima nocte vitam cum morte cõmutauit. Tum etiam victor miles literis acceptis intellexit Heinricum Cæsarem mortuum, aliquósq; electorum Philippum Heinrici fratrem, alios Ottonem Saxonẽ paribus suffragijs Cęsares dixisse, quòd etiam effecerit vt ciuili bello in Germania omnia turbarentur. Vnde in castris magni tumultus orti: Moguntinus enim penes quem sacri belli administratio erat, cũ suis copijs domum redire, atq; Cæsarum motus componere cupiebat, quem etiam maiori ex parte secuti sunt milites: ergo Constantinopolim vecti per Traciam & Vngariam domum properarunt. Nobiles qui in Syria manserunt militarium ordinum equitibus adscripti sunt.

Dum



Dum hæc in Syria fierent, Francus & Anglus vario marte de finibus decertant, atq; sese mutuò grauiter affligunt: itaq; Innocentius 3 pontifex statim post suam inauguratione Petrum Capuæ præsulem ad reges legatum misit, vt animos eorum inuicem reconciliaret, atq; ad bellum contra Barbaros suscipiendum animaret. Verùm is infecta re discessit, atq; hoc vnum obtinuit, vt Simon Monfortensis comes, militiæ peritissimus dux, in Syriam mitteretur ad res Christianorum iuuandas. Is statim, quibusdam alijs comitibus & iusto exercitu coniunctis, classe mare traijcit, ac in Syriam delatus Ptolomaidem peruenit, vbi militem reficit, occasionem expectãs qua hostem inuadere & opprimere posset. Antequã auxilium illi accessissent, ac Barbari de Germanorum abitu cognouissent, Ioppensem vrbem obsidione cinxerũt ac terra mariq; grauiter oppugnarũt. Germani ibi in præsidio collocati nec minis nec promissis adduci potuerunt, vt vrbẽ Barbaris traderent, verùm multoties erumpendo magnam hostium stragem ediderunt, & multis spolijs onusti in vrbem redierunt. Cum aũt nusbiam subsidiũ expectaretur, atq; annonæ vsus deficeret, Barbarus sæpius colloquia petijt, atq; magnis propositis munerib. nunc hos nunc alios inuitauit. tãdem etiam Syrus quidã inuentus qui præmio accepto præsidium & locios pdidit. Obseruato itaq; tẽpore cum Germani ad S. Martini festum pro more lautius cœnarẽt, poculisq; coronatis certarent, vinóq; & somno sepulti in stratis sterterẽt, ita vt & vigiles portarum custodiã negligerẽt, proditor portã vnam hosti aperuit. Barbaro ex improuiso irruente Christiani omnes occisi, vrbs etiam in aream solo æquata, fundamentis murorum vbiq; euulsis.

1197 Ioppe à Barbaris destructa.

Cùm Germani obsiderentur inter milites vrinator inuentus, qui hostem fefellit atq; Ptolomaidem peruẽit, vbi Simonem ducem classem reficientem inuenit, ac in quo statu res Christianorum ad Ioppen esset exposuit. Itaq; Mõtisferratensis rectà Ioppen tendit, ac tristi nuntio cladis accepto in itinere substitit. Cùm etiam omnes acclamarent hosti obuiã pergendum, tanta vis aquarum cælo delapsa est per tres dies, vt nec pedem ex castris mouere licuerit: cessantibus pluuijs omnia frigore cõgelabant, ac militũ manus rigescebant, propterea ad hyberna redeundum censent, atq; honestas pacis cõditiones expectare proponunt. Cõmodè autem accidit vt & inter Barbaros rixæ orirentur, qui tñ odia cohibuere, donec captatis cũ Christianis colloquijs vtrinq; pacis conditiones adhiberentur. Summa pacis erat: vt Barbari priores Richardi conditiones ratas haberent, ac per decenniũ Tyro Ptolemaidiq; arma non inferrent. Hoc modo pax per omnes prouincias publicata, solutisq; carnificibus vtrinq; discesserunt. Simon ergo Asiam tutã videns militaribus sacris ordinib. rem Christianam commendauit, atq; suos iterum incolumes domum reduxit, Barbari autem seditionibus suum imperium distraxerunt & turbarunt. Eodem tempore Herlinus S. Dionysij in Gallia monachus magnam vim Britonum sacris concionibus excitarat, vt sacræ militiæ nomen dederint, quos omnes anno 1198 classe Ptolemaidem transuexit. Cùm verò Simonem ducem ad propria redijsse pacẽq; publicata omnia quieta esse viderent, nec ducem haberent cuius consilijs regerentur, nullo ordine dilapsi, domum reuersi sunt. Christiani autem in Syria habitantes aliquãdiu pacificè vixerunt, atq; militares ordines Christianos peregrinantes (saluo conductu à Turcis impetrato) ad loca sacra orandi gratia perduxerunt.

Decennales induciæ cum Turcis.

Magna rerum mutatio eo tẽpore in Constantinopolitano Imperio accidit. Cum enim Turcarum Saracenorúmq; discordia & continuæ pugnę magnam occasionẽ præbere viderentur Hierosolymarum recuperandarum, Innocentius papa omnes principes religione soluit, ac à Simone Montisferratensi iuratum præstitúmq; fœdus irritum habendum sua authoritate per legatos vbiq; publicat. At reuera aliud agebatur: Alexius enim vir sceleratus (quem Isacius frater à Turcis magno ære ca-

Græcorũ imperium turbatum.

1198 ptiuum redemerat) Constantinopolitanum Imperium inuaserat, fratrem per insidias execarat, ac eius filium pari cruciatu perdere statuerat, nisi fuga salutem conseruasset. Adolescens ergo apud Pontificem per legatos supplex petijt vt sibi succurreret: fore enim si restitueretur solus, aut cum patre, quòd Græcam Ecclesiam Romanæ subijceret, quod etiam præstito iuramento firmauit. Legatis benignè responsum & auxilium promissum. Mox pontificis authoritate occidentalium principes sollicitati, atque ingens pondo auri sacri hominibus tributi nomine impositum. Galliæ rex Bonifacium Monteferratensem ducem suarum copiarum constituit. Mox etiam Balduinus & Heinricus Flandriæ Comites, Heinricus dux Louanienſis, Galterus Bremæ Comes, Theobaldus Campaniæ dux, Simon & Guido Montfortenses, cum multis strenuis & magni nominis viris, sacræ militiæ nomen dederunt. Cum itaq; maximus exercitus in Italia conuenisset, Pontifex cum Venetis egit, vt milites suis nauigijs transueherent. Habuit classis vniuersa ducentas naues & quadraginta, triremes sexaginta, onerarias septuaginta, & ad cõmeatus serendos centum viginti. sub primum egressum Histria pacata, & Iadera expugnata, vbi etiam exercitus in hyberna perductus.

Balduinus Flandrus Cõstantinopoli Imperator

Ibidem Alexius puer supplex comparuit, atq; opem contra patruum implorauit. exceptus vt Augusti filius, & militibus à pontificis legato commendatus, dicens bellum sacrum primò contra Græcos suscipiendum, quorum in Latinos odio Turcis & Saracenis hactenus occasio data fuerit Syriam occupandi. Igitur omissis rerum Syriacarũ consilijs, bellum Græcum suscipere placuit, licet multi ex Hierosolymitana prouincia in castris essent, & ad sacrum regnum repetendum incitarent. Cretenses statim puero fidem dederunt. Byzantium postea oppugnatur, ac tandem expugnatum diripitur. petitus Alexius puer in Cæsarem, cædem auertit, liberatur etiam Isacius, Creta Insula Bonifacio donata, atq; ecclesia Græca Romanæ subiecta. Postea autem Myrtilus, puero necato, Imperium arripuit, atque vrbem contra Latinos prius egressos, defendere statuit. Itaq; vrbs iterum terra marique à nostris obsidetur, ac tandem sexagesimo octauo die occupatur, & miserè iterum diripitur. Negotio prosperè confecto, de nouo creãdo Augusto consilium initum: licet etiam aliqui rei summam ad Philippum occidẽtis imperatorem deferendam putarent, vt res Christiana denuo ab vno regeret. plura tamen suffragia in Balduinum Flandriæ ac Hannonię Comitem tum præsentem inclinarunt, quem etiam Augustum renuntiarunt. Thomas deinde Maurocenus Venetus Patriarcha creatus, quem Romam venientem atq; Græcam Ecclesiam Romanæ subijcientem, Pontifex confirmauit: accidit hæc mutatio Imperij anno


1202.

SECVNDI LIBRI FINIS.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MARIque fortiter gestarum,

Liber Tertius.



1200 *Ioannes Brẽnus rex Hierosolymorũ.*

REBVS Hierosolymorum vniuersæqúe terræ sanctæ ob Almerici Cypriĳ, qui regiũ titulum præ se ferebat, ignauiã ac socordiam plurimũ periculorũ imminere cuilibet facile erat diuinare, cum durantibus inducĳs decennalibus Iconiensis Solthanus Sataliã Græciæ vrbem (ex qua Christiani in Asiam trajcientes felicíter pergebant) ví captam liberè spoliasset, omnibus incolis trucidatis. Noradinus etiam Saladini filius præsidium in monte Tabor haud procul Ptolomaide ædificabat, nemine prohibẽte: ædificatum etiam armis, milite, & annona complebat. Missis itaq; inde ad Innocentium pontificem nuntĳs, ne quid detrimenti Respublica Christiana capiat prouidere rogatur: Mariam superesse Conradi Montisferratensis filiam elegantis formæ & nubili ætate virginem, quam Hospitalariĳ & Templariĳ equites tutoris titulo in spem regni educarent, illam ei nuptui daturos, qui à pontifice tanti regni dignior æstimaretur. Pontifex Ioannem Brennũ Viennę Allobrogum regulum, qui cum Gallis & Venetis antea Constantinopolim profectus fuerat, regem designat, Almerico abdicato. Ioannes ne ingratus esset regnum suum Romanæ sedi in perpetuum vectigale esse iureiurando affirmat. Itaque domum reuersus fratri administrationem Comitatus demandat, atque copĳs conscriptis primò Venetias peruenit, acregio sumptu susceptus fuit: classe postea Constantinopolim perlatus ab Imperatore Heinrico, qui fratri successerat, liberaliter fuit habitus: tãdem verò nonis septembris anno 1209 Ptolomaidem applicuit, vbi ab omnibus tanquam rex summa lætitia excipitur. Mox etiam nuptĳs celebratis Tyri pridie calendarum octobrium ingenti pompa cum coniuge rex inauguratur. Id cùm rex Cyprius cognouisset, paulo pòst mœrore animi extinguitur, Ioanne fratre hærede relicto.

Præter inducias Christianis eo locorum habitantibus, Noradini & Saphadini digladiatio pacem concessit, quæ per integrum nouennium durauit, & tandem morte Saphadini finem accepit. Noradinus enim Alapiensi imperio, alter filiorum Saphadini Corradinus nomine Damasco & Syria, alter verò Aegypto contentus erat. Interea Innocentius Papa Fridericum ea conditiõe Imperatorem denunciarat, si voto se adstringeret, subsidĳ Christianis in Asia deferẽdi. indicto deinde apud Lateranum Patrum Concilio in id sedulò incubuit, vt terræ sanctæ, quæ in præsentissimo versaretur periculo, haberetur ratio. Pollicetur tum quisque principum quorum præter expectationem maximus erat numerus, suam operã. Missi sunt etiam qui pro concione in omnibus prouincĳs edictum proclamarent, ad primis strenue adiuuabant Halberstadensis, Herbipolensis, & Argentinensis episcopi. Sed dum Romanus Pontifex ad pacem componendam inter tumultuantes Pisanos, Genuenses, Mantuanos, & Veronenses (quorum robur coniunctum plurimum emolumenti sacræ expeditioni addere poterat) profectus esset, apud Perusium expirauit, atque Honorius successit. Fridericus autem Imperator Italicis bellis impeditus votũ differre cogit. Itaq; Theodoricus Treuirorũ, Theodoricus Colonienſis, Syphridus Moguntinus episcopi: pręterea Leodiensis, Herbipalẽsis, Bambergensis, Argentinensis, Patauiensis, & Eichstetensis præsules cruce signati arma induunt. Hos etiam Petrus Parisiorum, Gallerus Heduorum, Iordanus Lexouiensis Episcopi subsecuti. Ludouicus etiam Bauariæ & Leopoldus Austriæ duces hisce cum Florentinis & Genuensibus additi. Cùm etiam Andreas Vngariæ rex moram necteret, per Columnam Cardinalem à Pontifice monetur, vt votum exoluat. Huic etiam omnium suffragio bellis summa demandatur, anno 1216 mense septembri.

Concilium Lateran. pro terra sancta.

Noua expeditio in Syriam.

Cum hoc modo Christiani ingentibus Copĳs instructi procederent ad Ptolomaidem (quę amissis Hierosolymis regia vrbs erat) tandem conuenerunt, ac magnam spem pręclarè rei gerendæ oppressis à Barbaris Christianis fecerunt, qui eos dem summa lætitia exceperunt. Occurrit ĳsdem & Hierosolymitanus patriarcha. Adfuit

Adfuit etiam Ioannes Brennus rex Hierosolymorũ: primis castris ad fontem Tu- 1216
baniæ peruentum, vbi aliquot Barbarorum turmæ nostris occurrerunt, sed statim in fugam conuersi, multos suorum amiserunt. Secundis castris ad Iordanem tentoria tribus in locis fixa, Turcarum etiam pręsidia passim destructa. Ibi Vngarus cum se fluuio Iordane lauisset, reclamantibus cæteris, tanquam voti religione sese exemisset, suas copias domum reduxit. Reliqui vt cœperant pergunt, ac motis castris ad montem Thabor accedunt, & cuiusdam adolescẽtis Saraceni ductu ad montis fastigium ascendunt. sed Bohemundo Tripolitano malè dissuadente, & hyemis violentia prohibente, qua iumenta plurima interierunt, ab arcis expugnatione abstinuerunt. Postea exercitus in hyberna deductus atq; pars Ptolomaidem concessit. Austriacus verò cum Brenno rege inter Cæsaream & Caiapham quoddam promontorium occupauit, ex quo circumiacentia Barbarorum loca infesta reddiderunt. Id castrum Peregrinorum vocatum, atq; Vuilhelmo de Monteacuto Hospitaliorum magistro traditum fuit.

Sub veris initium anni 1217 copiæ ex hybernis euocatę ad Peregrinorũ castrum *Damiata à Christianis obsessa.*
per Ioannem regem, cui tam summa belli erat commissa, conuenire iubentur. Ibi omnes in id consenserunt Aegyptum petendam, Damiatáque ad Nili Ostium expugnata, facilem de alijs potiundis futurũ laborem. Erat enim Damiata triplici muro cincta, ac deriuato quodam Nili alueo in longæ insulæ speciem obducebatur. Ptolomaide itaq; classibus soluentes, & prospera nauigatione vsi, ad Nili Ostium ferunt, sed obiecta catena ferrea ab alueo Nili arcent. Ea verò virtute & arte perrupta Phariam arcem munitissimam, ex qua suburbium, mercatorum tabernas opulentissimas, & horrea præsidiarij milites tutabantur, milites expugnant, magnámque inde prædam accipiunt. Qua confirmati ipsorum animi, vrbem magna contentione oppugnãt, quamuis Nili inundatione plurimum detrimenti caperẽt. Venerat obsessis Meledinus Sultanus Aegyptius auxilio, oppositáque Latinis habebat castra, tenui Nili alueo ab his diuisus, vnde illi cõmeatus, milites, tela, & omnia quæ vsui esse poterant, inuehendi facultas erat. Christiani ergo vt hoc subsidio obsessos spoliarent, omne belli robur in Soltanum vertendum statuunt. Ea de re per exploratores hostis certior factus, fugam subitò capessit, omni in castris cõmeatu relicto. Latini de certa fuga edocti, castra profugorum quoque occupant, iniectoq́ue ponte, vtraque ripa flumen coniungunt, vt mutuo sese auxilio defendere, & vrbem arctius concludere possent. Soldani etiam fuga omnium Damiatæ ciuium animos misere affecit & perturbauit.

Soldanus cum Nilus excreuisset, seseq́ue alieno tempore in alueum recepisset *Pacis honestæ conditiones oblatæ à nostris reijciuntur.*
(quo vno flumine felicitas vbertásque soli constabat) annonę penuriam metuens fratri Corradino Damasci & Hierosolymorum Sulthano persuadet, vt per Oratores sibi Aegyptoq́ue pacis conditiones peteret. nam Damiata libera, breui omnia recuperari posse. Corradinus fratri morem gerens, Christianis pacem his conditionibus offert: Crucem sacrosanctam se restituturum cum omnibus ijs, quę de nostris in Syria vel ipse, vel patruus Saladinus, aut pater Saphadinus cepisset. Placuerãt conditiones Gallis, Anglis, & Italis, dicentibus ideo capta hęc arma fuisse, vt quod in Syria summorum virtute partum esset, id nobis ereptum recuperaretur, ignominiaque elueretur. his restitutis nullam restare belli causam. At reges, Hospitaliorum, Templariorum, & Theutonicorum ordinum magistri, cum Austrię duce, & Germanis præsentibus contrarium statuebant, & pacem aspernabantur, dicentes hãc expeditionẽ contra Mahumeticam superstitionẽ esse susceptã. Horum sententiæ Pelagius Cardinalis pontificis legatus, qui Columnæ successerat, adstipulabatur, eiusq; authoritas obtinuit, vt Damascení oratores re infecta dimitterentur. Tum Conradinus omni spe retinendæ vltrà Hierosolymæ deiectus, eam muro exuit, & splendidiora ędificia & monumẽta diruit. Soli verò turri Dauid & Domini sepulchro (à quibus dã exoratus) pepercit. nam Syrij, Armenij, Aethiopes, Georgiani, ac multi Asiæ populi, nostræ fidei cultores, eodem tempore cum

Turcis

1218 Turcis & Saracenis mixti adhuc Hierosolymam incolebant.

Damatia à Christianis occupata.

Durante per multos menses obsidione, nouę ex Italia copiæ accedunt, commeatum vberrimum, quo maxime indigebat exercitus, aduehentes. Venerat etiam Ludouicus Bauariæ dux, cum multis alijs Germaniæ proceribus. cum autem nihil expediretur, pœnitebat iam duces, se potius voluntati Cardinalis hominis togati, quàm alijs consilijs paruisse. Itaque Pelagius apud plerosque malè audire cœpit. Sunt qui scribunt, eo quod Hispanus esset, incredibili exarsisse desiderio, ac spem ingentẽ concepisse, suo ductu Hierosolymã recuperaturũ iri, maximè quod in fatis esse diceretur, ex Hispania venturum qui illam de Barbaris tandem reciperet. hinc ferunt illum tantopere laborasse, ne conditiones à Corradino acciperentur. Aliquanto pòst Solthanus à ciuibus rogatus nouas clam in vrbem copias mittit, ipse etiam cum ingenti exercitu non vsque adeo longè ab vrbe considet. Nostri ad arma conclamant, magnóque impetu in hostium castra feruntur. Hostis post quam exiguum numerum videret, castris excedit. nostri veram fugam putantes, relictam prædam auferunt. Sed dum pedem referunt obuiam habent hostem, qui impetu facto missili igni plurimos combussit. Brennus rex eodem igne facie afflatus & deformatus vix euasit. Cecidêre hoc prælio Gualterus Gallorum ductor, atque aliquot copiarum duces. Tertio die pòst, milites aliquot prospecto vrbis silentio, propius accesserunt portas, vt quid fieret explorarent. sed cum altum silentium in propugnaculis animaduertissent, custodes sopitos aut alia causa Mamaluchos abesse existimarunt. Regressi ad socios scalas clam muris admouent, eósque nemine repugnante superant ac in vrbem descendunt, mox etiam effracta porta vniuersus exercitus prẽter omnium opinionem nonis nouembris anni 1218 ingreditur, atque ipsam vrbem egregiè occupant.

Pestis acerbitas.

Cùm Christiani in vrbe victores existerent, eandem ex dira peste & fame ferè vacuam & fętentem reperierunt. nam ex septuaginta millibus vix tria millia adolescentioris ętatis inuenta, quę ea lege vita donata, vt vrbem purgarent. Viç enim, vici, domusqúe cadaueribus erant refertæ. hic labor etiam eos in tres menses exercuit. Milites præda amplissima accepta, in castris tam diu commorati sunt, quousque exacta pestilentis morbi suspitione cœli salubritas instauraretur. Curato autem aerę sub calendas februarij rursus vrbem ingrediuntur. Solthanus cum rebus afflictis nihil auxilium ferre posset, discessit. Postquam Deo publicæ gratiæ actæ, de agrorum diuisione in consilio principũ & deducenda colonia actum fuit. Vrbs verò Damiata omnium suffragio regi Brenno cessit. Mahumeti etiam Basilica Mariæ virgini dicata. Non mulo pòst & Tanis vrbs ab exploratoribus Christianis occupatur, quæ 80 stadijs à Chayro distabat: in ea magna copia annonæ & diuitiarum præter expectationem inuenta.

Pontificis Legati protuitas.

Exercitus Christianorum per annum ferè quieti Damiatæ permanserunt, atq; alios occidentales principes expectarunt. Interea Pelagius Pontificis legatus in omnibus primas sibi partes venditabat, atq; cuncta pro suo arbitrio disponere studebat. Id cum Brennus rex ferre non posset, assumpto magno militum numero Ptolomaidem concessit, ad compescendum (vt prætendebat) Milichasecaph filium Saphadini, qui interim Templarios afflixisset, Albam speculam destruxisset, & castrum Saphet occupasset. Sed cum apud Acconem rerum omnium nihil ageret moram traheret, terqúe quaterqúe vocatus esset redire negauit. Honorius Papa dissensione cognita, ne aliquid detrimenti ex ea respublica Christiana caperet, Ioannẽ Cardinalem ex Columnensiũ familia Pelagio successorẽ mittit, quẽ Genuensium, Venetorũ, Pisanorumq; naues in Syriã, cum nõ contemnẽda militũ manu, deportarunt. Aduenit sub idem tempus Ludouicus Bauarus à Friderico secundo Imperatore præmissus, quem statim subsecuturum se literis & ore affirmarat. Appulit & Matheus Apuliç comes octo triremibus instructus. Interea legato absente rege milites in Sulthanum ire iubet. Verum illi dicto non obediunt, imò sanctè iurant se sine rege non latum pedem progressuros. Nam Meledinus, contentione

tione noſtrorum cognita, ad vnius diei iter caſtra ab vrbe locauerat, noſtróſque ad pugnam ſæpe inde prouocabat. Mittuntur itaq; communi nomine legati ad Brennum regem reuocandum, qui amicorum precibus tandem victus, præſertim cum imperium exercitus illi iterum offerretur, Damiatam rediit, poſtquam decem menſes abfuerat. 1219

Poſtea re inter duces deliberata, ſed varijs ſententijs: alij enim bellum Aegyptiacum proſequendum, alij de Hieroſolyma & terra ſancta bellum eſſe contendebant. Tandem menſe Auguſto (vrgente legato & fulmen pontificis minitante ni parerent) in hoſtem itum eſt, quamuis id præter militum voluntatem fieret, quorum animus in Syriam magis propenſus erat, quod etiam rex Brennus magno ſpiritu fieri ſuadebat. Sulthanus noſtrorum multitudinem, quorum ad ſeptuaginta millia erant, conſpicatus, ſemper ſimulato metu retrocеſſit. Hoc ſucceſſu legatus ſuum conſilium ſummis laudibus efferebat. Poſtea omnibus quę inter Chairum & Damiatam erant occupatis, milites ad Chairum accedunt, regni Aegyptiaci caput & Sulthani receptaculum. Pręſidiarij milites crebris velitationib⁹ noſtros, locorum, rerum, & temporum ignaros, inuadunt, & eos inter Nili aggeres concludunt, cataractiſq; apertis omnem regionem aquis perfundunt: ipſi etiam aggeres per quos exitus patebat, à Barbarorum firmiſſimis prędijs cuſtodiuntur. Iumen ta & victui neceſſaria aquis penitus ſubmerſa ſunt. omnia enim pontus erant. Nec poterant noſtris ij qui Damiatæ relicti erant opem ferre. Orationes quidem omnibus indictæ, ſed nihil impetratũ. Videres multos tum triduano ieiunio ſombatur. Meledinus ex admiratione virtutis & conſtantiæ noſtrorũ, dolorem, quem noſtrorum calamitas adferebat, diſſimulare diutius non potuit, & ad regem legatos mittit, pacem offerens, nefarium enim ſibi videri, ſi tantę multitudinis cladem ſolem conſpicere contingat, modò Aegyptus in priſtinam libertatem reſtituatur. Noſtri pacem amplectunt, ſi ſancta crux redderetur, & exercitus illęſus in tutum deportaretur: Tanim præterea vrbem in Soldani poteſtate futuram. *Chriſtianorum calamitas.*

Sulthanus has pacis conditiones reſpuit, atque Damiatam vrbem cum omni circumiacente prouincia petijt. Cum autem maxima exercitus pars contradiceret, ac Legatum & duces diris deuoueret, tandem tamen Damiata Solthano fuit reddita, vt Chriſtianorum vita conſeruaretur. Id cum ijs annũciatum eſſet qui Damiatæ in præſidio permanſerant, ira ęſtuantes vrbem defendere & Barbaros repellere ſtatuerunt. Verum Germanorum conſilio acquieſcentes, qui vrbes viris cenſeri dicerent, Barbaris vrbem reſtituerunt. Erat diſcedentium magnus luctus & lamentatio, quos tamen Hoſpitalarij & Templarij magnis promiſſis ſolabantur, atq; meliora tempora futura pollicebantur, donec ad diem præſtitutum ciues cum vxoribus & liberis vrbe exirent, ac ſupellectilem & arma in caſtra, quę ad Nilum collocarant, deueherent. Tertia die Meledinus adfuit, ac ſeptuaginta millia hominum quæ vrbe exierant recenſitis, de ſingulis ſtarlingum numiſmatis genus accepit, ne Chriſtiani liberam vrbis poſſeſſionem tenuiſſe viderentur. ita tot irriti labores redditi. Latinorum etiam quiſque ad ſuos regreſſus eſt. Egerat autem Solthanus etiã cum fratre Corradino Damaſcenorum principe, ne in dedititios per octennium aliquid hoſtile moueret. Incruenta quoque victoria potitus, noſtris ſe clementem præbuit. tenuiores enim commeatu & viatico, proceres verò magnificè donatos ac honoratos à ſe dimiſit. Accidit id menſe ſeptembri anni 1221. *Damiata redditur Barbaris*

In tan-

1224. *Hierosolymitanũ regnũ Siciliæ regibus traditum.*



In tantis difficultatibus cum Christiani Syriaci essent, etiam Genuensium & Pisanorum tumultus in vrbe Ptolomaide accessit, quo vix sedato, rex mare trajicere atq; regni sui statum Occidentis principibus proponere voluit. Itaque Ptolomaide rebus constitutis, rerum administrationem sacris equitum ordinibus commendauit, atq; ipse conductis Pisanorum nauibus in Italiam trajecit. Vbi Romam venisset, in Honorij Pontificis & Cardinalium consessu eleganti oratione ostendit, quo in statu res Syriacæ sint, atque obnixè petit auxilium sibi præstari. Eodem tempore despondetur Friderico 2 Cæsari Iolanta regis Brenni filia, & simul regni iura & Tituli dotis nomine ei offerunt. Ex quo Fridericus (& qui deinceps in regno Siciliæ successerunt) Hierosolymorum reges appellati sunt. Deinde Brennus se Pisas contulit, & totius vrbis ingenti lætitia exceptus fuit. Inde in Galliam ad Philippũ regem lecto decumbentem peruenit, qui paulo pòst in fata concedẽs, sexaginta coronatorum millia ex Testamento Hospitalarijs & Templarijs equitibus ad vsum belli sacri reliquit, eáque pecunia Brenno data est. Ab Anglo idem magnis muneribus donatus in Hispaniam abijt, vbi Berengariam Castilionensis regis sororem vxorẽ duxit. In Galliam reuersus Viennæ consedit, Friderici Imperatoris in Syriam profectionem sollicitè expectans.

Fridericus 2 Cæsar Iolantam vxorem duxit.

Christiani Syriam incolentes magnos ex nouis cum Friderico nuptijs animos sumebant, Corradinus etiam eiusdem potentiam suspectam habens, legatos ad Fridericum mittit, petitum rata haberi fœdera: nihil quidem se de octo annorum inducijs mutaturum, Christianorum res in Syria nulla molestia affecturum, cuiq; etiam Christianorum tutum fore, voti gratia sacra Palestinæ loca inuisere, pollicetur. Cæterùm si bellum quàm pacẽ magis amet, Tartaros sibi non defuturos qui operam vltrò offerẽt. Fridericus calliditate ingenij has minas lusurus respõsa differt, & Soldani legatos blandis verbis perse squiannum detinet. Verum Honorius non modò sacram expeditionem contra fœdus suadebat, sed & vrgebat, ac minas grauissimas contra Imperatorem cunctantem spirabat. Sed paulo pòst obijt atq; Gregorius nonus successit. Hic omnia sibi licere putans Imperatorem temerè excommunicat, quod hactenus sacrum bellum de die in diem protraxisset. Interea Iolanta sponsa adfertur, quę, placato per Brennum Romano pontifice, Imperatori solenni ritu in vrbe Roma vxor datur. Tum à Germanis equestres ludi magna frequentia habiti quibus Fridericus ipse præfuit. Victores à sponsa donati ac multi ab Imperatore equestri dignitate ornati fuerunt.

Imperatoris in Asiam expeditio.

Vix exinde annus erat elapsus cum Imperator se totum sacro bello accingit, atque Cremonæ Italorum conuentum habuit anno 1227. tum etiam Papam sedulò hortatur vt sit subsidio. Eodem tempore Iolanta puerum enixa in puerperio moritur, sicqúe Fridericus denuo in cælibatu viueret cogitur: prima enim etiam Constantia Arragonia eius vxor decesserat. Heinricus verò filius Cæsar in Germania Aquisgrani comitijs celebratis, de bello ad principes refert. Omnes qui aderant non modò operam promittũt, sed reipsa mox præstant. Confluit ingens multitudo hominum præconum concionibus excita, quæ cruce signata erat Brunduſij, ducibus Ludouico Turingię Landgrauio, & Sigefrido Augustanorum episcopo. Venetos etiam Papa conduxerat, qui Brennum regem nauibus in Syriam deducerent. Cum autem Germani Brunduſij moram facerent, aeris inconsueti malitia pestis oritur, quæ vtrunque ducem & optimos quosque militum sustulit. Imperator etiam, ne Reipublicæ deesset, ad Maleacum promontorium vsque processerat. verum ibidem etiam ingenti morbo corripitur, ita vt Medici omnem salutis recuperandæ spem abijcerent. Interim pontifex omnem operam impendit, vt Imperatori noceat atque tota Italia excludat, adeò vt imperator conualescens omisso bello sacro

ſacro ad ſuos recurrere, & afflictis rebus opem ferre extrema neceſſitate cogere- 1228.
tur. Motibus autem illis ſedatis & claſſe reparata Fridericus menſe Auguſto anno ſalutis, 1228. Brunduſio cum ingenti claſſe ſoluit, in Aſiam ad bellum ſacrum perficiendum traiecturus.

Mortuo interim Meledino, liberorum tutores cum ijs qui Imperatorem præceſ- *Pontifex Imperatorē excommunicat*
ſerant ad biennium inducias fecerunt. Allatæ ſunt & ad Imperatorē in Cypro ſubſiſtentem literæ, quas pontifex Hieroſolymorum patriarchæ & cæteris ducib. ſcripſerat, vt ſibi ab Imperatore Friderico caueret. Illum enim ſe inſalutato excommunicatum nec cum eccleſia reconciliatū traiecíſſe, vereri ſe ne perfidum hominis ingenium rem Chriſtianam afficeret aliquo incommodo aut clade inſigni. Simul etiã pontifex captata occaſione ob Friderici abſentiam Apuliam vaſtat, cruce ſignatos Italia excludit, ac Siciliã inuadere ſtatuit. Cúmq; Rainaldus Bauarus Vuelphonis filius, quem Imperator Ptolomaidem præmiſerat, cum Soldano de pace agere cœpiſſet, Templarij Venetíq; tumultu excitato res Chriſtianas prodi exclamant. Rainaldo oppreſſis ſeditioſis Venetos vrbe pellit, ac (niſi religio obſtitiſſet) Tẽplarios vnà cum eorum ſacrario penitus deleuiſſet. Interea Fridericus ope Genuenſiũ, Hoſpitalariorum, & Theutonicorum fratrum ſuperuenit: mox conditiones à Barbaris honeſtę noſtríſq; ſaluberrimæ petitæ, & oblatæ fuerunt. Priuſquam tamen ſacramento interpoſito aliquid firmaret, ad Romanum papam per nũcios retulit, eius ſuffragium expectans. Papa autem legatos in conſpectum non admiſit, ſed literas furioſè diſcerpſit, ac Imperatorem denuo anathemate ferit: inſuper etiam nuncios ex Paleſtina intercipi et trucidari curauit, ac Imperatorem eſſe mortuum finxit. Soldano quoq; ſcribit rogátq;, ne terram ſanctam Friderico reſtituat, quas quidem literas Soldanus ad Imperatorem miſit.



Hæc cum pontifex moliretur, Fridericus tamen ob Chriſti amorem omnia pa- *Fridericus Hieroſolymã recipit.*
ienter tulit, ac tandem his conditionibus cum Solthano pacẽ iniit: Fridericus rex Hieroſolymorum inungatur & habeatur: Sanctã vrbem cum Paleſtina poſſideat:

1229 Nazaret & Ioppen pro libitu firmare liceat: Eáq; omnia quę in potestate Balduini quarti fuerunt, & per Saladinum oblata, restituant: captiui omnes sine præcio in libertatē redeant: Soldano vicissim templum Domini Hierosolymis integrū reseruetur: præterea q̄d Arabiā spectat præsidiū Cratum nomine, insuper etiam Montegalis: cæterùm vtriq; genti pax in decennium esto. Sic pace confecta Imperator Hierosolymam cum exercitu venit, ibiq; ipso resurrectionis Dominicæ die publica solennitate rex coronatur. Aberat autem Patriarcha cum clero, Romani pōtificis iram metuens. Vrbis muris reparatis, sacris ædibus restitutis, Nazareth & Ioppen firmatis, & Syriæ præfecto Rainaldo designato, ipse duabus tantum cum triremib. in Apuliam rediit, quam Gregorius interea occupauerat. Cum autem pax in Syria firmata esset atque Christianus orbis ad septentrionem grauiter laboraret, Hermannum à Saltza ordinis Theutonici, pòst Hermannum Bart quartum Magistrum secum sumpsit, atq; vt contra Prutenos arma sumeret author fuit.

Theutonicum ordo in Prussiam vocatus.

Valdemarus Daniæ rex paulo antè Prussiam imperata facere, ac Christi religionem suscipere coegerat, & victor domum redierat. Tum autem gens superstitiosa ad pristinos errores conuersa, Christo mitratos cum sacerdotibus trucidarant, & crudeliter persequebantur. Nec frates ordinis Gladiferorum, qui tunc in Liuonia strenuè Christianam rempublicam administrabant, Lituanorū Prutenorúmq; impetus ferre poterant. Itaq; nuntijs missis, orant Theutonicos S. Mariæ, qui apud Fridericum Imperatorem morabantur, vt arma infidelibus inferant, se suáq; omnia in ipsorum potestate fore. Hermannus itaq; cum ordinis sui fratribus multisq; aliis è Germanorum nobilitate ascitis in Prussiam venit, fortitérq; pugnando maiorem partem prouinciæ obtinuit, quanquam fortissima præsidia in Barbarorum potestate adhuc detinerentur. Quum ergo Asiæ rebus nullo tum vsui esse possent, Honorius 3 pontifex & Imperator totam Prussiam perpetuo iure possidendam tradiderunt, ea tamen lege, vt quoties necessitas exigeret in Asia Christianis subuenirent, atque inducíarum cum Saracenis tempore contra Prutenos bellum gererent. Hi ergo fœlici auspicio tandem totam Prussiam occuparunt, populum omnem sacrum Baptisma suscipere coegerunt, atque vrbem Mariaburgum contra vlteriores Prutenos ædificarunt. Postea quoq; Lithuanos armis ad nostram religionem perduxerunt. Sequentibus temporibus plurima bella per ducentos & amplius annos cum Polonis vario Marte gesserunt, atque Moscouitas irruentes fortiter reiecerunt. Cum autem tandem Albertus Marchio Brandenburgicus Ordinis huius princeps ęlectus esset, tœdio bellorū cum Sigismundo Polonorū rege pacem iniit, atq; sese in eius clientelā tradidit: Itaq; idē à rege, Theutonicis exclusis, primus dux Prussiæ electus fuit, an. 1227. eius posteritas adhuc ibidem rerū potitur. Cum autem nobilis hic ordo per totam Germaniam plurima oppida & arces possideret, in locum Alberti Vvolffgangum sibi principem elegerunt, cuius successores etiamnū inter Germaniæ principes in magna authoritate versantes, ordinis equitibus, hinc inde rebus præpositis, moderatè dominantur.

Imperator cum pontifice in gratiā redijt.

Cùm Fridericus Syriam reliquisset & in Europam venisset, Capuæ substitit, atq; à Pontifice petijt vt pacem cum Saracenis initam confirmaret, ac si quid peccasset sibi condonaret. Accersiti etiam ex Germania Lupoldus Austriæ, Otto Moraviæ, ac Bernhardus Corinthiæ principes, præterea Augustanus, Salisburgensis, & Ratisbonensis Episcopi, qui de Pontificis & Imperatoris concordia agerent: sed infecta re discesserunt. Sequenti tandē anno interuentu Hermanni Theutonici ordinis magistri, ac Messanensis Archiepiscopi Pōtifex Friderico Imperij regnorúmq; Hierosolymorum & Siciliæ titulos restituit, ea tamen lege vt centum viginti millia auri vncias ærario pontificis inferret. Interea in Syria Oliuerius Templariorum magister cum Venetis res nouas moliuntur. sed horum iratos animos Rainaldus Bauarus Syriæ præfectus, mirabili industria pacauit. cum autem Templarij pertinaces essent, atq; Imperatoris rebus obesse cuperēt, omni prouincia eiecit, fortunis spoliauit, & sese in Ptolomaidē recipere coegit. Heinricus etiam Cypri rex turbas excitas

excitauit, atq; Antiochiam post principis illius obitum, qui legitimo hærede carebat, occupauit. Imperator autem filium suum nothum Fridericũ (quem ex Antiochiæ principis sorore progenuerat) in Asiam miserat, vt principatũ eum adipisceretur. Hunc Rainaldus ciuibus gratissimum principem constituit, atq; Cypri regẽ in fugam coniecit: postea Hierosolymam rediit atq; Ioannitarum equitum consilio vsus, pacem cum omnibus vicinis sanctè conseruauit. 1230.

Cùm hæc in Syria fierent, pontifex odio Imperatoris per Dominicanos & Franciscanos classicum canit, & ad sacram expeditionem denuò tantam multitudinem excitauit, vt penè numerum excederet. Imperator enim decẽnales cum Barbaris indutias denuò confirmarat, missisq; literis præfectis suis præceperat, vt omni bello in Saracenos abstinerẽt. Hisce nouis copijs Theobaldus Nauarræ rex, Americus Montfortensis, Heinricus Campaniæ, Petrus Britanniæ comites, ac Anshelmus de Insula præerant. Sed penes Theobaldum summa erat potestas. Cúmq; naues haberi non possent, pedibus iter cõficiunt, sed admodum infœliciter: nam præter infidias, quibus omnia erant plena, cum valetudine aduersa & fame periclitabantur: post multos tandem labores, Bosphoro traiecto, in Bithyniam ad Sangarium amnem deuentum, corpúsq; curatum. Deinde Galatia emensa ad Halim fluuium cotum. Sed Mõtisfortensis cũ cohorte præmissus Barbaros trucidauit & vi perrupit. Nauarrus aũt Sulthani castra oppugnat, sed repellit. nec tamen Barbari suis castris egressi pugnare audebant, propter nostrorũ multitudinem. Nostri itaq; ne tempus tererent, sub noctem tribus agminibus Montisfortensem sequuntur, ipsis impedimentis in medium receptis: robur verò exercitus extremum claudebat agmen.

Nauarræ regis in Syriã expeditio.

Dum hoc modo pergerent Barbari à tergo nostros inedia, lassitudine, & equorum imbecillitate pressos, vellicantes, in apertos campos eos retrahunt, magnam ibi cladem stragem edunt, præsertim cum eos telis obruerent. Sed nox tandem præcipitem diremit. Nostri ad signa sese recipientes noctu per angustias transeunt, illudentéque die Armeniam attingunt, tandémque Antiochiam veniunt, exuti omnibus, commeatu, & maiore equitum numero amisso. Exercitus etiam vix tertia pars supererat. Postea nauim Antiocheni principis conscensi Ptolomaidem deferuntur: inde Templarijs ducentibus Gazam tendunt, & ex popularionibus magnas diuitias acquirunt. Barbari, quibus præter Friderici Imperatoris voluntatem hos exercitus venisse, ipsiúsque præfectos suos domi continere, non erat ignotum, milite hinc inde coacto, insidijs apta occupant loca, reuertentésque ex itinere fessos & præda onustos à tergo aggrediuntur. Nostri abiecta præda hosti fortiter resistunt, ac tandem in fugam conijciunt, die iam inclinante, summo diluculo ecce noua adsunt Barbarorũ copię: quibus cum denuo nostri, qui ea nocte in aperto sub dio constiterant, essent congressi, cæduntur. Cadit & Americus atque Heinricus: Nauarrus pernicissimo equo impositus fuga vitam seruat, & incertis itineribus biduum oberrans, tandem transito Iordane Ioppen peruenit. Deinde sacris Hierosolymæ perlustratis, pauciss imis comitatus domum rediit. Abiectiores verò, quibus nec famæ nec decoris cura erat, Ptolomaidem tantæ cladis auctores peruenerunt.

Christianorum cædes.

Quanquam verò nemo sanæ mentis negare posset, tantam cladem violati iuramenti pœnam fuisse, Pontifex tamẽ non cessauit pacem in Syria turbare, qui tum Roma exclusus Viterbij substiterat. In vrbẽ cum rediisset impotẽti ira delictorũ venian omnib. pollicetur, qui crucis tessaram assumere, & Fridericũ armis inuadere haurent. Imperator ergo indignatus hostes ad vrbẽ vicerat, atq; captiuorum capi taquadrifariam in crucis modum scindi præceperat: postea Templariorum bona qui in oriente fœdus cum Solthano violarant, per Italiam diripi iussit. Interea Pon dex (cum Itali & Galli suo periculo edocti nihil tentaturi viderentur) Anglos per suos prædicatores ad arma capescẽda concitauit. eò etiã Hierosolymitanus Patriarcha peruenerat, vt oleum igni adderet. Tum etiã Richardo Cornubiæ comiti

Richardus Anglus in Syriã tendit

1234 facta de imperio spe, si Friderico illud abrogeretur, persuaserunt, vt se ducem cruce signatis præberet. Ille ergo parata classe, emēsóq; mari in Sardiniam delatus, eandem depopulatus est. Congesta in naues præda Tyrum appulit, amissis extempestate in mari Pamphylio multis nauibus: vbi Hierosolymam venisset & ex Rainaldo de pace qua eius loci Christiani fruerentur, cognouisset, nihil in Barbaros hostile tentare voluit, sed ijsdem cum Friderico inducijs subscripsit. Ne tamen inutiles prorsus sumptus feciſſe videretur, particula quadam sanguinis Christi, quæ Hierosolymis seruabatur à magno Hospitalis magistro donatur: sed Honorio pontifice interim mortuo, Richardus etiam spe imperij decidit, ad quod tamen decennio post vocatus fuit.

Militares ordines à Barbaris acie victi.

Paulo pòst Rainaldus Bauarus Syriæ præfectus fato fungit. Itaq; Templarij nacta occasione classicum contra Saracenos canunt, minis persuasionibusq; populũ ad bellum ineundum, nulla fœderum ratione habita cogunt: quod cum Soldanus Aegyptius audiuisset, Chorasinios (quos aliqui Grossoniosvocant) gentem bellicosam, ex Babylonia in auxilium vocat. Hi castris ad Gazam, nupera Templarijs restauratam & munitam, locatis, tandem eam expugnant, omnésq; præsidiarios & ciues trucidant. Eadem & Ascalonæ fortuna fuit, quin etiam Hospitalarij, quantumuis hosti fortiter resisterent, plurimis oppidis & præsidijs pulsi fuerunt. Itaq; ad Iordanem Christiani agminatim confluxerunt, vt cum Barbaris confligerent, quibus etiam Hospitalariorum & Templariorũ magistri sese duces præbuerũt. Hi iuxta Tyberiadem ad pontem hosti occurrunt. Verùm is fugã simulans pedem paulatim retulit. Cum autem nostri victorum instar negligentius circa flumen vigilias & stationes obirent, Barbari noctu redeunt, ac magno clamore semisopitos inuadunt. Ad primum tumultum nostri excitati arma rapiunt ac sine ordine hosti occurrunt. Fuit diu anceps pugna, præsertim cum equites Hospitalarij strenuè hostem propellerent, atque alios admonerent vt animosè sequerentur. Tandem autem nouis Barbarorum copijs subinde succedentibus, Grossonij talem stragem Christianorum ediderunt, vt ferè omnes ad internecionem deleti fuerint. Tum etiam fortissimi quique militarium ordinum succubuerunt: nec tamen hæc victoria Barbaris incruenta extitit, dum multa eorum millia quoque desiderata fuerint. Nostri verò qui fuga vitam conseruarant cum ducibus Tyrum perueuerunt.

Hierosolyma à Barbaris recepta.

Eodem tempore victores Barbari nihil cunctati, rectà Hierosolymam regni Metropolim petentes, eandem incruento Marte occupant, ac in potestatem redigunt: mox etiam vrbem sanctam diripiunt, & ad vnum omnes sine discrimine sexus & ætatis ciues mactant. Postea vrbem à Friderico Imperatore restauratam & à Rainaldo præfecto ornatam, à fundamentis destruunt & euertunt, mœnia deijciunt, & ædificia incendunt. Tandem sacrilego furore sacra vastant, atque sanctum Christi sepulchrum, ad ea tempora vsq; omnibus gentibus intactum, omni fœditate & indignitate polluunt. Hæc etiam sancta Hierosolymorum vrbs à Christianis nunquam recuperata fuit, sed semper ad nostra vsque tempora apud Barbarorum Tyrannos permansit. Turbarat quidem hæc Christianorum in oriente calamitas omnes Europeos. Atque Fridericus Imperator aliquid opis rebus afflictis adferre potuisset: sed Pontifex ipsum non modò Imperio abdicarat, sed etiam ipsius excidium omnes captabat occasiones: præterea auri vim permagnam ab ipso in hoc bellum destinatam respuebat. Ludouicus verò Galliæ rex periculoso morbo decumbebat, cum etiam nullum à Medicis remedium superesse intelligeret voto se astrinxit, se hanc cladem vlturum, quàm primum sanitati restituetur.

Litkeren à Ioannitis emitur.

Cum hoc modo in Syria res Christianorũ constitutæ essent, Hospitalarij passim per Europam sibi quædam loca compararunt, & emeritis equitibus gubernanda commendarunt, itaque etiam ordinis per Alemanniam prior ab Hugone à Teuffenstein domum & parochiam Lutgeren in comitatu Badensi cum plurimis alijs adiacen-

adiacentibus bonis sibi & successoribus comparauit & emit, atq; eò ordinis domũ ex Clignauio transtulit, anno 1239. vbi etiamnum huius ordinis commendator rebus præest. 1237



S. Ludouicus rex Galliæ in Syriã profectus.

Non multo pòst rex Ludouicus sanitate recuperata ad Cluniacum cum Innocentio 4. pontifice per quindecim dies cõuentum egit, atq; suum consiliũ de expeditione in Syriam communicauit. Lætus pontifex curren ti calcaria addit, eúmque obtestatur & orat, pergat tandem votum explere: legatos etiã mittit qui concionibus populum arma accingere persuadeant: rex quoq; legatos Genuam præmittit ad naues conficiendas, quibus in Asiã cum suis copijs trajcere queat. annus erat 1248. quo D. Ludouicus sese bello accinxit, cui Fulco Guelcius, Vuilhelmus Dampetra Flandrus, Guilhelmus Barensis, Archẽbaldus Borbonius, Robertus Bellouacorum præsul, Vuilhelmus Melletanus, Vindonensis Montifortensisq; comites se adiungunt. Comitabantur etiam regem Carolus & Robertus fratres, Papa quoq; Ottonem Tusculanum Cardinalem legatum adiungit: Alfonso verò fratri cũ matre rex regni tutelam relinquit. Hoc modo rebus ad bellum necessarijs cõparatis rex Lugdunum contendit, ubi pontifex metu Friderici agebat, eiúsq; accepta benedictione inde secundo flumine ad Fossas Mariamas portum celebrem peruenit, vbi Genuensium classis eum operiebat. Inde 8 calend. octobris soluens post dies 28 in Cyprum delatus fuit. Alexius Lusignanus illi præstò adfuit, atq; nullum hospitalitatis aut officij genus omisit.

Templariorum & Saracenorum conspiratio.

Cum autem hyems quæ nauigationem impediebat immineret, & onerariæ naues nondum appulissent, Alexij Cyprij regis iussu copiæ militares in Cypri vrbes diuisæ sunt. In hybernis verò pestis oritur, quę Beluacensem, Montifortẽsem, Melforum, Barẽsem, Borbonium, Vindocinensem, & Drocensem cum multis plebeis absumpsit. Interea Heinricus Anglus magnam auri vim in sacri belli vsum coegerat, & Vuilhelmum Longospatã cum electa manu decernit, qui Gallum sequatur. Robertus quoq; Burgundiæ dux instructa classe, & non contẽnendo militum numero, regẽ sequit. Sed is contrarijs ventis in Peloponnesum delatus, in Attica in hybernis fuerat. At vere ineunte cum Vuilhelmo Achaię Bithinięq; principe in Cyprũ peruenit. Dum Christiani sese hac ratione ad bellũ Barbaris inferendũ parant, templarij & Francos & Saracenos suspectos habebant, cũ enim in Syria aliquot præsidia tenerent, verebantur ne aucti viribus Saraceni omnia occuparent, aut rex ipse, si victoria potiretur, Syriæ res ita cõponeret, vt Tyrãnidi quam in omnes exercebant, authoritatiq; ordinis sui aliquid adimeretur. Itaq; ad Meledinum Solthanum Aegypti clam legatos mittunt, atq; ad pacis consilia flectere conant. Solthanus quoq; Satrapem ad Templariorũ Magistrum ablegat, qui cum ipso de pace agat, si per Francos liceat. Lætus hoc nuntio Tẽplarius, ex Syria regi scribit, pacem oblatã suadet, uires Barbarorum & suspectos belli apparatus multis verbis effert. Atq; templarius regem decepisset, nisi Cyprius huius consilij peritus indicasset, Templarium primò legatos ad Solthanum de pace misisse, & Satrapem euocasse. rex igitur Francus excãdescens literis missis Templario capitale fore testatur, si post hac vnquam à Barbaris legatos accipiat, audiat, aut sermones cum illis conferat. Interim tamen iniecta Barbaris de pace spe responsum differt, donec reliquæ naues subsequerentur: postea tamen rex Francus penè nefarijs insidijs perijsset.

1248 Capti enim fuere aliqui, qui regem reliquósq; Christiani exercitus duces ferro aut veneno tollere nitebantur. Illi tormentis adacti, confitebantur sese (magno auro dato) à Solthano & Templariorum Magistro fuisse subornatos: hi omnes scelus debito supplicio luerunt.

Damiata denuo à Christianis occupata.

Interea Christianorum exercitus ex omnib. locis conscriptus in Cypro congregatur. Itaq; cum Ascensionis Domini festum celebrassent, naues conscendunt, sed à contrarijs ventis hinc inde in mare agitati, tandem in Aegyptum pelagus feruntur, vt Damiatam vrbẽ in conspectu haberent. Barbari aũt de nostrorum aduentu multo antè edocti, Nili ostia firmo præsidio munierant, cũ quibus nostri congressi eos in fugam conijciunt, trucidato eorum satrapa, & quingentis Saracenorũ selectissimis. Ea strage accepta Damiatæ ciues superiorum annorũ calamitatem recẽti memoria recolentes, animo franguntur, noctuq; clàm discedunt, subiecto prius ædificijs igni. Nostri de certa fuga edocti vrbis portas effringunt, ignem multis in locis erumpentem extinguunt, prædámq; ditissimam ouantes inter sese partiũtur. Pòst etiam Idolorum templa lustrarunt, atq; præcipuũ Mariæ virgini cõsecrarunt. Hæc tam inopinata victoria nostris contigit Calend. Iunij, anno salutis 1249. dum Damiatæ sese exercitus continet, & tempus quo se Nilus exonerare solitus est instaret, Alphonsus regis Gallorum frater cum recenti milite in Nouembri mense aduolat. Re itaq; deliberata, non multo pòst in hostem proceditur. Præcurrens Robertus Atrebatẽsis & per Nili alueum sine periculo traducta cohorte, cui ipse præerat, ad Maseram hostium castra expugnat, & Barbaros in fugam conijcit: sed cum acrius longiúsq; eos insectatur, telo perfoditur. Ceciderũt ea pugna Barbarorum clarissimi duces: Meledinus quoq; Solthanus, qui Chayri lecto decumbebat, acceptо tantæ cladis nuntio, moritur.

Rex Ludouicus à Barbaris captus.

Ad nostrorum aduentum mox Melexala Meledini filius, Barbaræ religionis princeps, per Syriam Arabiámq; pro ferendo auxilio Babylonium adierat. eo verò impetrato magnis itineribus Chayrum post patris obitum reuertitur, Soldanúsq; eligitur. Interim nostri ad Pharamiam considentes, cum peste conflictantur, quæ præstantissimos quosque milites absumpsit: præterea Barbaris Nili ostia obsidentibus commeatu prohibentur, vnde rerum penuria diraq́ue fames subsecuta. Tandem cum & ipse rex Ludouicus morbo corriperetur, Damiatam repetendam communi consilio decretum est: sed cum ob ægrotorum multitudinem mora necteretur, Melexala cognito nostrorum consilio viam ipsis intercludit, occupando medium inter Damiatam & nostrum exercitum locum, terra marique. Iraque necessitate nostri coacti arma capiunt, & hostem ad pugnam prouocant: pugnatum est ad tres horas acriter, tandem nostri morbo & fame exhausti, Barbaris vndiq; concurrentibus victi sunt. Magna pars nostrorum occisi, rex etiam Ludouicus cum Carolo & Alphonso fratribus ipsoq́ue Patriarcha Hierosolymitano, viui in Barbarorum manus peruenerunt. Francus iussu Solthani per medicos curatus paulo pòst ex morbo conualuit: castra etiam Christianorum occupata & direpta. Acta hæc fuerunt ad nonas Aprilis.

Turquemi-nius post Melaxalã Solthanus.

Rebus Christianorum hoc modo deploratis, Solthanus capti regis misertus ipsum consolatur, ac de inducijs conficiendis mentionẽ facit: conditiones hæ à Barbaro fuerunt propositæ. Aegypto deduceret exercitus Ludouicus: Damiatam restitueret, octo Byzantiorum aureorum millia in belli sumptus à Franco numerarentur Soldano: Captiuos omnes ex Aegypto alijsq; suæ potestatis locis liberos emitteret Soldanus: in decenniũ pax vtriq; genti inuiolata permaneret: addidit Solthanus, si promissa vnquã non impleret hac perfidia Machometum se pernegasse. Eãdem conditionem à Ludouico poposcit, iuraret scilicet, si fidẽ falleret, Christũ Deũ negasse se fateretur. Cum aũt Ludouicus iuramentum tale recusaret, ac prius mortem obire cuperet, Solthanus regis constantiã miratus iniurato fidẽ adhibuit, atq; inducias publicauit. Sed cũ iam Damiatæ simul appropinquarẽt, Melaxala Soldanus á sicarijs prẽter expectationẽ occidit. Id verò an Turqueminij an Alapienſis Soldani

Soldani factum sit consilio nescit. ab exercitu verò Barbaro Turqueminius vno 1250
ore dux & Soldanus salutatur. Cumq; is rem suam (habito prius procerum consi-
lio) principio firmiorem pace & accepta pecunia, quàm bello fore, videret, reges
Galliæ & Cypri, patriarcham, & duces omnes ad eam diem vsq; vbiq; captos, addu
cere & in medium coràm sistere iubet. Tum etiam pacta cum Melaxala inita rescin
dit, & nouas pacis conditiones obtulit, quæ tales fuerunt:

Ludouicus ex octo aureorum Byzantiorum millibus, quos Melexalæ pollici- *Pacis condi-*
tus fuerat, in præsenti quatuor millia numeraret: Damiatam Turqueminio resti- *tiones cum*
tueret: Saracenos per totam Syriam captiuos, vbilibet locorum qui in potestate *Barbaris.*
Christianorum essent, nuper victos, aut etiam à fœdere Soldani olim cum Friderico secundo initos in seruitutem redactos, liberos ad suos redire permitteret: viceuersa Turqueminius cuiuscunque conditionis, ætatis, nationis in quocunque loco captiuos haberet Aegyptij, ab eo tempore quo inter Fridericum ac Saracenos pax inita fuisset, liberos omnes sine precio dimitteret: vrbes, oppida, præsidia, pagos, fundos, bonaque omnia ac iura, quæ Christiani, antequam rex Francus in Syriam traiecisset, possedissent, intacta, inuiolata à Saracenis ijsdem permitterentur, Res, æs, aurum argentum, suppellectilia, mobiliaque omnia, iumenta, greges, quicquid denique ij in vrbe Damiata haberet, iustoque possiderent titulo, id omne salutum integrumque ipsis restitueretur: Ea vendere, distrahere, auferre, bona venia Saracenorum, Christianis fas fore: Aegrotis in vrbe, donec sanitatem recuperarent, hospitium concessum. Abeuntibus mari aut terra decumbentibus, sua distra hentibus, tutum liberumque futurum commeatum: Pedestri itinere Syriam petentes, fortissimorum apud Saracenos comitatu abituros. Turqueminius etiam Damiata recepta pacis capita per Præconem edici, decennes inducias inter Christianos Saracenosque Aegyptios publicè proclamare facit.

Cùm hoc modo S. Ludouicus res Christianorum pacificas reddidisset, atq; pe- *S. Ludouicus in Galliam reuersus.*
cuniam promissam soluisset, per Genuensiũ classem in Syriã cum copiarũ reliquijs
deportatus fuit, ibique Saracenos suo aere liberatos in Aegyptũ remisit. Cæterùm
Saraceni eorum ferè nihil qui in fœderibus expresserãt præstiterunt. Nam ex duo-
decim millibus latinis, qui post Friderici 2. discessum hinc inde capti fuerunt, vix
quadringentos dimiserunt, eosque non sine precio: ægrotos quoque ad vnum
trucidarunt, ac adolescentes qui mortem formidabant Mahometo initiarunt, ne-
que etiam res mobiles ex Aegypto secum abducere licebat. Sicque ex tantis Chri
stianorum copijs vix sex millia in Syriam reuersi sunt, Ptolomaidem cum rex
venisset, conuentu habito discedere statuerat. Verum à Hospitalariorum Magi-
stros & alijs proceribus rogatus, per aliquot annos in Syria permansit atque Cæ-
saream & Ioppen restaurauit. Tandem locis sacris magna humilitate peragratis,
præsidijsq; multis vallis & muris contra hostium insultus munitis, res Christiano-
rum Militaribus ordinibus commendauit, atq; ipse in patriam redire statuit, cum
per quatuor annos in Ioppen commoratus esset, & frustra nouas copias ex Euro-
pa expectaret. Itaq; vtrunque fratrem in Gallliam præmisit, & ipse postea magno
Christianorum in Syria mœrore subsecutus fuit, anno postquam ex regno suo
discesserat sexto.

Nostris in Asia laborãtibus rumor per vniuersam Europam, præter opinionem *Pastorelli*
citius increbuerat. Itaque Anglus opem ferre decreuerat, copijsque vndique con *cæsi.*
scriptis iam in armis erat sed cum per Innocentium quartum de factis inducijs cer
tior fieret, ab incœpto destitit, atq; rebus domesticis constituendis operam dedit.
Confluxit ad eundem rumorem & adolescentum quædam ex Germania cohors,
quibus pastorum opilionumque manus se adiunxit, per Angelum ad sacrum bel-
lum se excitos impudenter profitentium. hinc Pastorellos se vocabant. Ducem au
tem sequebantur Vngarum quendam, quem magistrum suum appellabant. Sed
cùm in sacerdotes & Monachos, ipsosque Iudæos, ac alios vtriusque sexus homi-
nes nihil non maleficij perpetrarent, dum per Bituriges iter facerent, ad vnum o-

1259 mnes trucidati sunt, haud longè à vico qui Mortuum mare dicitur, Nouámque villam & Biturigum vrbem interiacet. Extat de hac re distichon tale: M. semel & bis C L I coniungere disce, Duxit pastorum sæua Megæra chorum.

Venetorum & Genuensiũ in Syria motus.

Dum autem à Barbaris nostris in Syria quies conceditur, mutuis se vulneribus ipsimet conficiunt. Nam anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono Veneti & Genuenses Ptolomaide degentes, de suis priuilegijs & Sabbe monasterio grauissime concertant. Maior pars principum & regum Christianorum Venetorum partes, atque solus Armeniæ rex, Tyrensis princeps, & ordo Hospitalariorum S. Ioannis Genuensium defendebant. Itaque factum, vt post multas cædes vtrinque factas, Veneti tandem vrbe eijcerentur. Hi denuo armati Ptolomaidem accedunt, & Genuensium naues in portu hærentes opprimunt ac exposliant, tandèmque Vulcano committunt: postea D. Sabbæ ædem incendunt, atq; Genuensium publica & priuata ædificia diruũt. Genuenses à suis popularibus, qui nuper Tyri appulerant, triginta duas triremes accipiunt, initôque prælio cum classe Veneta succubuerunt, atque omnes illæ triremes interceptę fuerunt, sæpius desinde ijdem atrocissimis pugnis illo decennio, quo bellum durauit, digladiati sunt, magno Christianæ Reipublicæ detrimento. Tandem tamen Clementis quarti pontificis authoritate, & fame insuper vrgente, vtrique pacem amplecti coacti fuerunt. Sicque duæ factiones in Syria, quarum ea quæ Tyrum incolebat Venetis, quæ Ptolomaidam Genuensibus adhæserat, iterum in vnam coaluerat. Eodem tempore anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo Michael Paleologus Græcus Imperium Constantinopolitanum mira industria recuperauit ac Gallos excluſit, cum ibi per 58 annos rebus præfuissent. Id quod Hospitalarijs in Syria plurimum obfuit.

Tartari contra Saracenos in Syriã tendunt.

Sed dum Christiani digladiantur, Saracenis Syriam & Aegyptum gubernantibus, Mango Tartarorum princeps & apud Catheiam Imperator bellum facit. Sequebatur is Aitonis Armenię regis consilium, cuius suasu & Christo prius nomen dederat, quo à Christianis auxilia habere posſit. Persuasus Mango exercitum cogit, & Haalonem fratrem copiarum ducem constituit. Is Tanai fluuio traiecto, & Imao monte superato, in Persidem venit, eámque semestri spacio subigit, excepta vrbe Samarchanda, ad eam cum decem millia equitum reliquisſet, post annos viginti septem tandem ea inobsidentiũ potestatem venit, cum obsessi vestibus destituerentur, ob continuatã per tot annos obsidionẽ. Cum reliqua verò multitudine Tartarus in Assyriã mouet, ac Baldacam vrbem (quæ Babylon est) expugnatã diripit, ciuésque trucidat. Calypham etiam auariſſimum Tyrannum, inter medios auri aceruos collocatum, fame necat. Mesopotoniam postea ingressus, Alapiam obsidet & expugnat. Edessa etiam & Samosata subacta, in Syriam contendit: vbi

Antiocheno regno per Saracenos adempta, recuperat, præsidijsque munit.

Cúmque frustra semel atq; iterum Damascum tentasset, Maleruasam


Alapiensem & Damascenum Sulthanum, quem vinctum cir

cumducebat, sub ipsis mœnibus in frusta con

scerpi iubet, in eius filij terrorrm

qui vrbi preerat.

Sed cum



Sed cum hoc tristi spectaculo neque filius neque ciues mouerentur, Haalon a- *Damascus à Tartaris capta.*
cius eam oppugnauit ac tandem vi cepit. extinctáque Alapi ensis factione, Abagam filium vrbi præfecit. Hinc cum fratrem Mangonem mortem obijsse cognouisset, domum ad capescendum eius regnum iure hæreditario sibi debitum redijt, sexto expeditionis suscepte anno. Etsi autem res Christianas non multum hac expeditione auxit, tamen vt serius conciderentur, effecit. Abiturus Armenijs legatos adiunxit, qui Pontificem regésque occidentales adirent, ac ad recuperandas Syriæ Palestinæqúe reliquias adhortarentur. Reliquerat etiam apud Abagam filium viginti millia equitum, qui Christianis auxilio essent, si ad recuperandam Hierosolymam ex Europa traijcerent. In Perside nupserat Haaloni Docuscanton regia puella ex Magorum familia, quæ Christum infantem ductu stellæ in Iudæa olim adoratum venerat. Vnde etiam coniugis hortatu Mahometi templa omnia diruti iussit, atque passim eius superstitionis homines afflixit.

Tartarorum ope res Christianæ in Syria facilè potuissent restitui, si in occiden- *Carolus Andegauensis rex Hierosolymorum.*
te principum animi paratiores extitissent. Hortator enim fuerat Vrbanus 4 ponti fex ad bellum sacrum denuo suscipiẽdum, missis hinc inde per Cardinalem in Galliam & Germaniã literis, qui suis malis edocti nonnihil abhorrere videbant. vicit tamen Cardinalis persuasio. Ex Gallia enim duce Guidone Altisiodorẽsi Episcopo copiæ missæ, & Viterbium vsque deductæ sunt. Sed pontifex eũdem militem inde contra Manfredum Siciliæ regem, cuius regnũ sibi vectigale esse voluit, misit. Mortuo tum Vrbano Clemens quartus successit. Cum autem ipse quoque ingenti odio contra Friderici 2 progeniem flagraret, Carolum Andegauensem Siciliæ ac Hierosolymorum regem declarat, ac Diademate ornat, impositio ei quadraginta millibus aureorum in singulos annos, Romanæ curiæ pendendo. Itaque Carolus cum copijs accessit atque Siciliæ regnum multo labore subegit, atque etiam ad alterum inuadendũ animũ adiecit. hinc factus vt pontificis iussu passim in prouincijs Christianorum conciones haberent, quibus homines ad arma concitarentur.

Cum au-

1264 Cum autem Germanorum animi eo tempore à Pontifice & Carolo Andegauensi omnino essent abalienati, propter nobilissimi adolescentis Conradini, vltimi Sueuiæ ducis in Italia cædem, auxilia, opes, vires, & subsidia planè negabant. Pontificem tanquam tantę cladis authorẽ Carolum ceu Parricidam, qui hęredem in foro Neapolitano publicè decollarat, atque alienum Regnum occuparat, miro odio prosequebantur. Erat tum Achilles quidam inter Dominicanos Basilienses, summæ authoritatis & facundiæ prædicator. is enim sua persuasione effecit vt publicum odium pietati, honestati, ac vtilitati posthaberetur. Accedebat etiã Heinrici Comitis Tockenburgẽsis adhortatio, qui anno 1251 Prior ordinis Ioanni tarum in Alemannia ab ordinis proceribus electus fuerat: qui etiam rebus Hospitalariorum in Germania per 19 annos optimè præfuit. Cum enim equites huius ordinis res Christianorum in Syria fortiter defenderent, atque amplissimis prædijs atque bonis passim à pijs Christianis augerentur, deliberatione habita, emeritos milites adeòque bello fessos passim in prouincias ablegarũt, atque Ordinis domus ac possessiones commendarunt, quos etiam inde Commendatores vocarunt: singulis etiam prouincijs Magistrum & Priorem dederunt, quorũ nutu omnia administrarentur, atque etiam nouæ copiæ, si opus foret, submitterentur. Itaq; huius Oratoris atque Heinirci Hospitalarij authoritate, multi nobiles apud Rauracos, Sequanos, Alsates, & Rhenenses crucem sumpserunt, & sacrum bellum professi sunt, inter quos Syfridus ex nobili Monachiorum, & Hermannus ex Scalariorum familia strenui equites (qui Psitacum & Stellam loco tessaræ habebant) præcipui fuerunt, atque sese alijs duces exhibuerunt. Hi ergo vndiq; confluentes Genuensium classem conducunt, & Ptolomaidem deportantur. Inde Cæsaream commigrant, quæ vrbs hosti vicinior erat.

Heinricus primus Ordinis prior in Alemannia.

Tartari à Christianis abalienati.

Præerat eo tempore Damasco Guirboca à Christianis non alienus, cuique in ipsorum subsidium Haalo discedens decem equitum millia reliquerat. Eundem Abaga post patris Halaonis obitum suo loco ducem copiarũ constituerat, atque ipse ad Scythas profectus erat, vt paternum regnũ administraret. Sed nostri ipsum Guirbocam sua temeritate abalienarunt. Is enim ex sorore nepotem habebat adolescentem fortissimum, qui gloriæ cupiditate iugis excursionibus Soldani limites deprædabatur. Accidit autem vt & nostri in communis hostis regionem incursionem facerent, abactáque ingenti præda domum reuerterentur. Tartarus adolescens indignè ferens sibi tantę laudis occasionem prereptam, mittit obuiam qui æs repetant. ex eius enim prouinciæ finibus contra ius fasq́ue prædam abactam. Respondit, vt arma corripuerit. sed nostri occurrentem magna strage repressum in fugam coniecerunt. In fuga adolescens ipse traijcitur, ita vt ad auunculum delatus statim obierit. Itaque Guirboca domestico luctu nobis hostis factus, Cæsaream expugnat, captámque diripit & incendit, postea quoque hostili animo in omnes Christianos sæuijt. Germani autem virtutis auitę memores, cuneo facto per medios hostes sibi viã fecerũt, partimq; sese Tyrum, partim Ptolomaidẽ receperũt, Gallorum atq; Anglorũ reges præstolaturi, de quib. iam fama percrebuerat. Interim publica fide accepta, Germaniæ nobilitati licuit Hierosolymã adire, & sacra loca inuisere.

Soldanus Aegypti Tartarus vicit.

Non multo pòst Melechemus Turquemenij apud Aegyptios successor, Tartarorum in Syria dominium minimè è re sua futurum facilè perpendens, principijs obstare voluit, Damascenámque prouinciam cum validissimo exercitu ingressus, ad pugnam Guirbocam prouocauit, eúmq; cum maiori parte copiarum trucidauit. Qui Tartarorũ supererant in Armeniam ad amicum regem fugerunt. Tum etiam propter pauca Syriæ loca, omnia præsidia in Sulthani & Mamaluchorum potestatem deuenerunt. Sed dum ex tanta victoria Christianis Syriacis exterminium iam imminere videretur, Melechemus à suis trucidatur. Huic Bandodacar successit, qui etiam Christianos inopinantes & securos opprimere cogitabat, ideóq; apertum bellum ad tempus differebat.

Non pa-

Non parum expeditionem sacram à Carolo Andegauensi susciendam Clementis pontificis obitus remorabatur, & quod sedes Romana rectore destituere- 1270
tur qui negotium vrgeret. Sed Francus, cui præ cęteris periculum nostrorum in Syria cordi erat, Heinricum Anglum belli socium ascisit, ac Genuenses de transportando exercitu sollicitauit. Dum autem hæc fiunt, Bandodacar Antiochiam inuadit, eámq; capit, vrbem succendit, & arcem solo æquauit. Tũ enim Conradus principis Friderici ducis filius aberat, atq; in Sicilia Conradino consanguineo suppetias ferebat. Hoste abeunte, & citatis itineribus in Armeniam contendente, vt ita inopinantes opprimeret, Christiani ex latibulis hinc inde properantes ignem reflinguunt, vrbemq; restaurant. Eo tempore Aiton rex Abagæ Tartaro in obsidione vrbis Corrigiæ opem ferebat. Itaque Aegyptius per Armeniam libere vagatur, magno incolarum incommodo. Sed cum etiam in Turcarum regnum, quod Tartari tenebant, impetum faceret, non exiguam exercitus partem amittit, indeq; repulsus domũ redijt. Mittunt tum ab Armenio & Tartaro ad Gallię atq; Angliæ reges legati, q iter maturare iubẽt, ipsiq; auxilia & maxima subsidia pollicent.

Antiochia à Saracenis vastata.

Conuenerat inter istos duos reges, vt alter in Africam, alter in Syriam cum copijs discederet. Itaque Ludouicus Gallus cum Philippo pulchro & Ioanne Tristanno filijs, ac Theobaldo Nauarrorũ rege genero, Alphonso fratre, & Guidone Flandrensi comite, ad Aquas mortuas à Genuensium classe exceptus anno 1270 calendis Martijs in Africam ire parat, multis quibus hactenus regis consilium non fuerat cognitum, frustra contradicentibus. Carthaginem delatus, vrbem haud magno labore expugnat. Ad Tunetum verò, quæ menses sex obsidionem sustinuit Gallos sæuissima pestis inuasit, quo morbo primo Tristannus, post hunc D. Ludouicus rex, & legatus pontificius interierunt. Sed cum Carolus Siciliæ rex & Heinricus Cornubiæ comes, cum recenti milite superuenirent, Mulenes Afrorum princeps pacem petijt. Huic Galli leges præscribunt, nimirum, vt sanctos viros, qui de Christo publicè verba facerent, in vrbem reciperent: Si quis Afrorum nostram religionem profiteri vellet, initiandi lustrandique illi potestas fieret: Quadraginta aureorum millia Siciliæ regi Barbaris quotãnis numeraret: Captiuos Christianos dimitteret: Impensam belli auro recompensaret: Recepit autem partem Carolus, inducijs iuramento in decennium pactis. Hisce rebus constitutis, Christiani in Siciliam reuersi sunt.

S. Ludouicus in Africa obijt.

Interea Heinricus Angliæ rex filios suos Edouardum ac Edamundum in Syriam misit, milite, armis, & commeatu instructos liberalissimè. Datur his consiliorum gubernator Theobaldus Leodiensis Archidiaconus, Apostolicæ sedis legatus. Sed dum Ptolomaide subsistunt, & ex Africa maiores copias expectant, Edouardo à quodam sicario tria vulnera infliguntur, ex quibus vix longo tempore conualuit. Cum autem ex Africa nullę copiæ venirent, omnémque spem bene gerendæ rei amissam Edouardus videret, factis cum hoste inducijs, rei summam Hospitalarijs equitibus commendauit, ipseque in Italiam redijt. Tum etiam Theobaldus legatus pontifex electus ac Gregorius Decimus dictus fuit. Circa eademtempora Heinricus Hospitalariorum per Germaniam prior decessit, atque in eius locum Heinricus comes Furstenbergensis electus fuit annomillesimo ducentesimo septuagesimo secundo. Is etiam Commendatoribus sui regnis per Germaniam septemdecim annis optimè præfuit, & suis adhortationibus apud Germanorum proceres res Christianorum, in Syria commoranmtium, plurimum adiuuit.

Anglorum expeditio in Syriam.

Grego-

1274 *Rodolphus Cæsar crucē susscipit.*



Gregorius nouus pontifex afflictis Hierosolymorū reb. ex animo consultū cupiēs, Rodolphi Hapspurgensis in Cęsarem electionem ea lege ratam habuit, acinauguration em promittit, si Hierosolymitanis rebus opem ferret, seqúe exercitus ducem præberet. Ad id bellum Imperatori ducenta aureorum millia oblata: decimæ etiam tum sacris prophanisque viris ac rebus imperatæ à pontifice in sexennium: sacris quoque militibus spes vitæ æternæ præmij loco promittitur per præcones passim discurrentes, inter quos Eberhartus Dominicanus Basiliensis præcipuus fuit. Itaque Rodolphus Cęsar cum tota familia sua se crucis tessera insigniuit. Heinricus etiam Minorita Basiliensis Episcopus à Pontifice legatus dictus. Mox quoq; Lotharingiæ dux, ac Theobaldus Comes Pfirtenſis cum multis aliis equestris ordinis præclaris viris sese hisce Comites professi sunt. Cum autem octodecim menses effluxissent, papa moræ pertæsus Imperatorem admonet vt promissis staret, non obtemperanti fulmen minatur, & imperij abrogationem. Sed non multo pòst obijt pontifex, atque moram longiorem Ottocarus Bohemiæ rex & Heinricus Bauariæ dux inijciunt, quibus cum Imperatore bellum erat. Quin etiam Venetorum, Pisanorum, Florentinorum, atque Græcorum cum Francis digladiatio sacrum bellum impediebat.

Germanorū in Syriam expeditio.

Bohemico bello fœliciter finito, Rodolphus Cæsar Heinricum Mechelburgensem principem sacræ militiæ præficit, validáque militum manu illi addita eum in Syriam mittit. Is ex Ptolomaida crebras in Damascenas prouincias excursiones fecit, igni ferróque omnia populatur, prędáque abstulit ingentes. Cum autē Barbari aperto Marti huic resistere non possent, tandem dolis circumuentum, dum prædas ageret, capiunt. Ad Soldanum deductus, totos sex & viginti annos in captiuitate cum Martino famulo detinetur, qui domino cadenti incubuerat, multisque vulneribus acceptis suo corpore texerat, nec à captiuo recedere voluerat. Consenuerat optimus princeps in pædore & squalore carceris, donec extincto Tyranno ex Mamaluchis regno Aegyptio præficeretur Germanus quidam. Is statim ducem ad se vocari iubet, ac cum dies natalis Domini instaret, ita affatus est: Nónne sanctam Christi tui natiuitatis memoriam apud tuos celebrare res tibi iucunda videretur? Noui enim superstitioni Christianæ te adeò deditum, & religionis quàm libertatis maiorem solicitudinem te gerere. Rectè ais (inquit Heinricus) rex optimè, nam ipsa libertas nihil omnino esset, nisi Christus incarnatione sua clementissima, captiuitatem nostram abstulisset. Quantum igitur huic memoriæ debeant omnes, vellem ô rex ipse intelligeres: sed optare licet mihi, vtinam etiam te persuasum possem de his reddere.

Megapolensis principis mirabilis casus.

Ad hæc Tyrannus: Dij meliora: Memini enim cum apud Kneſe Ienick parentē tuum in Liuonia machinamentis prędessem, in hostem stragem ingentem facerem, ac illi nauarem operam haud inutilem, persuasioni Christianæ me omnino addictum fuisse sed iam relicto errore communi, priuatam fortunam etiam mutasse. At de religione mihi tecum nulla contentio, de libertate tantùm sermo. Cuperes ergò esse liber, & ad tuos reuerti? Hæc natura petit, negat fortuna, inquit Heinricus, quæ tamen ex tuo arbitratu pendet. Cupio quidem domum redire, quod si à te mihi negabitur, æquo animo ferendum erit, cum Anastasia vxor, Heinricus, Leo, atque Ioannes filij dulcissimi procul dubio iusta parenti iam dudum perfecerunt, defleuerintqúe mortuum. Erras infert Soldanus cum exploratum habeam, te inter viuos adhuc perseuerare tuis notum esse, indiésq; reditum tuum ardentissimis votis expectare: Debeo quidem parentis tuæ memoriæ multum, libertatem itaque tibi hodie largior. His dictis exornatum muneribus, & Martino famulo bene donato, liberum abire permisit. Qui cum Ptolomaidem venisset, ac conscensa naui


nauí in Cyprum abíret, iterum interceptus à Pyratis, ceu fugitiuus Soldano tradi- 1280
tur: miſertus hominis optimi Tyrannus, eum iterum dimittit, ac nauí parata in Cy
prum deducere iubet, vbi reginæ munificentia, ære, commeatu, equis, & ſeruis
ſplendidè inſtructus, Maſſiliam ad amitam (quæ reguli Maſſilienſium vxor e-
rat) nauigio traijcitur. Tandem poſtliminio domum reuerſus, apud ſuos in ma-
gna exiſtimatione diem extremum clauſit.

Heinrico duce capto Saraceni Antiochiam inuadunt, vniuerſam penè delent, *Saraceni Ar*
& homines vinctos abducunt. Inde in Armeniam redeunt, ſed malè ibi tractati, in *menios vin-*
fugam conijciuntur. Bandodacar verò telo ictus ſemiuiuus in caſtra, quæ ad Ar- *cunt.*
meniæ fauces collocauerat, à ſuis reportatur. Damaſcum cum veniſſet atq; vigínti
millia captiuorum, quos Antiochiæ & alibi vinxerat, ſecum haberet, paulo pòſt
ex vulnere obijt. Huius mortem Helpís filius vlturus, Armenijs bellum infert: ſed
cum à noſtris ipſis auxilium negaretur, Abagæ Scythæ opem implorant. Mittunt
itaq; triginta millia equitũ in Syriam quibus Mandogamor Abagæ frater præe-
rat, tãta hoſtium multitudine territus Helpis, munerib. apud ducem obtinet, vt
Armenios deſerat. Inita ergo pugna, cum iam ad Armenios victoria inclinaret,
Mandogamor pugna excedit, Armenij verò cæduntur, amiſſa Hama, alijſq; Syriæ
vrbibus. Abaga reuerſos ſuos ignominia notat, vt per omnem vitam habitu veſti-
tuq; muliebri vterentur: duces verò & fratrem ſecuri percuſſit.

Aliquanto poſt Syriacis Chriſtianis Abaga & Tandogar fratres, belũ intenta- *Mergathum*
bant, ſed domeſticis inſidijs oppreſſi ſunt. At Melechſaites Saracenus (qui Helpi *Ioãnitarum*
nuper ſucceſſerat) Marmeã vrbem, quę & Mergathum dicitur, in Syria Phœnicia *præſidiũ ca-*
expugnare decreuit, quæ ab Hoſpitalarijs S. Ioãnis regebat, eam etiã equites eius *ptum.*
ordinis præſidio, turrib. propugnaculis, & cõmeatu egregiè muniuerunt, ſicq; in-
ſtructam ad multos annos haud facilè in Tyranni poteſtatẽ iturã ſperantes. Mel-
cheiſates verò ex omnib. ſui regni prouincijs copias conſcribit, ac Arabes in auxi-
lium vocauit, vt ad 60. millia equitũ, & multa millia peditum in armis habuerit. Cũ
ad Anteradon veniſſet, quæ 14. millia paſſuũ à Mergatho diſtabat, etiam inſtructiſ
ſima claſſis Aegyptia præſtò fuit. Barbari ergo corona vrbem circundant, ac forti-
ter oppugnant. Verùm Hoſpitalariorũ & Germanorũ militũ, qua eis ſuppetias ve
nerant, multoties magna ví reiecti fuerunt, ſæpius etiã ex inſperato erũpebant, &
multos hoſtium trucidabant. Cum itaq; Barbarus aperto Marte nihil efficere poſ-
ſet, magnam foſſorũ manum nocturno tẽpore immittit, atq; cuniculis mœnia vrbis
ſuffodere iuſſit. illi ergo egeſta terra vaſtis cauernis totam vrbem penſilem faciũt,
atq; fundamẽta aridis ligneiſq; paxillis ſuffulciunt, quę ignẽ ſubitò concipere poſ
ſent. Poſtea ſubitò nunciũ ad noſtros miſit, qui vt vrbẽ dedant adhortatus eſt. Vox
nuntij primò riſu excepta, atq; inſtanti cõuitia addita, donec periculi admoniti, ac
fide accepta aliquot milites rei peritos emitterent, qui ſuffoſſa mœnia inſpicerent,
ac imminentẽ cladem ad ordinis Magiſtrũ referrent. Cognitis rebus incolumita-
tem pacti, quantũ quiſq; portare poterat in humeros cõijcit, atq; armatus emigrat.
Barbari promiſſa ſeruant, & liberos cum ſuis abire permittunt. poſtea deleta vrbe
præſidiũ muniunt, atq; cæli inclementia impediti ad ſuos reuertuntut. Acta ſunt
hæc anno 1285. In huius vrbis memoriam milites ordines apud Francos Orienta
lem arcem ædificarunt, quam Mergatheim à perdito præſidio denominarunt, quæ
hodie Theutonico ordini paret.

Eodem anno Melechſaites quoq; Carmelitarum familiã tota Syria eiecit, idq; le *Carmelita-*
tiſſimã ob cauſam. Carmelus eſt mõs in Syria, Helie, Heliſei, & aliorũ prophetarũ *rumordo ex*
inhabitatione nobilis. Hunc locũ ſub Almerico Hieroſolymitano patriarcha inſe- *Syria pulſus*
derant Anachoritæ, ac cum ſparſim circa montẽ agitarent, tandem conuenerũt ad
Fontem, qui Heliæ dicitur, in montis cacumine, ac phanũ & cœnobium conſtruxe-
runt, vni qui honeſta præcipiebat humiliter parendo, ſine tũ certo inſtituto, ſine pe
culiari cultu, ſine ceremonijs. Albertus poſt Hieroſolymitanus (ſub Innocentio 3
pontifice) patriarcha & legatus certas obſeruationũ regulas præſcripſit, addidit &

1294. veſtituri normam, pallium ſcilicet verſicolorem ex albo & canuſino circulatum, af-
ſerens, Heliã eiſmodi cultu ornatum inceſſiſſe, ac S. Baſiliũ ea viuendi forma vſum
fuiſſe. Erat hic propheticus pallij habitus nõ ſolũ Chriſtianis ſed etiã Barbaris gra-
tiſſimus, vt tota familia magnis Soldani eleemoſinis ſuſtentaretur & locupletaret.
Sed pontifici Romano Honorio eius nominis quarto nõ admodũ probabat, quaſi
verſicolor habitus religioni non conueniret. Igitur illis pallium albũ datum, ita vt
ſub eo canuſiati eſſent, atq; vterque color illis retineretur. Quod vbi factum Me-
lechſaites reſciuit, tanta ira exarſit, vt cõgregatis copijs cœnobium inuaderet, ex-
pulſisq; omnibus, & phanum & cœnobium incẽdio deſtrueret. Repullulauit hęc
familia breui in omnibus regionibus Chriſtiani nominis adeò, vt aliquot millia
cœnobia huius ordinis extare dicantur.



Tripolis & Tyrus Chriſtianis per Soldanum adempta.

Melechſaite rege Saracenorum mortuo, Alphir Soldanus eligitur ac rerum in
Aegypto ac Syria potitur. Is cum in occidente omnia inter principes Chriſtianos
bellis ardere per exploratores cognouiſſet, Tripolim Syriæ vrbẽ nobiliſſimã obſi-
det, omni externo ſubſidio deſtituram. Cum aũt aperto Marte vix aliquid efficere
ſperaret, rem per cuniculos egit, ac tandem vrbem expugnat ac ſolo æquat, maiori
parte Chriſtianorum cęſa, alijs fuga elapſis. Incidit hæc calamitas 9. April. ann. 1289.
mox etiam arcem Neleſinam deditione capit, & præſidio fortiſſimo muniuit, ne
Tripolis à Chriſtianis denuo ædificari poſſet. Inde etiam Sidonem & Berithum vr
bes cepit, & ſpoliatas diruit. Poſtea quoq; caſtra ad Tyrum vrbem locauit, quam
tertio obſidionis menſe certis condictionib. occupauit. ciues etiam omnes, cũ re-
bus quas ſumẽtis aut nauigijs auferre potuerunt, incolumes abire permiſit. Demũ
receptis præſidijs, vrbibus, oppidisq; omnib. à Chriſtianis in Syria habitatis, nil no
ſtris reliquũ in tota prouincia fecit, ſola Ptolomaide excepta, q̃ à Ioãnitis & Tẽpla-
rijs fortiter contra Barbaros defendebat, quò etiam omnes Syriæ incolæ tãquam
in Aſylum quoddam confugerant. Poſt captã Tyrum Alphir cum Venetis ac re-
liquis Chriſtiani nominis principib. quinquẽnales inducias fecit, ne extremo Chri
ſtianorum excidio occidentalium animos prorſus exacerbaret.

Cum

Cum Christiani in Syria hoc modo in arctum redigerẽtur, Petrus Beluisius ma- 1288
gister Templi, atq; magnus Hospitalarius Ioãnitarum equitum magister subitò in *De Ptolo-*
Europam legati trajciunt, atq; à Romano pontifice auxilia efflagitãt. Nicolaus 4. *maidis vrbis*
tantis calamitatib. motus, principes solicitat vt opem ferant. Rodolphus aũt alijs *statu.*
bellis occupatur, vt Imperiũ pacaret. Francus & Gallus, prætextu belli sacri, à suis
magnam pecuniã accipiũt, sed opem nullã ferunt: solus pontifex mille & quingen
tos cataphractos equites, atq; Veneti aliquot triremes miserunt. Conuenerant e-
tiam Brunduſij ad ordinũ Magistros non exiguus numerus militũ voluntariorũ, q
à Germanis principib. præsertim verò à Ioanne Barone in Lupffen Ioannitarũ per
Germaniam tertio Priore persuasi, sese eò contulerant. Hi omnes nauib. impositi,
Ptolomaidẽ tandem peruenerunt. Erat tum Ptolomaide magna hominum collu-
uies armatorũ millia ferè quinquaginta, imbellis sexus & ætatis quadragies mille.
Rapinæ, cædes, stupra, adulteria, aliáq; scelera cõmittebantur tum plurima, & qui-
dem impunè, ipsi enim duces inter se diffidebãt, cũ quisq; eorũ regni Hierosolymi-
tani titulos sibi arrogaret. Heinricus enim Cypri rex magna classe eò profectus Tẽ
plarios monebat, vt ei regni coronã redderẽt, q̃ Almerico & Guidoni maioríb. suis
ademissent. Carolus quoq; Siciliæ rex per legatos sibi regni Hierosolymitani titulũ
petebat, is cũ audiret Diadema & regnũ nomẽ Heinrico cessisse, vectigalia Tem-
plariorũ quę sub ipsius ditione percipiebãt, erario suo inferri iussit, ipsorúmq; prę-
dia diripi & vastari voluit. Hugo Antiochenus princeps paterna auitáq; in regno
iura & armis & viríb. conseruare studebat. Tripolitanus à Raimundo Tolosano
propaginẽ se ducere cõtendebat, atq; principẽ veteris nobilitatis quę Syriam ẽma
nu Saracenorum eripuissent, præter se nullũ extare, quapropter etiã regiã dignita-
tem sibi potius quàm alijs deberi. Hi ergo quatuor principes non magis de regno
perdito, quàm de dominio Ptolomaidis vrbis decertabant.

Interea legatus quoq; põtificis ius quæsitum regni & vrbis repetebat, cum Brẽ-
num regem beneficiarium Romanæ ecclesiæ fuisse constaret. Patriarcha etiã Hie- *Ambitio*
rosolymitanus primas partes prophani sacríq; dominatus sibi in ciuitate peritura *procerũ in*
arrogabat, quoniã Metropolitanus Tyrensis, sub quo Ptolomais tertiam sedem e- *vrbe.*
piscopalẽ haberet, ipsi subesset, idq; scitu occidentalis ecclesię. Hospitalarij S. Ioan
nis, Tẽplarij, & Theutonici milites qui supererãt, quorũ potestas in vrbe maxima,
sanguinis effusi pretium effundendiq; propositum contendebant esse vrbis regi-
men, multa pollicentes si administratio Reipublicæ ipsis permitteret. Frãcus An-
glúsq; reges per internuntios imperiũ vrbis ambiebant: Pisani qui consulẽ in vrbe
habebant ac indigenarũ nuptijs magnam contraxerant necessitudinem, sua factio
ne primatũ affectabant: Venetus authoritate sua & opibus largitionibúsq; popu-
li studium quærebat: Genuenses partes & factiones ludificabãt, minoríb. clam pa-
lamq; auxilia submittentes, donec debilitata parte quam oderant, fauore debiliorũ
gradus ad vrbis imperiũ sibi pararẽt: Florentini negociatione & mercatura sibi do
minium struebant: Armenij & Tartari vicinitate & potentia, qua rebus omni mo-
mento adesse possent, multos sibi conciliabant. His omnib. idem scopus vrbis sci-
licet Tyrannis, singulis verò in eadẽ ciuitate ius propriũ & prætorium singulare.
Igitur omnib. peccare licitũ, punire erat prohibitũ, dum scelerati vnius sententiam
fugiendo sese ad alium iudicem cõferrent. Per compita plateásq; indies homicidia
perpetrabantur, domus diripiebantur, ac tabernæ mercatorum effringebant. Itaq;
furores hominum diuinas pœnas acceleraruntt.

Cum intestinis factionibus omnia essent plena, & promissa militibus stipendia
non numerarentur, ex rapto viuere necesse habuerunt. Excursiones igitur in finiti *Ptolomais*
ma Soldani loca agunt, igni ferróq; omnia depopulantur, spoliant homines, pecu- *grauiter ob-*
déq; abigunt. Soldanus prædam repetit & fœderis violatores sibi tradi postulat: *sessa.*
sed nec pręda redditur, nec legati benignè audiuntur. Irritatus hac ferocia Solda-
nus, Emilech Araphum filium cum centum & quinquaginta armatorum millibus,
ad obsidendam vrbem misit, præsertim cum per exploratores cognouisset, Euro-

1290 peos Christianos segniter subsidia parare. Hostis statim cuniculos agere incipit ac quandam vrbis partem prosternit, sed post obsessi ossores ab incœpto desistere cogunt. Aperto itaque bello Barbarus vrbem oppugnat, & muros arietibus concutit. Eodem tempore Araphi pater apud Damascum moritur, itaque Araphus absens à Saracenis Soldanus salutatur, cúmque paternæ copiæ nouis suis augerentur, tota Barbarorum multitudo arctius vrbem cinxerunt. Obsessi ergo summam belli Petro Templariorum magistro, viro fortissimo demandarunt. Araphus autem qui Christianos tota Syria eijcere, & æternum fortitudinis suæ nomen sibi comparare proposuerat, extrema tentaturus, prius postulat, omnibus liberam abeundi potestatem datum iri, principibus dona, & militibus stipendia pollicetur. Respuit ea Petrus, & animosè respondit, à maioribus suis se non recepisse vt partam tanto sanguine Christiano vrbem prophanæ superstitioni sęque gentis ære commutaret. Non inanes præterea Araphi minas tanti eum facere, vt promissiones Christi fastidio haberet. Itaque Tyrannus hæc intelligens, ira ardebat, ac postero die vrbem & incolas excidio tollendos statuebat.

Ptolomais à Saracenis expugnata.

Sequenti die vrbs summis viribus à Barbaris oppugnata, subindéque fessis recentes submissi, tandem tamen Barbari reiecti, & in castra redire coacti fuerunt. Dum autem militares ordines à mœnibus hostem reijciunt, Petrus venenato telo ictus post tertium diem obijt. Concidêre tum Christianorum animi: nemo enim erat qui commodè rebus præfici posset, licet multi ambirent, multi præterea clam & apertè, confictis abitus causis, vrbe excedebant. Hæc cum Barbaro ignota non essent, vrbi propius admouit exercitum, ac proximum à Soldano honoris gradum ei promittit, qui primus vrbis mœnia conscendisset, cęteris verò vrbis prędam. Hæc cum obsessi exaudissent imbellem turbam senum & paruulorum in Cyprum fœlici nauigatione mittunt, discedit & Patriarcha, sed fluctibus in mari obruitur: manserunt tandem duodecim armatorum millia, quæ vrbis defensioni sufficere videbantur. Hostis de Christianorum fuga certior factus, vrbem maiori impetu oppugnat, atq; scalis admotis mœnia superare contendit. Nostri verò viriliter resistentes, tandem ferè omnes vulnerati à murorum propugnaculis repelluntur. cum Barbarus murum occuparet, nostri conglobati in forum conuolant, asseribus, tabulis, scalis, & quæ sors offerebat se vallant, honesta morte exitum illustrem expectaturi. Vbi ad arma ventum, ex desperatione fortiter dimicarunt, ac per ipsa cadauera à mortuis audaciam concipientes, in obuios immanius sæuierunt. Saraceni captato ère consilio, per mediam suorum aciem viam pugnantibus ad portam faciunt, rati fugę intentos & nullo ordine nauigia conscendentes, facile & sine periculo opprimi posse. id quod etiam euenit. Itaque in ædes sese recipiunt, donec dissolutis agminibus nostros omnes naues petere cernunt. Tum demum ex omni parte immissis cohortibus impeditos trucidant, aliósque in mare præcipites pellunt, donec omnes cæsi & aquis suffocati viderentur.

Christiani in Syria occisi aut expulsi.

Postea Barbari conuersis signis omnes vrbis angulos scrutantur, nullóque delectu habito mortales omnes gladijs dicerpunt. Direpta etiam vrbs, atque præda nouo edicto militi concessa. Hinc factum, vt præstantissimi quique Hospitalariorum & Templariorũ qui in Syria remanserant, eo die succubuerint. Sed hominum cędes victoris iram haud satiare potuit, cum magno vrbis excindendæ desiderio teneretur, præsertim cum cruentã victoriam acquisierat, & fortissimos quosque milites in oppugnatione amiserat. Itaque Tyrannus vbique præsens ignem subijcere iussit, qui magnã prædæ partẽ cum ædificijs absumpsit. Deinde mœnijs publicorum priuatorumq; ædificiorum templorumq; fundamenta refossa, omnia ita solo æquata & euersa, vt ne indicium vllum aut monumentum vrbis extaret, sed ruinarum cumulis locus purgatus sese ad arandum ac serendum commodissimum præstaret. Sic amissa Ptolomaide, Cyprus & Armenia minor Christianis tantum in Syria salua permanserunt. Incidit hæc clades in annum à nato Christo mille-

millesimo ducentesimo nonagesimo primo: ex quo verò cum reliqua Syriæ par- 1291
te à Balduino rege recepta est, anno centesimo octuagesimo septimo. Nihilominus tamen aliquot adhuc præsidia & loca munitissima minora Militaribus ordinibus permanserunt, quibus inclusi Barbaros repellebant, atq; Christianorum ex Europa auxilium magna anxietate expectabant.

Cum hoc modo post amissam Ptolomaidem Christiani ferè omnes ex Syria pul- *Christianorum discordia pijs obfuit.*
si essent, veritus Nicolaus põtifex Romanus, ne hostes reliquum Asię quoq; occuparent, ad Rodolphum Cæsarem legatos mittit atque ab eo petijt vt & copias & seipsum Imperatorem ad sacram expeditionem pararet. Imperator benignè legatis respondit, sed morte præuentus nihil præstitit. Postea Adolphus successit, qui ciuilibus bellis implicitus tentare nihil ausus fuit: itaque pontifex cum aliud nihil posset, supplementa in Syriam mittentibus crucemq́ue profitentibus, omnium peccatorum veniam obtulit: insuper, ne quis Christianorum aliquo titulo arma, annonam, aut alias res Saracenis transportet aut vendat, interdixit, postea mœrore obijt, & Celestin. 5 successit: in Cypro verò rex Heinricus vt tantam cladem aliqua re mitigaret, Famagustam vrbem, ad exemplum Ptolomaidis, extruxit, atque Christianis Syria pulsis inhabitandam cõcessit, vt similitudine quadam, amissæ vrbis memoriam ipsis mitigaret, quum præter amplitudinem prior vrbs ipsis extare videretur. Sed his omnibus rebus Christianis nullum commodum accedebat, ac procul dubio Araphus maiora tentasset, nisi Tartari rebus desperatis auxilium attulissent. Nihil enim quod pacem spiraret apud Christianos tum agebatur: nam Germani Adolphi & Alberti Cæsarũ factionibus mutuis cædibus concurrebant: Veneti & Ligures omnes maris sinus cæde & sanguine fœdabant: Anglus & Gallus de Aquitania contendentes bello cruento omnia Christianorum consilia interturbabant. Siculis & Arragonensib, de regno grauis erat concertatio, quin & Bonifacius 8. astu sedẽ Romanã occuparat, atq; Purpuratos præsertim Colunnẽses variis modis persequebat, ita vt ex Europa Syrianis in Asia nihil spei relinqueret.

Rebus sic constitutis, Tartari nostrarum rerũ iactura maximè afficiebantur, Cas- *Tartari Syris potiũtur*
sanus enim repudiata lege Machometi Christi cultum amplexus erat. Is primò Persas adoritur, ijsq; in potestatem redactis, regis Armenij filiam puellam speciosissimam vxorem duxit, postea eius præcibus Syriæ opem ferre, atq; Saracenos inuadere statuit. Congregato igitur quam potuit maximo exercitu, auxiliares Armeniorum & Georgianorum copias sibi adiunxit, ac traiecto Amano monte in Syriam ad Hamam vsq; cum ducentis millib. armatorum peruenit. Ibi Melcenasarẽ Aegypti præfectum magna Saracenorum manu obuiam habuit, quem tãdem ingenti prælio victum tota Syria expulit. Hunc etiam Molais dux Tartarorum vsq; ad deserta Aegypti persecutus fuit. Hoc prælio Saracenorum quadraginta millia occisa feruntur, quod in annum 1298. incidit. Tartarus victor Hamam occupat, atq; ibi ærarium regium reperit, quod direptum liberaliter inter milites distribuit, nihilq; ipse sibi ex diuite præda quàm ensem arculamq; secretioris literis refertam retinuit. Pulso hoc modo Aegyptio, Syriæ vrbes omnes recepit, atq; ipsam Hierosolymam in potestatẽ redegit, quã multis in locis à Saracenis deformatam restauravit, atq; cum Tẽplo Dominico Armenijs, Georgianis, cæterisq; ex Cypro & late bris conuolantib. Christianis, habitandã concessit. Ipse magnis donis sacris locis dotatis cum exercitu Damascũ proficiscitur. Territi Damasceni regis aduentu per legatos deditionẽ faciunt. Hisce receptis castra ad vrbẽ locat, vt tẽpore autumnali in Aegyptũ pergeret, belli reliquias persecuturus. Hic sedenti nuntiatur in Perside graue bellum exortum, ac fines suos à Caido infestari, itaq; copiarum parte in Syria relicta, ipse in Persiam reuertitur. Custodiã Damasci Capcapo attribuit, qui post fractas sui regis Soldani opes, ad ipsum defecerat. Hierosolymarum verò gubernationem Molai commendauit. Tum etiam Heinricum Megalopolensem principẽ cum reliquis captiuis ex carcere dimisit, atq; in patriam redire iussit, etsi prius etiã alium modum liberationis exposuerimus.

1299 Discordia Principum Christianorum Syria amissa.

Cassanus ex Syria discedens Tyrum vrbem restaurare, atque bratores ad occidentales principes suos præfectos mittere iubet, qui fœdus cum Christianis ineãt, vt communi animo consilióque sacrum regnum recuperaretur. Atque Tyrus restaurata Christianis tradita, & eorum præsidio firmata. Verum legati ad Bonifacium pontificem venientes nihil impetrarunt, is enim eo tempore cum Philippo Gallorum rege grauissimas contentiones habebat, atque eundem regno priuans asserebat, sacram prophanámq; regni Francici iurisdictionem ad Romanam eccle siam deuolutam. Vnde etiam Albertum Austriæ ducem Imperatorem atque Francíæ regem declarauit: sed paulo pòst captus à Sarra Columnensi in carcere necat. Habuit is Benedictum vndecimum successorem qui Philippo regiam dignitatem restituit. Sicq; pontifex ambitione sua res Syriacas perdidit, quæ facilè Tartarorum ope recuperari potuissent. Eadẽ ratione & Germania in duas factiones diuisa, ciuilia bella exercuit, nuliáque auxilia Christianis in Syria laborantibus submisit, etsi Gothfridus à Clingensteis 4 Ioannitarum per Alemanniam Prior nihil intermisit quod ad belli Sacri expeditionem facere videretur, Pars enim Adolphum Nassouium, alij Albertum Austriacum Cæsarem sequebantur.

Capcapus Ordines militares ex Syria eiecit.

Interea occidentalium principum discordia Saracenis animum reddidit, & cristas erexit: nam Capcapus Damascenorum præfectus cum Turcarum vires in Syria exiguas, domi ciuilibus bellis occupatas, ac ex Europa nihil subsidij Christianis accedere sensit, à Tartaro defecit, totúmque Damascum ac Syriæ partem superiorem rebellem fecit. Id cum Molais dux audiuisset, ex Hierosolymis accessit, atque cum nouo hoste confligere statuit. Verum per exploratores cognouit etiam tum Aegyptũ cum Capcapo conspirasse, quapropter tantis viribus impar, in Mesopotamiam se recepit, vt Tartarorum supplementa & Armeniorum auxilia impetraret. Itaq; Saracenus cum Tartaros Syria excessisse conspiceret, Hierosolymam rectà tendit atq; expugnatam imò desertam & vacuam recepit, prophanatis sacris Templi domini locis. Attamen Cœnobitarum precibus delinitus apud sepulchrum Domini maiora pietatis quàm sæuitiei exempla reliquit. Postea alia quoq; ignobiliora oppida expugnauit, atq; omnia Hospitalariorum & Templariorum arces & præsidia funditus euertit. Restiterunt militares ordines Tyranno per annum ferè integrum, in quo etiam fortissimi quique pugnando fessi succubuerunt. Tandem nobiles harum familiarum omnes cædi, superstites viui in hostis potestatem venerunt. qui etiam abiurata Syria libertatem cum bonis mobilibus obtinuerunt. Hacq; ratione strenuus Ioannitarum ordo Syria excessit, circa annum salutis humanæ millesimũ trecentesimũ, cum ferè equites illi 300 ann. ibidem manserint, atq; sacra Palestinę loca cõtra varios Barbarorũ insultus fortiter defendissent.

Tartari Syriam recipiunt à Saracenis.

Sub finem huius anni Cassani iussu Syria iterum Tartarorum copijs bello petita, duce Cataloſa, qui Molai cum triginta millibus equitum subsidio fuit. Ex Cypro etiam, Armenia, Tyróq; ad id bellum auxiliares copiæ accesserunt. Capcapus qui iam Edessam vsq; excursiones fecerat, Tartarorum multitudine & ferocia territus, sese cum suis in fines Damascenos recepit, atq; vrbem firmo præsidio munivit. Hunc Molais & Cataloſa insecuti Damascum vrbem obsident, & fortiter oppugnant: tandem etiam vrbem expugnant, diripiunt ac incendunt. Verum Capcapus euentum præsentiens sibi fuga vitam conseruarat. Itaq; Tartari fugientem per deserta ad fluuium Nilum vsq; persequuntur: interim autem Capcapus Pelusium aufugerat, ac in loco munitissimo constiterat, belli exitum expectaturus. Cum autem nostri eundem assequi non possent, inter eruptionem lacus Sirbonis & Pelusiacum ostium, castra locauerunt, ibi fraude Saracenorum circumuenti, nocturna fluminis inundatione penè periclitati essent, qua etiam trepidatione non paucos amiserunt. Cum autem exercitus duces viderent vrbem firmiorem, quàm quod sine machinis aut classe expugnare possent, retrogredientes ad Euphratem reuersi sunt. In Syria etiam quędam præsidia restaurarunt, atque cætera ne hosti subsidio essent, diripuerunt atque euerterunt.

Damas-

Dum autem ad ſuos per fluuiũ redire conaretur, magna clade fracto ponte quo 1300
flumen conuinxerat, affectus fuit. Hácque ratione res Chriſtianorum circa Syriam
ierum emergere cœperunt, ac proculdubio reſtitutæ fuiſſent, niſi eodem tempo-
re Turcæ gens truculenta atque Europeis incognita caput extollere, atque noſtris
negotium faceſcere cœpiſſet. Nam quicquid aquarum ſupra Cretam ad ortum ia-
cet, circa Cyprum atque Rhodum ita infeſtum reddebant, vt nihil ferme tutum to-
ta ora orientis nauigantibus relinqueretur. Itaque de huius gentis origine & in-
crementis pauca ſubiicienda cenſuimus.

Turcę propaginem ſuam à Gomer Iapeti filio ſumpſerunt, qui Riphatem atque *Turcarum origo.*
Togormam genuerat, quorũ poſteri ſorte Aſiam obtinuerunt. Hi ad Tanais fluuij
originem primò conſederunt, atque Ripheis montibus nomen dederunt. Itaque
profundas ſyluas vſque ad Hyperboricum oceanum verſus Aquilonem, ſed ver-
ſus occidentẽ ad mare Caſpium vſq; regiones incolebant, venatu victitãtes. Tum
ſine legibus vagi errabant, rapina & præda inter ſe errantes. Nulla illis vrbs, nulla
ſocietas, certa ſedes, aut habitus aliqua ratio, quod primum occurrebat, quod alij
abominabantur deuorabant. Stupris & inceſtibus gaudebant, vnicum illis ſagit-
tandi equitandique ſtudium à teneris annis ad extremam vſque ſenectutem. Gens
fuit obſcura, quæ nec Cyri nec Alexandri expeditionibus nobilitata, ad Pompo-
nij Melæ tempora, qui in Geographia ſua inquit, Turcas iuxta Tanaidem vaſtas
ſyluas occupare, & venando ali. Aucta verò Prole Turcæ ſub Auguſto Octauia-
no Romanum imperium venerati, non ſenſerũt. Deinde cum diuiſo imperio pro-
tinuę omnes dilacerarentur, atq; in partes debiliores redigerentur, Turcæ latro-
num more clandeſtinis excurſionibus vicinas gentes moleſtare, & fluminum va-
da tranſire cœperunt, ita vt occaſione ſublata irruptiones in eos, qui fœliciori cœ-
lo atque ſolo vterentur, facere poſſent. His gradibus paulatim gens effera emerſit,
vt ad Meotidem paludem cum finitimis de rerum atque agri poſſeſſione certare
non vererentur.

Poſtea traiecta palude inſulas Phanagorum & Hermonaſſam occupant, dein- *Romanum Imperium à Turcis vaſtatur.*
de à læua Cherſoneſum aggrediuntur, hominibus quietis magis vomeri quàm ar-
mis natis habitatam. Arriſit primum feris hominibus fructuum dulcedo, atque cu-
pido inceſſit alienæ fœlicitatis. ergo euocatis omnibus familijs oſtij Meotidis v-
ramque ripam colere incœperũt, atq; ducem qui eos regeret elegerunt. Is, vt diſ-
ciplina militari ſuos inſtructiores redderet, antequam homines Europæ aut Aſiæ
in armis atq; Romanorum belli exercitatos aggrederetur, ſtipendia cum ſuis apud
exteros merere inſtituit, atq; petentibus operam militarem locauit. Itaque Artaxi
regi Parthorũ contra Alexandrum Romanorũ imperatorem, ſub Scytharũ nomi
ne, ſtrenuè militarunt, eo verò devicto Miſithei opera Romanis fidem præſtite-
runt & quieuerunt, donec perfidia Philippi Miſitheum cum Gordianis extinctum
audierunt. tunc facta eruptione limites imperij Romani vaſtare, prędas abducere
cędes vndique facere, & viri optimi mortem vindicare conabantur, ſed à Decio
iterum repulſi ad ſuos ſeſe receperunt. Mox reparatis viribus, Romano imperio
minabantur, & ab Aemiliano victi cedere cogebantur. Statim autem à Sapore re-
ge in ſocietatẽ belli acciti, in cauſa fuerunt, vt Valerianus caperet, ac Romanorum
exercitus magnam cladem acciperet. Póſt etiam Parthorum claſſe adiuti Cyprum
& Cretam vaſtare nitebantur, quod quidem effeciſſent, niſi Claudij virtute, imò ma
xima fame & peſte reiecti fuiſſent.

Interea moritur Turcarum dux, duobus adoleſcentibus filijs relictis: illi inter ſe *Mahometis falſa ſecta.*
regno diuiſo duas factiones conſtituerũt, ſcilicet Hunnorũ, quã poſtea Keua dux
Danubium traijciens in Hungariam duxit, & Turcarũ quæ diutius ad Meotidem
ſedit, quo ad Iulianus Parthicum nomen affectans bellum Parthis parabat. tunc
Hunni à Sapore conducti Parthis militarũt. Pari modo Zeliorbi ductu & Scytharũ
auxilio occupatione huius filio Coſroi contra Iulianum auxilio fuerunt. Iam verò Hera
clio imperante etiam Perſis auxilio aduolant Turcarum nomine, quam appella-

1305 tionem eo tempore primo noſtris audire contigit. Eodem tempore Machomet propheta humili ac obſcuro genere in Arabia aut (vt alij volunt) in Perſia, patre idololatra & matre Iſmaelita, natus fuit: itaq; vtroq; cultu puer imbutus, iam adultus neutrum recepit. Quin etiam inter Chriſtianos diu verſatus, humano generi ſectam pernicioſam ex duabus legibus eſt commentus. factus homo verſutus, rapax, impurus, omni ſcelere obnoxius, ſimulator & diſſimulator callidus, mercimonijs præficitur: camelos agebat per Aegyptum, Syriam, Paleſtinam, pérque amœnos locos peregrinos, quibus itineribus Iudæorum & Chriſtianorum conſuetudine vſus, ſacras ſcripturas deprauare cœpit. Continuis poſtea furtis ac ſpolijs ditior factus, indies ſcelerum participes ſocios plures breui tempore comparauit. Mortuo domino ſine liberis, eius viduam Gardigenam Iſmaelitam, iam quinquagenariam & admodum locupletem, vxorem duxit: homínis quoque temeritatem Sergij Monachi perfidia auxit. Is enim Neſtorianus factus & Conſtantinopoli eiectus, in Arabiam profugerat, ac in Mahometi familiaritatem peruenerat: ibi adiunctis alijs Hæreticis & Iudæis ſuum Alcoranum compoſuit, atque multis gentibus nouam illam legem ſuſcipere perſuaſit. In eo circumciſionem præcepit, polygamiam admiſit, diem Veneris feriandum cenſuit, atque voluptates varias in Paradyſo ſectatoribus promiſit: capitalem etiam pœnam ſtatuit ijs qui de lege ſua diſputare auſi eſſent.

Turcæ & Saraceni promiſcuè nominati.

Cum Saracenorum ac Arabum multitudine hac ſuperſtitione ſibi deuinxiſſet, iam non latrocinijs, ſed aperto Marte cõtra Romanum Imperium arma cepit, præſertim cum Heraclius Imperator ipſis indebita vectigalia imponeret, atque ſtipendia debita minus liberaliter numeraret, & per præfectos canes appellaret, ita vt ab eodem deficerẽt anno circiter 600. Ergo facto ſtatim in Syriam impetu, primò Damaſcum occupant, ac inſigne templum Mahometi tanquam Deo conſecrant. Aucto deinde exercitu Aegypto quoque potiuntur. mox finitimos Perſas aggreditur Mahomet. Verum illi Turcarum auxilio freti, Saracenos repulerunt, & ſuo regno fortiter eiecerunt. Poſtea verò Perſæ denuo bello petiti ac victi fuerunt, ita vt Mahometis religionem ſuſciperent, atque inito fœdere, nunc Saraceni nunc Turcæ promiſcuè dicerentur. Cum itaque Turcæ viderent Perſarum vires per Romanos & Saracenos fractas ac imminutas, pertæſi alijs ſeruire de regno conſtituendo & occupando animum inducunt. Ergo primo Alanos deinde Colchos inuadunt & ſibi ſubijciunt: inſequentibus deinde temporibus diuerſi ex ijs duces ac principes diuerſa loca ceperunt: Solimannus enim Niceam vſq; ad Helleſpontum, & Tarſum Ciliciæ occupauit, qui in prima expeditione Hieroſolymitana à Gothfredo & noſtris cum tota familia expulſus fuit. Ducatũ Damaſcũ, omnémq; regionẽ Decapoleos & Hieroſolymam ſubegit: Aſſimgur Alapiã: Annexianus Antiochiam, atq; Calypha à gente Saracenica Aegypti regiones, Laodiceam Syriæ vſque poſſidebant. Poſt annos deinde octuaginta, regnante apud Hieroſolymorum vrbem Almerico, Syracinus Noradini principis Damaſceni dux, ſimulatione ferendi auxilij Calyphæ Aegyptio, qui à noſtris tum oppugnabatur, eum obtruncauit, atq; ſeſe primũ Soldanum Aegypti conſtituit. Salladanus huius ſucceſſor Hieroſolymæ Syriæq́ue regnum, noſtris expulſis, in poteſtatem recepit, proceſſuq́ue temporis Saracenicum nomen ex Turcis, quod inter Arabes verſarentur, in hodiernum diem vſque acceperunt. Perpetua autem poſtmodum lege ſanxerũt, ne quis Turca in ſecta Mahumetana natus Sulthanus fieret, ſed aut Chriſtianus fidei deſertor, aut alterius nationis ſeruus aut captiuus.

Ottomãnorum familia alias apud Turcas ſuſtulit.

In Perſia deinde inter Turcas, Saracenos, & alios Mahometici ſectatores variæ diſſenſiones & domeſticæ factiones exortæ, adeò vt cum Imperij inclinatione nomen Turcarum ferè extinctum fuerit, donec Dutzalpes apud Meotidem exiſtens, totius gentis ſuffragio dux conſtitueretur. quo mortuo filius eius Oguzalpes tribulum ſuorum auxilio tyrannidem arripuit, arma Græcis intulit, ac ſuum nomen in Aſia illuſtre fecit. Erat huic filius Orthogules manu promptiſſimus, ac ingen-

ingentis spiritus: hic classe parata insulas Aegei maris infestis armis occupat, Asiæ 1306
& Europæ regiones prædatur, Pelopõnesum, Euboeam, & Atticam ferro atque flamma depopulatur: deinde confluentibus ad ipsum eius gentis viris fortissimis, Mysiam Phrygiæ inuasit ac potitus est, ibique sedem figere cœpit, Soguta vrbe metropoli constituta. Mox etiam Christianorum discordia fretus decem annorum spatio omnes regiones circa Pontum in suam potestatem redegit. Ex Orto gule prognatus est Othomannus paternæ virtutis æmulus, qui in magnam spem a patre educabatur, comes sociúsq; in omni bello assidens. sed tamen Regiam potestatem inter Turcas obtinere non potuit. Nam anno circiter 1180 quatuor è Perside familiæ cum totidem ducibus & exercitibus latè per Asiam & Europam vagatę sunt, Othomanni, Assembecci, Candelori, & Caramanni: Othomannis regionis Sicilia cessit. Verum Ottomānus ingenti manu Turcarum conflata non solùm Christianos prosternere, sed etiam suæ gentis principes armis petere statuit. Itaq; factum, vt ipse cum sua posteritate in summum regni fastigium euaserit, atque alias potentes familias paulatim absorpserit, & sibi subiecerit. Ottomannus etiam aliquot ciuitates Euxino mari adiacentes subegit, atq; Prusiam Bithyniæ vrbem regni caput constituit. Imperio suo confirmato, anno 28 obijt, & Orcannem filium successorem habuit.

Turcarum mores & victus.

Turcæ natura sunt superstitiosi, credentes miraculis, somnijs, Prophetijs, & diuinationibus, si quid boni habent, charitatem libenter exercent, & sese hospitales præbent: quantum ad victum attinet sordidi sunt, in terra enim recumbentes, crucibus in crucem plicatis, cibum sumunt: ditiores ad demissam rotundā tabulam sedent, pellibus depictis tectam: cibi delicatissimi sunt dulces, & caro concisa cum multis cœpis & aromatibus, quotidianus verò oriza & mel. Vinum ipsis lege interdictum, potum verò diuites conficiunt ex pruinis, melle, & vuis passis: milites tamen (si in vinum inciderint) tempore conflictus aut oppugnationis sese inebriant, quòd si vinum desit, oppio vtuntur, vt omnis metus & sollicitudo adimatur: mulieres tot habent, quod possunt alere. Nec etiam mulieres domo egrediun tur facie aperta, vestimenta omnia in parte anteriori ad pedes vsque aperta sunt, excepto indusio, quod inter eundum videtur, desuper cinguntur larga zona, quæ bis ipsorum corpora ambit. Mulierum vestitus ab habitu virorum parum differt, præter quam quod parumper sit in pectore coarctatus, manicis æquè longis vt virorum: sunt prętèrea admodum zelotypi, superbi, & iactabundi, vt somniẽt non esse nationem in orbe terrarum ipsis æqualem, ac putent sese toti mundo subiugando sufficere. delectantur armis & acinace vel gladio auro & argento ornatis. Natura sunt hebetis & crassi ingenij, & plerunque ingluuiei dediti, vt totum triduum mensæ assideant, nisi lotij reddendi, aut dormiendi gratia discedant. Auarissimi ad hæc omnium gentium. Domus ipsarum paruæ & humiles curtáque suppellectile instructæ, sed inferiori parte tegetibus constratæ: vnde cum calceis eas non ingrediuntur, sed præ foribus relinquunt, facile enim induunt ac exuunt, vt nos crepidas. Dormiunt in hypostromatis, ex subtili lana serico coopertis, non enim pluribus vtuntur. Vtuntur & alijs moribus & rationibus viuendi, quas hoc loco commemorare non est necesse.

Athenæ & Templarijs occupatæ.

Cum hæc circa mare Euxinum ab Ottomanno Turcarum principe agerentur, Templarij à Capcopo adiurati vt Syria cederent, ingentem thesaurum secum abstulerunt, atq; cum suis in Siciliam peruenerunt. Ibi Caroli 2 & Friderici Aragonensis discordia freti, classem haud contemnendam instruxerunt, inq́ue omnem occasionem & euentum parati fuerunt: cum autem inter reges pacem factam cernerent, ductu Rogerij suppremi ordinis magistri Thraciam inuadunt, atque Peloponnesum deprædati sunt. Mox etiam in Atticam impetum facientes, tandem ferro & igne deuastarant, vnà cum vrbe Athenarum occupauerunt, Roberto Brenno qui rebus ibi præerat obtruncato: tum etiam Rhainerio Florentino, ex Acciaiolo-

1307 iolorum familia, à Templarijs Athenarum imperium delatum est. Postea militaris ordo Macedoniam petijt, qua etiam peruagata & deuastata, abacta ingenti præda domum redierũt, ac in prouincijs occidentalibus in varios cœtus sese partiti sunt. Verum hęc felicitas ipsis nõ fuit diu integra, Pontifex enim Clemens quintus, qui Philippi regis Francorum ope ad pontificatum euectus erat, Gallo nihil negabat, quod auari regis animum explere videbatur, id quod Ordini exitio fuit.

Templarij grauiter accusati.

Accidit enim quod rex apud Lutetiam Parisiorum in ædibus Templariorum oborta vulgi seditione obsideret, quòd monetam illegitimi ponderis excudebat. Quo in tumultu, quum omnia quæ regi adferebantur, aut cæno inficerentur aut reperentur, Templariorum Prior, qui Tolosanis ędibus pręerat, cum Noffa quodam Florentino eiusdem ordinis sed contaminatæ vitæ viro, nescio quid vel dicto vel facto imprudentius in regem moliri visi sunt, quod postea furore populi mitigato illis male cessit, ambo enim vinculis mancipati, atq; in carcere coniecti fuerunt. Deinde cum percepissent seditionis authores ad triginta correptos vitam laqueo finijsse, vt vitam redimerẽt, indicabant, se habere quod regi & vtile & quæstuosum deferrent, si salute data abire permitterentur. Impunitate promissa, dicunt omnes Templarios cum Saracenis fœdere inito, abiuratáq; Christiana religione, Mahumetem colere, omnibúsq; principibus extremã struere perniciem: prętereà simulachro cuidam, cui pellis humana superinducta esset, illos sacrificare, inesse autem eidem statuę oculorũ loco duos carbunculos ardẽtissimos, eámq; quotidie pinguedine recenti, ex coitu Templariorum & exustarum puellarum inungi. ad hanc vnusquisq; ordinem professurus Christum abnegare, crucisq; signum pedibus conculcare adigatur: morientiũ cadauera apud eos in cinerem resolui, eámq; in potum inter suos absumi, constantiæ & silentij experimentum inde capientes: masculâ insuper, indifferentiq; Venere eos vti: multa in Syria contra omnes Christianos eos conatos esse: Diuum quoq; Ludouicum apud Damiatam eorum dolo in Sol dani vincula venisse.

Templarij omnes deleti

Hæc quum ad regem deferrentur ansam arripuit Templariorum opes inuadendi, pontificisq; assensu habito, Iacobum Molay Burgundum illustri loco natũ, cum omnibus alijs templarijs vno tempore, per totam Galliam ingenti numero in vinacula conijcit: dein per multos & sæuos cruciatus lacerati, postremò igni combusti sunt. Quum verò initio illis impunitas promissa esset, si religionẽ tanquam scelestam damnarent, & abiuratam repudiarent, ex tanto numero nemo repertus fuit, qui nõ prius medullam vri incendij ossib. exstillantem cernere, quàm sanctissimã ac illabefactatam illam institutionem non agnoscere vellet. Iacobus etiam Delphinas dux, Ordinis princeps atq; Hugo de Paraldis vir illustris, ad Pontificem missi, vbi quæstione habita, vi tormentorum multa nefaria atq; obscena flagitia confessos esse dicebantur. Damnati autem, quum Iacobus adsupplicium duceretur, atque iam rogus extrueret, in medio circunstantis turbæ, silentio petito, dixisse eum ferunt: Iuste tantam pœnam ipsum pati, qui in pontificis gratiam, Templariorum institutum sanctum, atq; ab omni labe alienum, dulcedine vitæ promissæ, & vi cruciatus intollerabilis, ementitis calumnijs insimulasset. Exin rogo impositus, quum admoto paulatim igne ad exprimendam scelerum confessionem, primoribus pedibus adduceretur, iámq; fœdo nitore depasti vitalia torrerentur, tamen nunquam à constantia sua desciuit, sed innocẽtiam quo ad potuit sui ordinis astruens, tanquã cruciatum non sentiret, expirauit. Is tantam integritatis opinionem nonnullis reliquit, vt ossa atq; cineres eius colligerent, martyrémq; eũ fatérentur, ac omnes Templarios pari cruciatu extinctos postea colerent, tanquam sanctitate conspicuos.

Templariorum bona Ioannitis tradita.

Quum etiam Petrus præsul Moguntinus à pontifice Clemẽte ex Gallia in Germaniam reuersus esset, conuocatis patribus atq; proceribus suæ prouinciæ, Papæ sententiã exequi, atq; Templarios fontes lege lata tollere voluit. Ibi Hugo Vuild grauius cum viginti ordinis sui militibus, tecto vestibus ferro comparauit, atque in frequenti eorum consessu sese excusare proposuit, cum autem eum nemo arcere aude-

auderet, clara intrepidáq; voce teſtatus eſt, quod grauius in eum ordinem quàm meritus eſſet, animaduerteretur, eò ſe cum ſuis ad pontificem maximum, qui Clementi ſucceſſurus ſit, prouocare. Conterriti cum Archiepiſcopo patres inermes & imbelles ferocia Templariorum, iuſſerunt eos eſſe bono animo: excepta ſcriptis prouocatione, & ad Pontificem miſſa, eum mitius reſpondere contigit. ius enim de integro querendi ſtatuendíq; præſuli dedit: quum etiã Templarij ſe inſontes eſſe docerent, crimine abſoluti, ſed tñ ordo omnino abrogatus fuit. Magnã Clementi & regi Philippo notam hoc Templariorum excidium incuſſit. nam in fiſcũ Pontificis & regis magni Templariorum theſauri redacti. Maiori tamen ex parte poſſeſſiones & prædia Templariorum Ioannitarũ hoſpitali ordini, atq; fratribus Teuthonicis S. Mariæ adiudicata fuerunt, qui etiam ijſdem & hodie vtunt̃ ac fruuntur. 1307

Militares ordines in Hiſpania inſtituti.

Eodem tempore & paulo pòſt etiam alij milites ordines inſtituti: dum enim in Portugalia Saraceni omnia infeſtarent, Ioannes pontifex (Dionyſio rege conſentiente) nouum militum ordinem, quem Ieſu Chriſti vocant, inſtituit, & omnia Templariorum bona ibidem conceſſit, vt eſſent qui vicinorũ Saracenorum irruptionibus reſiſterẽt. Crucem illi geſtant rubram, in atro amictu. Ordinis ſedes eſt in oppido Tomario Syluẽſis diœceſis: moderator verò Abbas Alcohaſiani monaſterij Ciſtercienſis ordinis (quẽ & ipſi profitent̃) exiſtit, qui huius ordinis milites exauthorandi conſcribendíq; faculratem habet, principi eorũ annuus prouentus centum aureorum millia. In Toletana autem regione ab Alphonſo rege vndecimo in prouincia Calatraue (vbi Templariorum cœnobium fuerat) ordo militum Calatrauorum inſtitutus, qui ſuis virtutibus Saracenos ſæpius profligarunt, atq; Chriſtianos ijs in locis tutati ſunt. Ordo ille nigro amictu aſſutam crucem rubeam habet, redditusqúe annuus ad 40 millia aureorum. Subeſt illis Monteſię ordo, qui locus eſt in regno Valentiæ, virtute & opibus excellens.

Sepulchrum Chriſti Franciſcanis traditum.

Supereſt ordo ſepulchri dominici, qui à Iacobo Alphei fratre domini originem ſeſe habere gloriantur: hi patriarchæ Hieroſolymitano ſuberant, atq; norma viuendi illis data, quam Canonicam vocant: amplis prædijs dotati à Gothefrido Bulionea aliijſqúe regibus, rubram & geminam crucem holoſericam togis adſuunt. E Syria pulſi, ordinis caput Peruſium conſtituerunt: ſed tandem ab Innocentio octauo militię Rhodiorum equitum agglutinati, ſui iuris eſſe deſierunt. Hieroſolymis verò ſepulchri Dominici cuſtodia, Soldani aſſenſu & iuſſu, Franciſcanæ familiæ monachis tradita & commiſſa. huius curationi, Pontificis Romani venia, octo monachi ab anno milleſimo trecenteſimo triceſimo ſexto ad hodiernum vſq; diem præſunt. Hiſce etiam nobilis eques Chriſtianus coniunctus, virtute & authoritate etiam apud Barbaros conſpicuus. illi Chriſtianos Hieroſolymam peregrinationis cauſa venientes equites auratos conſtituunt, atq; literis publicis eorum virtutes prædicant, & dignitatem traditam confirmant. Omnium autem ordinum præſtantiſſimus Ioannitarũ euaſit, qui Syria pulſus, poſt varios labores tandem Rhodum inſulam à Saracenis & Turcis vi obtinuit, atq; per ducentos & amplius annos res Chriſtianorum ibidem fortiter defendit. Antequam autem rerum geſtarum Hiſtoriam contexamus, in primis huius inſulæ celeberrimæ ſitus, fertilitas, & varij caſus altius nobis repetenda duximus.

TERTII LIBRI FINIS.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MARIque fortiter gestarum,

Liber Quartus.



Situs & fertilitas insulæ

RHODVS insula sita est in mari mediterraneo, inter Cretã & Cyprum, adeò in maris Carpathij sinu, ita vt Asiæ ascribatur, in circuitu complectitur noningenta trigínta stadia, quæ triginta miliaria Germanica efficiunt. Versus septentrionem Lyciam, versus meridiem Aegyptum, versus orientem Cyprum, & versus occasum Cretam respicit. Hæc primò Ophiusa dicta fuit, postea Telchinis, eò quòd Telchines eam incoluerunt, genus hominum alefícum & fascinatorium: illi ex Creta primò in Cyprum, deinde huc commigrarunt, atq; ferrũ & æs primi exercuerũt. Post Telchinas Abliades succesſerunt, ex quorum vno Cercapho & coniuge Cydippe filij procreati sunt, qui ibidem vrbes de suo nomine condiderunt, nimirum Lyndum, Ialysum, & Camirum. Quidam putant à Tlepolemo ædificatas Herculis & Astiochiæ filio, eisque nomina

nomina filiarum Danai indidisse. Homerus indicat Tlepolemum Rhodios ad bellum Troianum duxisse: vnde Pindarus Tlepolemi insulam vocat, dicitq; à Rhodo nympha Solis & Veneris filia dictam: Rhodios quoq; Mineruæ primum sacrificasse, statim vbi è Iouis ceruice processit. Iouẽ propterea loco beneficij in ea auro pluere iussisse, ex quo insula diuitijs referta est: de diuitijs eius etiam Homerus inquit: Chara Ioui tellus hominum regi atq; deorum: quicq; & opes illi multas diffundit & amplas: fuit enim terra semper frugifera & fortunata, quaqua versus ad hominum salutem. Rhodij autem Dores fuerunt, quorum dicendi genus (Quintiliano teste) medium inter Asianũ & Atticum. Cum etiam Aeschines à Republica excessisset, eò doctrinam Athenarũmq; studia primus intulit, ac adeò is locus literis refloruit, vt plurimi patria deserta vndecunq; tanquam ad Gymnasiũ eò conuenirent, maléntq; se Rhodios appellari, vt duobus Apollonijs aliisq; contigisse memoriæ prodítum est. Vestigia Apollinei tẽpli adhuc ibi monstrantur, vbi Cares Lyndius Colossum septingentis cubitis altum ex ære construxisse fama fertur, quo terræmotu postea corruente, Sulthanus Aegypti, qui insulam inuaserat, noningẽtos camelos ex eo dicitur oneràsse, & Alexandriam deportasse.

Rhodiorum varia fortuna.

Insula hæc opibus aucta maritimarum rerum potentia piraticam & latrocinia semper in mari Asiatico sustulit, Græcis æquè atq; Romanis amica. Ciuilibus aũt bellis sub Romanis Iulij Cæsaris tempore, multa perpessa fuit. Deinde sub Græco rum imperio calamitatibus suis non caruit: à Saracenis postea an. Christi 632 Mauiæ ductu occupata & deprædata fuit. Deinde in Christianorum potestatem venit, nunc Græcis nunc Venetis subdita. Tandem iterum à Saracenis occupata & Christianis adempta fuit. Cum autem Othomanus Turcarum princeps rerum ijs in locis potiretur, Saracenos expulit, atq; Insulam illam fertilem suo imperio adiecit. Erat enim ob aeris salubritatem omniumq; rerum copiã, vini frumentíq; feracitatem, nullis alijs insulis in mari Mediterraneo postponenda: Cum etiã Othomanus sciret Christianos Syria atque tota Asia pulsos & profligatos, nihil sibi aut suis de hac insula timebat, sed quietè possidebat: de ipsius tamen tribus vrbib. nihil refragabat, nisi Ialysus, quę Rhodus eodem cum insula nomine appellatur, quo & cęteræ commigrarant. Lyndus enim in monte sita nobile Mineruæ templum habebat, à Danaidibus extructum. Hinc Cleobulus vnus ex septem Græciæ sapientibus fuisse dicitur. itaque Hospitalarij Syria expulsi hæc animaduertentes, insulam inuadere, atque suo Imperio subijcere statuerunt, vt ex propinquo infidelibus resistere, atque res Christianorum defendere possent, præsertim cum ibi portus arte ac natura munitissimus haberetur.

Ioãnitarũ ap paratus ad Rhodum in uadendam.

Coaluerat autem ex omnibus terræ partibus strenuus Ioannitarum ordo in maximum cœtum, atq; principum liberalitate ad tantas opes peruaserat, vt protinus instructa classe omnes sinus maris & omnia littora Saracenica, profligatis Turcis qui piraticam exercebant, adeò per integrum quadriennium infesta redderent, vt magna spes Christianis fieret, Syriam & terram sanctam per Hospitalarios breui Turcis & Saracenis denuò auferri posse. Itaq; Clementis quinti pontificis edicto, remissio peccatorum integra, ac solida animorum expiatio ijs indulgebatur, qui expeditioni Hierosolymitanæ vel pecunias, vel arma, annonam, aut supplementa corrogarent. Per Germaniam quoque Legati mittebantur, qui esum ouorum, Veneris antea diebus insolitum, hisce liberum facerent, qui nummos aliquos in expeditionem Rhodianam elargirentur. Fuerunt quoque tum permulti qui ipsi militiæ nomen darent, Italiámque instructis ordinibus peterent. Itaque passim ingens auri vis collecta, atque Hospitalarijs à pontifice tradita, magnus quoque numerus hominum ad eosdem voti causa confluxit. In Apulia deinde lustratis qui ex Germania venerant, ingenui tantum in ordinem Hospitalariorum adscripti, quod armis commeatuque instructissimi adessent, reliqui omnes domũ redire iussi. Hisce etiam Heltvuig à Rhandersack ordinis per Alemanniam prior adfuit, atque in ea expeditione cum suis ordini Ioannitarum strenuam operam præstitit: sicque

1308 Germanorum vulgares milites domum reuersi sunt. Cum enim Ordo ille videret tantam multitudinem instituto suo magis oneri quàm vsui esse, causabatur nauigia ad trajciendum sibi deesse.

Rhodus à Ioannitis expugnata.

Itaque Vuilhelmus Villaretus 23 magnus ordinis magister viginti quinq; triremes, militibus, armis, atq; annona optimè instruxit. Genuenses quoq; decem publica impensa ornarunt. quin etiam Carolus 2 Siciliæ rex petentibus ære, armis, atq; nauigijs adfuit, quibus omnibus Hospitalarij instructi mari sese commiserunt, atq; recta Rhodum insulam inuaserunt: mox etiam Turcas securos existentes fortiter aggressi sunt. Fuerunt autem oppugnationes multò grauiores, quàm nostri primò putarant, Turcę enim pro vita & fortunis pugnantes nihil intermiserunt, quod ad vrbis & insulæ defensionē facere videretur, quin etiam ex finitimis locis ipsis subsidia missa, vt Christianos repellerent: verùm Ioannitæ noctes diésque fortiter insistabant, ac tandem post multas cruentas oppugnationes, hostes eò redegerunt, vt æquis quibusdā conditionib. vitam & partem mobilium bonorū seruarent, atq; insulam cum vrbe Hospitalarijs traderent. Id quod factum est 18 calend. Septemb. anno dominicæ incarnationis 1308. tum etiam quinque adiacentes insulæ in huius ordinis potestatem deuenerunt, vtpote Nicoria, Episcopia, Iolli, Limonia, atq; Siradina. Has etiam cum insula Rhodo, ordo militaris contra varios Barbarorum insultus per ducentos quatuordecim annos fortiter conseruarunt, atq; abdicato nomine Hospitalariorum Rhodij milites dici voluerunt. Insulam etiam illam ita opere & impensa munitam reddiderunt, vt quicquid in mari Christianis restabat integrū conseruarint, cæterósq; peregrinos, qui Hierosolymam proficiscerentur, defenderent, quamuis magnis & perpetuis bellis à Saracenis oppugnarentur, atq; à Turcis infestis animis peterentur.

Turcæ frustra Rhodū oppugnant.

Cum hoc modo Rhodijs equitibus res successissent, Otthomanus Turcarū Imperator sequenti statim anno Orchanem filium, cum classe octuaginta triremiū & nauigiorum aliorum instructissima eò misit, atq; gentem peregrinam Christianorum insula tota exturbare, colonósq; Turcæ sectæ in eam collocare iussit. Illi etiam nihil intentatum reliquerunt, vt Imp. sui iussa exequerentur, atque Rhodiorum equitum bonis potirentur. Itaq; varias oppugnationes instituerunt, atque subinde fessis ac saucijs nouos milites submiserunt. verùm omnia frustra, militares enim equites hostium classem profligarunt, atq; multas earū triremes cum omni bellico apparatu interceperunt, ita vt Barbari retrocedere, atq; turpi fuga domum redire cogerentur: postea Rhodij equites Episcopiam vicinam insulam inuadunt, atque sine discrimine personarum omnes interficiunt. Turcæ enim ibidem imbellem turbam exposuerant, & belli euentum expectare iusserant, vt Rhodum insulam inclerent, si victoria potirentur: deinde de hoste triumphātes magna laude Rhodum reuersi sunt. Testantur quidam, Genuensium nauium operam strenuam & vtilem hoc bello fuisse: deinde etiam Germanorum equitum virtutem, qui nuper in ordinem recepti suam fortitudinem insigni aliquo facinore comprobare cupiebant, inter quos Conradus Vvernherus de Hatstat qui Buckhemij res Rhodiorum administrabat, præcipuus fuit. Is enim non modò manu promptus hostem persequebatur, verùm etiam prudentia & rei militaris scientia nostris multum profuerat.

Rhodus insula Ioannitis cōfirmata.

Fama de Rhodo insula occupata mirum in modum occidentis principes recreauit, atque in bonam spem adduxit de Syria recuperanda. Itaque Clemens 5 pontifex in primis Rhodum perpetuo iure Ioannitis eorúmque magistro Fulconi de Villareto possidendam attribuit & confirmauit. deinde etiam indicto apud Vienam Narbonensis Galliæ ciuitatem Concilio, principes hortari voluit de auxilio conferendo ad bellum sacrum: iam antea enim Cardinales in Galliam euocarat, atq; sedem Papalem Auenione constituerat, vbi etiam eius successores per annos septuaginta quatuor permanserunt. Hinc etiam factum, vt per Pōtificis absentiam Gibellinorum & Guelforum partes miserè sese lacerarent ac frequentibus prælijs inuicem

inuicem depugnarent. In primis verò Gibellini Cæsareani ipsos Guelphos ad mõtem Catinum die vltimo Augusti anno 1315. ad internecionem ferè trucidarunt. Concilium verò illud trecentis patribus anno salutis 1311. celebratum fuit, tum etiã Philippo Francorum regi papa persuasit, vt indictis apud Lutetiam Parisiorum comitijs, cum duobus filijs Ludouico rege Nauarro & Carolo Valesij comite cruce signaretur. Eduardus etiam Angliæ rex eodem tempore votum fecit subueniendę Hierosolymæ. nam is paulo antè Isabellam Regis Galliæ filiam vxorem duxerat. Pontifex etiam Ecclesiarum decimas per quinquennium his obtulerat, vt hisce prouentibus sacrum bellum continuarẽt: mortuo autem Philippo rege ad fontem Bleaudi, expeditio illa non successit. Is tamen moriens Ludouico Hutino filio supremis mandatis imperauerat, vt post fata sua crucis tessaram susciperet, atque sese hoc voto liberaret: sacram quidem militiam Hutinus meditabatur, sed antequam res perficeretur, curis & morbis fatigatus, quoq; inter viuos esse desijt.

Dum hoc modo omnia negligentius à regibus agerentur, opiliones nonnulli coeunt, admoniti cœlesti oraculo (quod asseuerabant) vt in Syriam religionis causa proficiscerentur, atque Saracenis eiectis, Hierosolymam recuperarent. Mox etiam magno numero aucti, latrocinari, prędari, omnia diripere, atq; magis latrones quam milites agere incœperunt. Cum hoc modo ad Carcassonam in Narbonensi prouincia vsque progrederentur, ab incolis grege facto dissipati, & in fugam conlecti fuerunt: plurimi eorum desiderati, multi reste necati, cæteri domum reuersi sunt: contigit id anno 1320. Sequenti anno cum Saraceni Christianorum expeditionem bellicam metuerent, ad nefandas artes progressi sunt, vt eosdem domi continerent: illi enim per suos satrapas & præfectos Iudæos pecunia corruperunt, atq; Christianorum fontes veneno inficere iusserunt. itaque Iudæi Elephantiacis ac leprosis, qui stipe mendicanda vagi victitant, persuaserunt, vt venenum oblatum in fontes & puteos spargerent, quo illi qui inde potum haurirent aut lepra inficerentur, aut omnino absumerentur peste. Multi etiam Christianorum hac lue miserè perierunt. Re autem illa comperta plurimi Iudęorum & leprosorum hinc inde per prouincias flammis exusti fuerunt.

Iudæorũ & leprosorum scelus.

Cum Saraceni sese hac ratione nihil proficere viderent, coacto ingenti exercitu supra triginta Syrorum equitum millia Armeniam inuadunt, præsidia expugnant, agros depopulantur, incolas cæde prosternunt, omnis generis homines, sine sexus aut ætatis respectu, vinculis mancipant & abducunt. Regnabat eo tempore apud Armenios Liuonis, homo luxuriosus & rerum bellicarum ignarus: Ioannes enim eius frater vir strenuus à quibusdam persuasus, regnum quod per annos aliquot fortiter administrarat dimiserat, atque Franciscanorum ordinem professus fuerat. Is autem Leonem ex altero fratre nepotem rebus præfecerat, quo defuncto, Liuonis Irenem Leonis viduam Philippi Tarentini principis filiam vxorem duxit, proceribus regni reclamantibus, sed mulieris æquæ incontinentis pertinacia vicit, quæ hunc maritum & regem constituere voluit. Cúmque ante nuptias interpellaretur, vt legatos ad pontificem mitteret, quo illius venia illi nubere liceret, dixisse ferunt: peccatum prius perpetrandum, quam venia petendum. quæ quidem vox magnæ dissensionis & motus apud Armenios in causa fuit. Ea opportunitate Saraceni freti, cum præter vnum atque alterum præsidium totam Armeniam occupassent, nihil cõtra audente Liuone, Ioannes rex habitu Francicanorum aduolat, amicorũ sociorumq; manũ cõtrahit, ac instructis aciebus in hostes irruit, tum etiam magna Saracenorum clade fortiter pugnans occubuit. Saraceni etsi victores, tamen strage suorum territi ac spolijs onusti, cum innumero captiuorum agmine domum redeũt. Vix aũt pedem prouincia extulerant, cũ Turcæ duce Assembecco eandem regionẽ ingressi, omnia loca longè latéq; ad Euphratẽ vsq; cum non modica Colchidis parte, in ditionem redigunt. Vrbes, oppida cõmuniunt, atq; Christianis æquiores fuerunt, quod Ottomannorum vim suspectã habent: exutos enim nostros imperio tantum legibus suis viuere permittebant.

Armenia Christianis adempta.

1330 Tantorum motuum & cladis Armeniorũ fama primò ad Rhodios, mox etiam
Sacra expeditio euanuit. per illos ad principes occidentis peruenit: itaq; Ioãnem 22 pontificem cõmouit vt principes Christianos literis nuntijsq; ad sacrũ bellum adhortaretur: tum etiã Philippo Lõgo Galliarum regi ius decimarum de sacerdotib. cõcesserat, vt pecuniam ad bellum sacrum colligeret, ea tñ verborum exceptione, si præsulib. Galliarũ ecclesiarum id è re pietatéq; videretur. Rex habito Episcoporũ conuentu, cum de his referret, responsum est: Si contra Barbaros bellum moueret, nec Episcopos commutatui defuturos, nec æs parcè collaturos, modò signa Christiana in hostes communes expedirentur, atq; intestinis bellis abstineret. In omnium igitur ore sacri belli nomen habebatur, sed reuera sacrorum armorũ præscriptio alió spectabat. Nã pontifex Ludouicum Bauarũ hostem iudicarat, atq; vt eũdem Imperio Rom. exueret, crucem æsq; sacrũ extorquebat, per omnes Christiani orbis prouincias, in primis verò per Germaniã, vbi (præter Argẽtoratensem episc.) oẽs alij exactori põtificio quicquid petebat liberaliter numerarũt. Cum etiã Philippus Galliæ rex, antequam copias coegisset, moreretur, huius sacri belli expeditio (vt prior) quoq; euanuit.

Francorum apparatus in Syriam. Philippo aũt Valesio in regnũ Francorum inaugurato, maiori spe atq; apparatu sumptuosiore omnia redintegrata: Francus etiã cum Venetis egerat, vt legatos ad se mitterent de expeditione in Syriã comparanda. Missi sunt Philippus Belegnus, Blasius Zenus, & Marinus Mauroconus, pontifex etiã eò suum legatũ misit. Cõuenerat inter eos, vt ad euertendos Turcarũ conatus & adiuuandam Syriam Pontifex & Gallus equitũ 20 millia, & peditum 50 millia armarent. Conflarent Veneti classem 100 nauigiorum, in quib. triremes 4 millibus hominũ instructæ essent: præterea onerariæ naues ad cõmeatum, machinas, atq; alia ad vsum belli necessaria transijcienda. Veneti nihil morati Petro Zeno imperiũ classis tribuũt, qui miro victoriæ cursu longè latéq; Barbaros insectatus, omnẽ maris oram, quæ ad Syriam spectat, circa insulas Rhodum & Cyprum à Saracenorum & Tartarorum iniuria vindicabat, quibus etiam Rhodiorum naues sese cõiunxerant. Francus quoq; classem quam traijceret in prouincia parauerat, eámq; ipse, sese eò conferens, lustrauerat. Deinde Auenionem rediit, de belli ratione cum põtifice consultaturus. Ordinatus omnib. rebus Ioannem filium 14 annorum iuuenem rebus præfecit, ac in eius verba proceres iurare iussit, ne se absente aliquid moueretur.

Gallorũ & Anglorũ diffidium. Rebus hoc modo compositis, legatos ad Eduardum Angliæ regem misit, vt illũ ad huius belli societatem pelliceret: legati fuere Rodolphus Augi comes, & Bellouacorum Episcopus: hisce ab Eduardo responsum: Sacram militiam quàm Francię rex profiteret, haud longinquam esse, sed Aquitaniam respicere, quod facilè ex eo colligeret, cum fidẽ datam, quam Ambianis obstrinxisset non seruaret. Expletis ijs de quib. prius inter eos conuenerat, se ad sacram expeditionem Philippo paratiorem & alacriorem adfuturum. Misit quoq; Ioannem Cantuariensem & Richardũ Dumelmensem antistites, qui res controuersas cõponant: aderant etiam põtificis legati, qui hortando & impellendo nihil intermittebant: sed tantum profecit rebus Syriacis regum expeditio, vt cõsenescentib. sacri belli consilijs, bellum grauissimũ inter eos excitaretur, quo nullum inter Anglos & Gallos atrocius, nullum diuturnius, nullum maiore cruore & pertinaciore contentione gestum ac sæpius repetitum fuit, id quod Christianæ reipub. calamitosum, pijs deplorandum, atq; fidei nostræ osoribus exoptatissimum extitit. Nam hac nostrorum principum discordia, Barbari ferociores facti, Armeniam totam sibi subiugarunt, atq; insidijs omnia magas naues ac quandoq; trecentas in Christianos armarent: vires totius fermè Christiani orbis, duarum gentium altercatione, terra mariq; consumebantur. Adhærebant enim. Franco Genuẽses classe instructa quadraginta triremium, præterea rex Boemiæ, Allobrox, atque Borbonius: Anglo aderant Veneti, Ludouicus Imp. Flandrus, & alij Germaniæ principes: qua re factum, vt præter Cyprum & Rhodum rerum Asianarum Christianis nihil supereſſet.

Orchanes

Orchanes enim Ottomanni filius, paternæ virtutis æmulus, ambitione & audacia patri haud absimilis, rei militaris disciplina peritior, copijs, apparatuq; opulentior & instructior, bellum paternum per manus acceptum strenuè est executus. nã Thermodoontem & Bythiniam transgressus, circa Pontum imperium suũ propagare cœpit, atq; Bursiam ciuitatem nobilem expugnauit. Accidit eo tẽpore vt Andronicus Paleologus Græcorũ Imp. decederet, duobus filijs Caloiohanne & Andronico relictis, quibus Ioannem Cantacuzenum vnum ex suis familiarib. tutorẽ præfecit. Etsi autem is tutelam prudenter administraret, tamen odio patriarchæ ab officio remotus fuit: fortunam eam expertus, Constantinopolim maiorib. uiribus redijt, & Caloiohãni filiam suam vxorẽ dedit, sed nec hac ratione pax constitui aut seruari potuit, dum pars vna Genuensium, alia Venetorum armis tutaretur: quin etiam Orchanes Cantacuzeno magis quàm Paleologis fauit, atq; primus Turcarũ ab eo accersitus in Europam traiecit. Hac ratione Græcorum dissidio factum, vt mira fœlicitate Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam & Cariam domuerit, atque regnum suum in Hellespontum & vsq; ad Euxini littora protenderit: Caramannum etiam non exigua parte principatus exuit, ac eius filium interfecit. Tandem verò contra Tartaros anno salutis 1350. infeliciter pugnans cum suo exercitu deletus fuit, cum per viginti duos annos rebus Turcicis præfuisset, atque Amurathem filium successorem habuisset. 1335 *Orchanes 2 Turcarum Imperator.*

Cum hoc modo Turcæ fines imperij sui dilatarent, accessit rebus Syriacis aliud quoq; incõmodum. Tertiò enim inter Venetos & Genuẽses bellari cœptum, idq; adeo grauibus odijs, vt prælijs maritimis sæpius illi vincerent, qui sæpius victores extiterant. Hugo igitur Cypri rex (qui etiam Hierosolymitanus dici volebat) vnà cum Rhodiorum equitum magistro cernentes vires Christianorũ mutuis prælijs concidere, & inter Barbaros quoq; seditiones exortas, in Europam traijcere decreuerunt, eo consilio, vt recõciliatis occidentaliũ principum animis, eorúmq; supplementis acceptis, Turcas Saracenósq; de Syriæ imperio decertãtes expellerẽt, inita prius cũ Assambecco, qui iam Armeniæ imperabat, societate: cõuenerat inter eos vt Barbarus Syriam, Cyprus Aegyptum quantũ posset maximis copijs lacesseret. Igitur Petrum filium regno præfecit, ac aliquot instructis triremib. in Apuliã delati in Brũdusinum portum peruenerunt: inde à Clemente 6 Pontifice vocati, qui indu cias inter Francum & Anglum redintegrauerat, magna spe auxiliorum Romam accesserunt, quam tribunorum seditione agitatam inuenerunt. *Venetorũ & Genuẽsium discordiæ obsunt.*

Res nihilo tranquilliores apud Neapolitanos erant, nam Ioanna regina extincto marito Andrea, cum Ludouico Vngaro de regno altercabat. Italia vnius Cardinalis Aegydij armis inuoluta nutabat. tandẽ Clemente mortuo Innocentius sollicita tribunitia, senatoria, & reformatorum apud Romanos potestate, Hugonẽ, qui Syriacarum rerum causa in Europam venerat, ac ciuilia bella pertęsus, Genuensib. Tripolim Africæ oppugnantib. se cõiunxerat, magna præda reuersum, rebus & vbi præfecit, hoc illi iniũcto negotio, vt septẽviralem potestatem vrbe eijceret. Rex omnia perfecerat strenuè, atq; Rhodiorũ magistrum domum remiserat. Paulo pòst ab Assembecco socio de adferendis auxilijs admonet. itaq; Petrus Innocẽtium de sacro exercitu parando interpellat. Pontifex quidẽ classe opus esse videbat, sed modum cõparandi assequi non poterat: animaduertit enim Pisanos classem adornare non posse, cum contra Florentinos in armis essent: nec Veneti, quorum opes erant maximi, à bello quieti fuerunt. nam cum Vngaro malè pacati digladiabantur: Genuenses cum Venetis magnam contentionem habebant de Eubœæ insulæ possessione, atq; de Tenedo inimicitiæ capitales. Hæc tanta Italiæ incommoda, & pontificis & regis animum vehementer afficiebant. Pontifex hoc modo curis confectus moritur, cui nec ipse Hugo diu superstes fuit: paulo etiam anteà Rodolphus de Massmunster ordinis Ioannitarum per Alemanniam prior mortuus est, qui Bertholdo Comiti in Hẽnenberg, atq; is Alberto Comiti in Schuuartzẽberg successe rat, in cuius locum Hertegen à Rechberg nonus prior electus fuit. *Christiano rum motus.*

1345 Hugone mortuo, Petrus eius filius in Italiã venit, vt parẽti iusta solueret, atq; bel-
Cypri rex magna pecunia donatur
lũ patris voto susceptum susciperet. Eo tempore Vrbanus quintus Innocẽtio successerat, cui prima cura erat, Petrum Cypri regem hinc inde ad principes Christianos mittere, & ad Syriacam militiam allicere, cui etiam Cardinalem legatum adiunxerat. Petrus ille primo Genuam peruenit, ac totius Reipub. lætitia susceptus fuit, per alpes deinde iter faciens, Basileam & Argẽtoratum accessit, ibiq; paucos dies moratus Valdemarum tertium Daniæ regem Coloniæ agentem adijt, atq; ei persuasit, vt Christianæ militiæ nomen daret, Dano enim non bene cum suis conueniebat, atq; iam dudum ingenti thesauro, ac rebus præcioſioribus regno excesserat. Itaq; Auenionẽ perrexit, de bello cum pontifice consultaturus, idem fecerat Ioannes rex Galliæ, qui quarto anno captiuitatis ab Anglo liberatus domum redierat, ac pietatis causa sacrum bellum professus, põtificem Auenione visitabat. Tum etiam Petrus in Angliam traiecerat, Eduardum ad bellum sacrum incitaturus: at Eduardus bello Hispano impeditus, ingens auri pondus Cyprio dono dedit, virum autẽ & arma negauit. Cum in Franciam redijsset, inuenit Ioannem per regnum suum militem conscribere, atque omnia ad transmarinam expeditionem parare. Dum aũt is in Angliam trajicit filios liberaturus, vt interim domi rebus præsint dum ipse in Asia bella gerit, Londini moritur. Carolus igitur sapiens cum nondum firmatis regni rebus bellum externum suscipere non posset, magnis donatum munerib. Petrum ad Carolum quartum Imperatorem abire permisit.

Caroli 4 Cæsaris iudiciũ de sacro bello.

Carolus Imp. Ludouici Gonzagę precibus excitus, maximis armatorum copijs tunc alpes traiecerat, Mantuam obsidione soluturus, atq; Bernabouẽ Mediolanensem Tyrannum armis & castris spoliauerat. Cyprius igitur cum Mantuam ad Carolum veniisset, atq; multis rationibus affirmaret, facilè ei fore vt sepulchrum Domini recipreet, Syriámque subiugaret, si ab eo reliquíſque Christianis principibus adiuuaretur, ferunt Carolum respondisse: probare se regis dicta, laudaréque pontificis ad hortationes, sed & regum Franciæ Daniæqúe conatus magni se facere, quippe qui sanctissimis studijs immortui essent: nec sibi aut opes aut voluntatem deesse, quibus sacrum bellum gerere posset aut vellet, si ẽre Christiana esset, sanguinem multorũ bonorúmq; effundere pro rebus Syriacis, fieri equidẽ non posse, quin maxima fidelium strage recuperentur, cuius cædis rationem non habere, magis carnificis q̃ principis ingeniũ deceat. Deinde etiã regionẽ inter medios hostes occupatã in fide diutius à nullo retineri posse: pinde Christiani non esse, tanta hominũ iactura tantillũ gloriolę ambire. Cęterũ ne qs impensarũ onere ipsum interfugere putet, æris quantum ad id belli satis videat Cyprio offerre, atq; in supplementũ statim erogaturum. confestim quoq; qcquid reliquũ erat pecuniarũ q̃d secum in Italiã ad bellũ Mediolanẽsi inferendũ attulerat, regi assignauit. Cæsaris liberalitatẽ cęteri duces sequuti, Bauarus, Austrius, & Saxo, q̃ sub eo militabãt: vim. n. magnã pecuniarũ collectã regi dono dederũt. ea pecunia Cyprius instructus, eaq; addita quę à Dano, Anglo, & Franco acceperat, Venetias peruenit. Ibi publicè exceptus, post aliquot dies cũ Republica fœdus iniit ac de bello in Saracenos & Turcas mouendo statuit.

Smyrna & Capha à Christianis occupata.

Priusquam hæc perficerentur Veneti quoq; & Genuenses, cum alijs Christiani nominis principibus, fœdere icto, classem sedecim triremium instruxerant, quarũ 4 pontificis impensis, Venetorũ sex, totidem & Genuensium parabantur. Præficiuntur nauigijs Petrus Zenus Venetus, & Martinus Zacharias Ligur, hi maritimã Syriæ orã legentes oppressis multis Barbarorũ nauigijs, fœda tẽpestate in Ioniam iactati, Smyrnam totius Asię olim celebratissimũ Gymnasiũ, subita oppugnatiõe adortam occupãr. Spolijs ditati, auctíq; Cyprorum & Rhodiorum equitũ auxilijs, ac quinq; triremib. quibus Engelbertus Vienensis Delphinus in Syriam trajiciebat, matre, vxore, aliísq; ingenuis hominib. stipat⁹, vt sacra loca Hierosolymis inuiserent, itaq; Syriã petere, ac simul portum aliquem occupare nituntur. Cum hoc modo pergerent, ex improuiso Turcarum classes obuiam habuerunt. Pugna commissa viriliter agunt, ac vtrinque plurimi cadunt. tandem nostri numero magis oppressi quam

quàm victi fugantur, inque vrbem Smyrnam sese recipere coguntur. Oppugnatam diutius Barbari occupare non potuerunt, sed egregiè defensa per aliquot annos in nostrorum potestate permansit. tum etiam Genuenses, ne nihil molirentur, Theodosiam in Chersoneso Taurica inuadunt, occupatam instaurant ac muniunt, anno decimo quinto post Smyrnam obtentã, salutis verò nostræ 1357. Caphę nomen inditum vrbi, atq; Hieronymus Iustinianus Consul ordinatus. Soldaia deinceps vrbs à Genuẽsib. occupata, celebratissimũ ad Męotidẽ paludem emporium. Veneti quoq; in Syriam pergentes Berythum portum obtinuerunt, quo post aliquot annos à Genuensibus magna clade eiecti fuerunt. Hinc patet, quicquid per centum & amplius annos, ad res Syriæ restituendas, strenuè administratum fuit, id omne Venetorum & Genuensium discordia euanuit. 1350

Alexandria direpta.

Interea Petrus Cyprius rex longis suis nauibus ac regio comitatu in regnum redijt, atq; centum nauigiorum classem comparauit, quorum maiorem partem Hispano Francóq; milite instructam Veneti miserant. Hoc apparatu rex Alexandriã Aegypti petijt, atq; vi captam diruit, triduo autẽ postquã eam ingressus fuerat decedere coactus, Soldanus enim Aegypti ac Assyrius princeps ingentem Barbarorum copiam adducebant, vt vrbem illam recuperarent. Vasta etiam hęc ciuitas, populo aduersante, paruis copijs contra numerosum exercitum retineri haud potuisset: itaq; rex cum Rhodijs equitibus ac alijs confœderatis socijs inde soluens, classem præda onustam magnã gloria demum reduxit, atq; hac ratione factum, vt per annos aliquot Cyprij & Rhodij quietè vixerint, atq; insulas illas contra varias Barbarorum irruptiones fortiter munierint.

Amurathes rex Turcarũ

In alio autem loco Amurathes circa Constantinopolitanum imperium res suas mirificè auxit, atq; Turcarum fines vlterius extendit. erant enim tum inter Græcos mirabiles discordiæ, dissensiones, & cædes: duo namq; fuerunt imperatores, diuersis authoribus prognati, vterq; tamen se ea stirpe natum asserebat, vt ad se ius imperij spectare, & sibi competere affirmaret. Horum vtrunq; cæteri pro suo quisq; studio & amore sequuti, pertinaciter inter se dimicabant. Tum alter Caiacusinus patricius vir qui vinci superariq; verebat, cupiditati & studio suo nimis temere obsequutus est. adeo enim vlciscendi libidine cęcus in præceps transuersúsq; visus est agitari, vt honestè ne & ex re sua an secus faceret minimè cogitaret. Nã Amurathẽ ad partes suas tutandas precio facilè illectũ ex Asia accersiuit, & Callipolim protinus militi: nec magni negotij fuit ei persuadere, qui sponte ad hoc iam diu inhiaret, totoq; pectore propenderet. Itaq; eum cum copijs maturè in Thraciam per Hellespontum traduxit, vt bello consummato rursus nauibus per Hellespontum domum remitteret. hoc pacto Turcæ in Græciam venerunt. Verum cum Amurathes non quid promiserit sed quid sibi conduceret sagaciter prospiceret, consultò bellũ differre & procrastinare cœpit, ratus fore vt Græcorum viribus diuturnitate belli & discordiarum atrocitate vtrinque consumptis, ipse integer defessos adortus facile superaret atq; opprimeret. Vbi igit mutuis contentionib. deficere Græcos animaduertit, domesticisq; opib. exhaustos nutare, & sibi parũ subsistere sensit, gentili astu arma in eos sine discrimine p occasionẽ conuertit. Sic Europęis opib. illectus, dum vlcisci imperij hostes simulat, Genuẽsiũ nauib. vsus, Hellespontũ ad Abydũ superat. Occupato. n. Callipoli oppido opportunè in Chersoneso Græcas ciuitates infesto animo petijt, agros vastauit, prędas abegit, & cuncta passim inuasit an. 1363.

Turcarum in Europa successus.

Postea non amplius dissimulanter rẽ egit, sed palàm sibi & posteris Græcorũ imperiũ pollicebat, & ad id occupandũ omnes cogitationes, cõsilia, opes, & neruos intendebat. Hinc effectũ est, vt nullis ferè obsistere audentib. facile & sine magno negotio maiorẽ Thraicę partẽ ditioni suę subiecerit: mox & Mysiã adortus armis subegit. Pari inde successu Bessos & Triballos domuit, atq; loca infra Rhodopẽ & Orbelum incolẽtes intercepit, quin & Seruiam Bulgariámq; ingressus (cum Hadrianopolim prius occupasset) occurrẽtes sibi cũ paratissimis copijs hostes ingenti cędę pfligauit. Nisi etiã Rhodij milites mare custodiuissent, & Turcarũ impetus classe repulissent, pculdubio maritimas quoq; oras fœdassent, & turpiter diri-

1370 puissent. Verum horum fortitudinẽ declinãtes alias Græciæ partes inuaserunt. Postremò Amurathes superiorem Mysiam ingressus cum Lazaro Seruiæ Despota in Cassouijs campis congredit, ibi sub inguine confossus occubuit, à seruo Lazari domini necẽ vindicãte. Nec Europeis incruenta victoria fuit, Despota ipso cum fortissimis viris cadente anno 1373, cum rebus Turcicis per 23 anos præfuisset.


Ambitionis incommoda.

Circa eadem tempora Petrus Cypri rex in ciuitate Nicosia, domestica proditione calendis septemb. à fratribus necatur. Petrinus ergo filius, qui per totam Europam patris indiuiduus comes prius fuerat, Venetorum & Genuensium auxilio, pacatis tandem rebus, rex substituit. Accidit autem cum coronationis pompa duceretur, procerésq; Venetorũ & Genuensium adessent, qui in vrbe Famagusta (vbi tunc rex erat) aliisq; eius insulæ emporijs suis vtriq; ciuibus, qui mercium causa ibi negociabant, ius dicebant, vt inter eos contentio oriretur, de loco digniore circa regem obtinendo. Vterq; enim iudex dextrum regis latus claudere ambiebat. Videbatur rex Genuensium causam fouere, hospitalitatis priuatęq; amicitiæ memor, quam prius Genuæ cum republica & ciuibus contraxerat. Sed insulani cum regis necessarijs enixius Veneto studebant, illiq; Genuensi deturbato honoratior periore enim sedili præoccupato à Venetis, inferius locatus est Genuensis. Hanc iniuriam vlcisci dignitatémq; suam Genuenses armis conseruandam decreuerunt, ac postera die tectis sub veste armis in regiã profecti sunt. Veneti attoniti ex tempore salutis consilium ineũt regémq; accedunt, dicẽtes Genuensium iuuentutem armatam aulam intrasse, atq; regi insidias tendere proposuisse. Rex exploratos ex altissimis fenestris præcipitari iussit Genuenses, instinctu Ioannis Gauillę, Heinrici Gibelleti, & Letzulphi regis patrui, quorum nutu omnia gerebantur, adeò vt Petrinus nominetenus tantũ rex esset. Genuenses deinde reliqui per Cyprum commorantes perquisiti ac necati sunt, vt vix vnus, & is facie vulneratus, tantæ cladi superfuerit, atq; rem gestam patriæ renuntiarit.

Genuenses Famagustam occupant.

Hanc suorum ciuium atrocem iniuriam vltura respublica Genuensis, non longo interiecto tempore, magnã classem instruxerũt, Petro Fulgoso, & Dominico Cataneo prętoribꝫ. cõstitutis. Illi eò ꝓfecti Paphi & Nicosię suburbia prędant, aucti deinde viribꝫ. anno 1373 in septembri Famagustã vrbẽ aggrediunt, inq; vrbis portu triremes tres ac nauis vna incendio absumit. Accesserãt enim ipsis triginta sex triremes & onerariæ nò paucæ, cum peditum 14 millib. & equitum 700. Tandem opera reginæ, matris Petri, vrbs Genuensibus dedita, ac proceres supradicti, cædis in Genuenses ꝓpetratę authores obtruncant. Antiocheni principis filij duo aclacobꝰ Lusignanus regis patruus vinculis mancipati. Venerat ferè tota insula in Genuensium potestatem, quum rex imperio se exutum cernẽs ad misericordiam confugit, ac pacem petijt. Genuenses illatam iniuriam satis vltam esse existimantes, data regi pace, Famagustam vrbem solam retinent, atque regi in aliquot annos quadraginta millia aureorum tributi nomine imponunt. Dati deinde obsides, qui prius in vinculis habebantur. Itaq; Antiocheni principis filij, cum Iacobo Lusignano Genuam missi fuere. Is cum in Galliam relegaretur fugę consilium inierat: igitur Genuam reductus Phareæ turri includitur, ac diligentius obseruatur.

Amissæ



Amitiæ Famaguſtæ vrbis dolor Petrinum regem ad eam recuperandam inſtigabat. occaſionem autem oblatam credebat, cum Genuenſes & Veneti inſenſis animis maritimis prælijs ſæpius conflictabantur, Rhodiorum legatis non auditis, qui ſæpius ad pacis conſilia hortabantur. Socius igitur Venetis factus, Bernabouis Mediolanenſis filiam vxorem duxit. Eam cum Bernabos ad maritum mitteret, cum Venetis egit, ſex longas naues inſtruerent, quibus filiam in inſulam perducerent, ipſe verò mille octingentos equites cum peditum robore genero tranſmittit, trimeſtri ſtipendio inauthoratos ad res Genuenſium ibidem infeſtandas. Puella apud Cornarios Venetijs hoſpitio excepta, inde ſex triremibus Venetis, & quinque à rege ex Cypro miſſis ad ſponſum, qui tunc ad Cerauniam agebat, magnifico apparatu delata. Deinde fœdus initum vt Famaguſtæ portus & vrbs oppugnaretur. Præerant nauibus Venetis Ioannes Maianus, Franciſcus Boculus, Petrus Quirinus, Franciſcus Poſcerus, Ioannes Barbus & Franciſcus Morenicus. hi ſingulis ſingulas triremes priuato ſumptu inſtructas habebant, mercedémque à regeacceperant, portúmque adorti oppugnabant. eo etiam occupato vrbem adoriuntur, ſed parum fœliciter proceſſit negotium: Veneti enim cum Cypriis muro deturbati, & portu iterum expulſi ſunt. Quinque deinde per annos vario Marte à Petrino & Genuenſib. inſulę res adminiſtratę. ſed eo mortuo Iacobus Luſignanus qui Genuæ publicæ cuſtodiebatur, rex ab inſulanis dictus, ad regnũ reuocatur. Is auſpicijs Leonardi de Montealdi ducis Genuẽſis Reipublicęq; impenſa claſſe decem triremiũ in Cyprum delatus, Famaguſtam Genuenſibus attribuit, atq; tributum aliquot millibus aureorum in multos annos promiſit.

1370 *Regis Cyprij & Venetorum fœdus*

Cum hoc modo Syriacæ res omnino perijſſent, de ſola Cypro contentio erat, adhuc non cum Turcis aut Saracenis, ſed Chriſtianorum inter ſe inuicem. Vna autẽ Armenia à Turcis occupata mirum in modum premebat, quanquam adhuc regni ſpeciem & libertatẽ aliquã præ ſe ferre videret. Turcæ enim ad maiora imperia animum intendebant, atq; Medis & Perſis inhiabant. Leo igitur, qui Liuoni in eo regno ſucceſſerat, neq; priorem ferre poterat, nec etiam ad æquale imperium admittebatur, ad Vrbanum ſextũ pontificem Romanũ profectus eſt, ad auxilia quędam contra Barbaros colligenda: cui etiam aliquot Rhodij equites erãt coniuncti: deinde etiam in Franciam ad Carolum ſextum regem peruenit, anno circiter 1381. Gallus miſertus fortunę regis Armenij; reſpondit ſe maximè vnicum illud optare, vt ſibi

Leo Armeniæ rex in Europa auxilium petit.

1390 vt sibi tandem liceret in communes religionis hostes arma mouere, sed præsenti tempore bello Anglico occupatum, istud præstare minime posse. Leo his cognitis impigrè curare cœpit, vt controuersijs compositis, ipsi reges iunctis armis sacrum bellum susciperent: itaque confestim in Angliam traiecit, ac postquam regi Armeminis secundus per septem iam annos ibidem regno præfuerat, ab eodem Armenius perbenignè ac hospitaliter exceptus, ac multò benignius auditus fuit. Tumque Leo regem ad æquam pacem pronum offendit, obtulit etiam Anglus exuli regi si pax fieret, publica auxilia & priuatas impensas, atque ad Rempublicã Christianam defendendam animum paratissimum.

Bellum contra Barbaros decretũ.

Hisce peractis designantur legati ad pacem conficiendam, atque Caletum vrbs maritima locus conuentui deputatus. Misit & Francus aliquot suorum procerum Boloniam, qui eius nomine fœdera pangerent: verum odijs & fastu omnia agebantur, atque quinquaginta dies frustra terebantur, de pace enim nihil certi constitutum fuit. Hoc modo Armenius detriuit totum decennium apud Anglum, regíq; acceptus & à cunctis in magno honore fuit habitus. Tandem etiam Richardus precibus Armenij trium annorum inducias Gallis concessit, anno salutis 1391. Postea quoque eundem magna pecunia donatum ad Francum remisit, atq; auxilia est pollicitus, si quoque ab alijs principibus Christianis adiuuaret. Francus etiam renouata sacri belli mentione, Bonifacium nonum pontificem per legatos hortabatur, vt Christianos ad bellum hoc incitaret. Bonifacius quidem id grauiter præstitit. sed alijs alias causas moráſq; nectentibus, Genuenses sacræ militiæ nomen profitentur, non tam publica Christianorum causa quàm quod priuato suo commodo consultum vellent. Nam eodem tempore Saraceni Africæ imperãtes suis incursionibus Genuam & Liguriam vexabant. Igitur legatos ad Francum mittũt, atq; classem & commeatũ offerunt, si prius in Africã quam Syriã trajiciat. Syriam enim nullo modo subigi posse, nisi hoste finitimo ac ferè domestico oppresso: maiori etiã assẽsu Genuensis auditus quã Armenio, q primò Syriã inuadendã censebat.

Tunetum à Christianis obsessum.

Omnibus rebus constitutis, regis frater exercitus Imperator declaratur, atque Armenius secundo loco dux ei adiunctus. Habebat Francus sub signis peditũ viginti millia, atq; equitum mille quingentos, Genuensibus erant quadraginta triremes, naues onerariæ viginti, viris armisq; instructissimæ. Anglus æmulatione virtutis accensus, votiq; memor Heinricum Derbiensem comitẽ cum electa iuuentutis Anglicæ manu, sagittariorumq; magna copia in Franciã transmisit. Quin & Veneti Genuensiũ maximi hostes, religionis causa auxilia addunt, iureiurando præstito nullam mentionem vllius contẽtionis inter eos fore, tantũ communibus consilijs & viribus de coercendo hoste, de recuperãdis rebus perditis sese cogituros. Hisce copijs sese multi quoq; ordinis Ioannitarũ equitum coniunxerũt, qui passim p prouincias Christianorũ militaris huius ordinis prædia & possessiones administrarant præsertim verò ex Germania, cum eius loci Prior 11 Conradus à Brunsperg (q paulo antè Eberhardo à Rosenberg successerat) suos hortaret, vt occasione hac oblata Saracenis damna inferrẽt, & Christianos defenderent. Cum exercitꝰ classem ascendissent, Tunetũ vrbs Africę primo cursu petita fuit. Anglorũ etiam sagittariorũ virtute effectũ, vt littus teneret. mox etiã expositis in terrã copijs, varij conflictus fiunt, & Barbaris repulsis, vrbs ipsa plurimis castris cingitur.

Pax cum Saracenis sancita.

Postea omnibus rebus ordinatis vrbs grauiter oppugnatur, & plurimi hostium cæduntur. Cum autem Barbari rebus suis diffiderent, de pace agere cœperunt. Conditiones pacis erant: vt Saraceni finibus suis se continerent, abstinerent ab oris maritimis Italiæ, Galliæ, atq; insularum, quæ inter Africam ac Europam sitæ essent: captiuos omnes Christianos redderent, atque centum millia aureorum statim pro belli impensis numerarent. Pace hoc modo cum Tunetanis composita, de Syria inuadenda consultari cœptum: at exercitus pestẽ iam dudum laborare cœperat, atque plurimum diminutus fuerat. Itaque decretum euul-

eulgatur de patria repetenda: quo audito ad suos quisque magna gloria & gra- 1395
tulatione reuertitur, vno Armenio res suas grauiter deplorante. Postea de recuperanda Syria Europeis Christianis nulla cura, satisq; fuisset si omissa Asia res suas tutari, & à Turcis defendere potuissent. nam maximis bellis inuoluti, cum Turcis sępius magna contentione pro patria defendenda pugnandum fuit, præsertim cum Baiazethes Amurathis filius & Solymanni frater (quem per insidias interfecerat) apud Turcas rerum potiretur. erat enim ingenio acri, rerum maximarum cupidus, audax, & solers, atque in laboribus perferendis patientissimus, & rerum bellicarum peritissimus.

Hac natura præditus breui temporis spatio adeo noui regni vires produxit & auxit, vt circa Thraciam diu multúmq; versatus penè vniuersam prouinciã (Constantinopoli excepta) bello affligeret: deinde in reliquam Græciam impetum fecit, Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, atque Atticam occupauit, & sui iuris fecit: Misios quoque (qui hodie Seruij) Bosnenses & Bulgaros assiduis excursionibus oppugnationibus, & prælijs debilitauit. Tum etiam patris mortem vlturus Marcum Craienem Bulgarorum principem prælio superatum interfecit, & alios quidem subegit, alijs tributa quotannis exhibẽda indixit: nonnullos quoque arma & milites dare coegit. Hac ratione factũ, vt multas opulentas prouincias patrio & auito regno adiecerit, vtpote Illyrios, Croates, & vicinas regiones. Constantinopolim denicq; vrbẽ regiam adeò omni agro suburbaniscq; delicijs spoliauit, ac tam longa & difficili obsidione vexauit, vt Græcus imperator cum quibusdam regni proceribus peregre profectus in Italiam & superiorem Galliam accesserit, vt auxilia occidentalium Christianorum impetraret. Reliqui verò ciues omni præsidio destituti, faméque valida supra modum vrgente, & bello atrocissimo, indies acrius hostibus vndique frementibus, salute desperata, de deditione agere cœperint. Perijssentque nimirum ac in hostis sæuissimi potestatem venissent, nisi Turcæ Hungarorum Gallorumque aduentum formidassent: iam enim per octo annos Constantinopolim obsederant, & obsessam breui occupare statuerant. Itaque Baiazetes Sigismundo Cęsari occurrere proposuit, atque vrbem ad tempus obsidione liberauit. Venerat Sigismundus cum Burgundiæ duce, atq; Gallorum innumerabili exercitu, multis in locis victor Nicopolim vsq;: aderant etiam Ioannitarum ordinis equites, cum Friderico Comite à Zollern, suo per Alemanniam Priore. Cum autem Sigismundus occasionem pugnæ quæreret, atq; studio Martis aleam protraheret, donec Christianorum exercitus conuenissent, Galli moræ impatientes hostes ad pugnam prouocarunt, ac iniquo loco prælio decertare cœperunt. Verum nostri memorabili prælio succubuerunt, cæsis captisque magna ex parte Gallorum ducibus, inter quos Ioannes Burgundiæ princeps præcipuus extitit, Sigismundus verò imperator fuga sibi salutem acquisiuit. accidit illa calamitas Christianis anno humanæ salutis 1396. *Baiazetis in Græcia successus.*

Cum Baiazetes hac ratione victor extitisset, ad Constantinopolitanam obsidionem rediit, atq; spe plenus vrbem occupare proposuit: cum etiam eandem per biennium terra marique obsedisset, ciues ad rerum omnium inopiam perducti de deditione iterum cogitare cœperunt. proculdubio quoque Barbarus vrbem occupasset, nisi Tamerlanes potens Scytharum rex instar torrentis cuncta prosternendo & vastando, ipsum Baiazetem omni apparatu & copijs occurrere & reluctari tonantem, in Asiam reuocasset. Hócq; modo Constantinopolitanum Imperium, cum Rhodijs militibus & vicinis Christianis, quieté viuere, & præsidia sua firmare potuerunt. Tamerlanis ille (qui & Temyris dictus) natione Parthus patre Sangalo humili inter suos loco natus pueritiã apud parẽtes egerat, ac adolescẽs factus ciuibus Samarchandenis operam locabat equis custodiendis. Indoles illi erat fabdola & sanguinaria, quæ nil nisi latrocinia spirabat. Pubertatem egressus, curatione cum reliquis pastoribus inita, pecora & iumenta furando finitimis abegit, at- *Tamberlanis mirabilis fortuna.*

1396 egit, atq; breui magnam armentorum copiam, & ſociorum haud contemnendam manum contraxit, nec erubuit latronum princeps vocari. Fama etiam nominis terrórque audaciæ magnam apud populares ſibi gratiam comparauit. Poſtea ſtabulum muris circumdatum ac armatorum copijs munitum effregit, ac in poteſtatem redegit. Ibi tamen de muro præcipitatus crus fregit, cuius caſu perpetuã claudicationem contraxit. Ea victoria omnium animis ſibi conciliatis, clam atque palam hominum equeſtrium & pedeſtrium copiæ ad ipſum confluxerunt, quæ etiam ipſum ducem petierunt ad vicinos Saracenos opprimendos. Hanc occaſionem ipſe non neglexit, ſed vicinia hoſtiliter irrumpens omnia ferro & flamma vaſtabat ac diripiebat, ita vt eo latrocinio ingentes opes paruo tempore congeſſerit. his non parcè ſed liberaliter vſus vires ſuas ita auxit, vt tyrannidis apprehendęq; conſilia agitare cœpit.

Babylonia à Tamerlane occupata.

Poſtea loco munito capto præſidium extruxit, atque prætereuntes crudeliter ſpoliauit, regulos etiam aliquot excurſionibus vexauit, ac duos prouincię Tyranos Chaidarem & Myrxiem vi ac præmijs ſibi coniunxit. horum auxilijs fretus, Babylonem vrbem (quam Baldacam vocãt.) Euphrati adiacentem bello inuadit. Fama huius belli ciues Samarchandæ excíti, ipſum ſequuntur, atque exercitus imperatorem conſtituũt. Caſtris in conſpectu vrbis metatis, cum ſępius oppugnatã intrare nõ poſſet, Soldanum Mediæ ſuis ſupplementa copiarum adferentẽ vrbem intrare permiſit, vt annona citius abſumeretur, atq; obſeſſi deditionem facerent. Id quod etiam euenit, nam Soldano à fame oppreſſis interfecto, eius vidua Tamerlani vrbem offert, ſi ipſam vxorem ducere, & regni conſortem facere velit. Deinde etiam patriæ principatum obtinuit, & reſiſtentes ſuſtulit. Mox conſcripto exercitu quadringentorũ equitum milliũ, & ſexcentorum milliũ peditũ, Aſſyrios, Albanos, Medos & Scythas inuaſit, & paucis annis ita ſubegit vt imperata facere cogerentẽ. Omnia enim in ſuis caſtris optimè diſponebãt, deni milites decurioni, decẽ decuriones Centurioni, decem centuriones Chiliarchæ, decem Chilarchæ ducibus, ac tandem duces Imperatori parebant, ita vt vno nutu caſtra mouerentur, & prælia eodem momento inirentur. ſcelerum vindicandi magna ratio, itaque caſtra omnium rerum affluentiam habebant, ac nobile emporium referebant, dum omnis generis merces eò deferrentur.

Scythæ à Tamberlane deuicti.

Rebus ſic ordinatis in Hircanos mouet, quibus deuictis Caduſios aggreditur, atque ex inſidijs adortos ſubegit. Arabiam inde fœlicem petens, qui Caduſijs opem tulerant, adeò incolas terruit, vt legationibus & muneribus hoſtem potius delinire, quàm armis reſiſtere cuperent. Poſtea verò Maſſagetarum audacia reuocatus, qui Perſidẽ inuaſiſſe nunciabant, Samarchandam rediit. Nam Maſſagetarum Tyrãnus qui in ea Scythię parte regnabat, quam nunc Cathaium vocãt, haud putabat Tamerlanum iratũ ſibi bellum inferre poſſe, cum nemo exterorũ regum hactenus ad ea loca peruenerit. Sedis congregato maximo exercitu, Tanaim ſuperat, atq; Scythas aggreſſus tandem deuicit, omnéſque eorum Hordas depopulatus fuit. Hordæ ſunt vulgi congregationes, ad ciuitatis formam ordinatæ, qui pro muris pectora fortium virorum habent: magna deinde præda onuſtus per Hyberiam Colchidémq; regreſſus Cheriam rediit, ac malè afflictum exercitum ad Tanaim refecit. ibi etiam cum Maſſagetis fœdus & affinitatem iniit. Hic dum ocium trahit, admonetur Caphæ (quæ tum erat Genuenſium colonia in Taurico Cherſoneſo ſita) eſſe immenſam vim diuitiarum, multis mercatoribus eò ſemper confluentibus. Itaq; vrbi bellum denuntiat, atque poſt continuas & acerrimas oppugnationes, tandem cum omni opulentia in poteſtatem redegit.

Turcis bellũ denunciatũ.

Scythia Aſiatica edomita & Capha occupata, Tamerlanes etiam reliqua Aſiæ emporia ſibi ſubijcere ſtatuit. ſuſpecta autẽ ei Turcarum potentia, qui & ipſi Monarchiam ambire, nullúmq; necque ſuperiorem nec parem laturum videbantur. Interim homines ſummo loco nati ac paſſim à Baiazethe eiecti ipſum adeunt, atq; auxilia & opem implorant. Inter eos erat Caſanes Aſſambecci nepos, qui Armeniæ im-

niæ imperabat, quæ quidem ſua calamitate Tamerlanem maximè afficiebat. Igi- 1398
gitur legatos ad Baiazethem mittit, ac exules reſtitui petijt, more etiam gentis
muneris loco veſtem præcioſam obtulit. Vbi ad Baiazethem ventum eſt, man-
data exponunt, ac primò laudibus euehunt, quod Mahometis religionem ſtre-
nuè propugnaret: deinde petunt vt exules reſtituat, nec Tamerlanis amicis
moleſtus exiſtat, aut actione inſtituta, eius ſententiam expectet. Ad ea Turca
nihil pacati reſpondet, munus etiam repudiatum. Hæc vt ad Temyrem relata
fuere, ſtatim per præconem Baiazeti bellum renunciatũ, ferunt Turcam reſpon-
diſſe, prius Tamerlanem tertiò repudiatam ſuam coniugem recepturum, quàm
bellum Turcis inferre auſurum. Infamis enim is apud Turcas eſt, qui repudiata ter-
tiò vxore eam recipit. hoc contumelioſo reſponſo Tamerlanes & vxor irati, Arme
nium reſtituere & Turcis vim inferre ſtatuunt. Itaque Sebaſtiam à Baiazethe oc-
cupatam, Armeniæ ſecundę Metropolim aggreditur. ſuſceperat eo tempore Baia-
zethes expeditionem contra Græcos, atq; Beotiam, Peloponeſum, ac Theſſaliam
flamma, cæde, & rapina depopulabatur. Rhodijs etiam militibus quacunq; ratio-
ne poſſet inſidiabatur, vt eos inſula pulſos remoueret, atq; regna Europea poſtea
terra mariq; inuaderet.

Sebaſtiæ vrbi Baiazethes præfecerat Orthobulem filium ſtrenuum, & in armis *Sebaſtia Armeniorũ deleta.*
exercitatum iuuenem, qui ſæpius oppugnantem vrbis muros Tamerlanem repel-
lebat: at demum ciues, per cuniculos muris ſuffoſſis, ad deditionem inclinant. pax
etiam ijs data ſi Turcico præſidio excluſo, ſedecim millia ſuorũ militum in vrbem
reciperentur, quo peracto, ſolutis caſtris Cheriam redire conabatur, vixq́ ter-
ijs caſtris aberat, cum nunciatur tumultum in vrbe Sebaſtia ortum, quo Ortho-
bules reuocatus, ac præſidium ſuum trucidatum ſit. nouitate rei attonitus rediit,
caſtris denuo vrbem cinxit, & quindecim continuis diebus magnis viribus oppu-
gnauit. cum autem aperto Marte nihil efficeret, ad dolum conuerſus cum oppida-
nis fœdera ſimulauit, vt ſagittariorum ipſorum opera in quadam expeditione vte-
retur. horum duodecim millia fuiſſe dicuntur: hiſce omnibus pollices reſcidit ac al-
tera die in vrbem remiſit. Poſtea denuò vrbem oppugnans vi cepit, ac omnis gene
ris homines in vrbis forum conuocare iuſſit: quotquot decimum quartum annum
ex virili ſexu exceſſiſſent obtruncare, nubilis ætatis puellas vinculis mãcipare iuſ-
ſit. Mulieres poſtea pueróſque omnes in patentes campos educi ac matres ab in-
fantibus ſeparari voluit. Inde equitum turmas conuocauit, eaſq́ ferrum & equos
in lachrimantes pueros agere, ac ſine diſcrimine oppreſſos conculcare iuſſit. Ex-
empli atrocitatem equites ſtupebant, ac regis feram crudelitatem placare ſtude-
bant. Ligur etiam quidam mercator Tyrannũ humanitatis admonebat. Tum ob-
uerſis in eum igneſcentibus oculis Tamerlanes inquit: Me, qui totius orbis mal-
leus ipſaq; Dei ira ſum, æſtimas tu hominem? falleris: ſanè verò ne poſthac mihi oc
curras. Conuerſus deinde ad equites, Ecquid inquit cunctamini? adactóque equo
primus in puerorum agmen irrupit: ſic equitatus crudelitatem Tyrãni ſecutus vn
diq; irruens, matres cum liberis equorum vngulis contriuit. Oppidum poſtea ex-
uſſit ac Orthobulem & captiuos abduxit. In primis is leproſos excarnificabat, ne-
fas eſſe dicens, quòd ſupereſſent, qui reliquos inficerent.

Poſtquam Baiazethes hæc percepiſſet, dolorem haud diſſimulare potuit: nam *Tãberlanis & Baiazethis congreſſus.*
cum fortè opilionem obuium haberet fiſtula cantiunculam modulãtem, præmiſſo
gemitu, dixiſſe ferunt: O beate, quam dulce canis, quã læto animo incedis, qui nec
Sebaſtiã nec Orthobulẽ filiũ amittere potuiſti. Cum etiã Tãberlanes vnà cũ pace
graues cõditiones offerret, Turca iratus reſpondit, cũ latrone ſibi pacẽ intercedere
non poſſe, nec in obtinenda Aſię Monarchia ſe vlli ceſſurũ. proinde legati abeãt ac
Temyri armis non verbis opus eſſe renuntient. Itaq; Parthus delectu habito octua
ginta Myriades armatorũ hominum ſub ſignis habuit. Baiazethes quoq; ex Euro-
pa & Aſia ingentes easq́ inſtructiſſimas copias coegit, atq; trecenta millia pu-
gnatorum produxit: cum etiam omnem belli ſummam in velocitate poſitam ex-

1399 istimaret, quam maximis itineribus ad Euphratem contendit: vix autem Armeniam intrarat, cum nunciaretur Tamberlanem exercitu suo in Phrygiam peruenisse, ac ferè hostem in conspectu adesse: itaque Baiazetes eò celerrimè profectus est. Cum ad Stellam montem peruenisset, vbi olim Pompeius cum Mithridate confluxerat, metatis vtrinque castris, vix medium miliare Germanicum inter eos spacium relictum. Ferunt Tamberlanum mutato habitu situm castrorum atque totius belli apparatum in castris Baiazetis explorasse. Tandem Sachruchum filium, cum decem millibus leuis armaturæ equitibus, ad hostem præcedere iussit, vt eum quoquo modo possent ad pugnam elicerent: quod vbi Turca vidit confestim acies instruit, & collem quendā occupauit, pugnæ copiam Scythis ac Parthis facturus.

Turcæ acie victi à Tamerlane.

Collocarat Baiazethes in sinistro cornu Asiatica auxilia, Europeis dextram aciem tuendam commendarat, ipse medius existens, stipatoribus lanizaris totiusque exercitus robore septus, hostem expectabat. Sacruchus agmine & passu compositò Persarum ac Caltidarum nobilitate circumdatus in hostem mouebat, nec eum circumuenire (& si facile potuisset) statuebat, sed spacium relinquebat, quo fugientibus copia abeundi esset, ne ex omni parte oppugnati per desperationem animos sumerent. Europei milites pugnæ initium dederunt, qui magno impetu in hostem delati Persas iam pedem referre coegerant, atque ardore pugnæ ad castra hostium vsque progressi, virtutis ac audaciæ suæ monumenta reliquerant. Baiazethes autem veritus ne ab hostibus circumueniretur, ordinum ductores reuocare iussit, militésque in priorem locum redire mandauit: quum autem dux ac milites abnuerent, tandem Turcæ blasphemijs reuocati paruerunt. Id cum Tamberlanes vidisset, in recedentes magna vi fertur, tantóque numero à tergo premebat, vt citatissimis passibus sese in castra reciperent. Asianus verò miles fugam esse ratus, confestim abiectis armis fuga salutem quæsiuit. Baiazetes res suas pessimo loco contemplatus, equum perniciissimum ascendit, ac effusissimis habenis effugit. Persæ fugientem insequuntur, ac spe freti viuum in potestatem redigere conabantur. Cum autem Turca velocissima equa veheretur, ac cursu multum itineris confecerat, & fortè ad flumem peruenerat, equa intolleranda siti stimulata bibere cupiebat: nec prius quam bene potam abigere poterat, quum chiragra grauiter laboraret, nec fugę socios haberet. Equa iam pota de pernicitate multum remittebat: hac re factum vt à militibus Tamerlani assecutus, ad Tyrannum captiuus traheretur. Capti eodem die Baiazetis quoque filij fuerunt, Musulmannes, Mechmet, & Moses: duces insuper Turcarum ferè omnes, qui tamen cum cæteris pugna elapsis tantum vestibus spoliati, & liberè abire permissi fuerunt.

Baiazethis capti calamitas.

Hac victoria Tamerlanes potitus omnes Asiæ regiones, quæ Turcæ parebant, in potestatem redegit: Prussiam quoque Baiazethis regiam occupauit, inde Turcæ Gynæceum cum vxore Baiazethis captum. Ferunt in ea pugna ducenta millia Turcarum occubuisse. Adductus Turca ad Tamerlanem, asino præposterè impositus, ac per castra ad deridendum circumuectus, vinculis inde mancipatus & iuxta conuiuium collocatus fuit, in quo Eleazari Mysiæ superioris ducis soror, ac Baiazetis vxor (quam ardentissimè amabat) in mariti conspectu hospitibus vinum infundere cogebatur. hæc cum Baiazetes grauiter tulisset, aureis cathenis uincias circunducitur: quin etiam quoties Parthus equum conscendceret, scabelli loco eo vsus fuit, atque proiectis frustulis & micis eum instar canis sub mensa luit. Cum etiam Smyrnam vrbem firmasset ac Indici belli fama domum reuocatus esset, Baiazethem secum abduxit, qui tandem tot calamitatibus & ludibrijs impar, ægritudine contracta, post biēnium in Ionia obijt, anno 1400. cum per 17 annis rebus Turcicis præfuisset.

Interea

Interea Christiani Cyprij ac Rhodij, dum Tyranni sese mutuis bellis in Asia con- 1400
ficerent, alta pace vsi fuerunt. Cum etiam Iacobus Lusignanus duo deviginti an- *Ianus Cypri*
nos in pace apud Cyprios regnasset, Iano filio, quem apud Genuam in vinculis ge- *rex Fama-*
nuerat, regnum reliquit. Is statim inito regno sceleratos quosdam homines pecu- *gustam ob-*
nia corrumpit, vt illi Famagustam proderent: sed tumultu excitato, indicio vnius *sidet.*
ex numero proditorum res omnis detecta, ita vt proditores reste perierint, & vrbs
diligentius munita fuerit. Erat rex viginti annorum adolescens ingentis animi &
spiritus princeps: is etsi Genuæ natus, educatus, atq; Genuensium ope ad regnum
euectus, tamen contractis copijs vrbem obsedit, atq; aliquoties oppugnauit, cum
etiam proceres regni consulerent vt obsidionem solueret, exclamasse ferunt, illi ca
pitale fore qui de soluenda obsidione primus verba faceret: se ephebum in ea obsi-
denda perseueraturum, donec barba capitéq; canus omnibus appareat, si non ci-
tius eum vrbe potiri contingat. Cum etiam Antonius Guarco Genuensium in vr-
be prætor ex specula eundem interrogaret, cur patriæ immemor, & beneficiorum
oblitus, vrbem Reipublicæ Genuensium eripere tentaret, quam à patre & patruo
iustissimis causis obtinuissent: respondit, Genuensium esse, imperium ambire, nul-
lumq; orbis esse angulum quem non attentarint, ac aliena regna inuaserint, proin-
de mirum videri nõ debere, si vicinam à progenitorib. suis fundatam vrbem expe
tat. His dictis solutis castris abijt. nam Antonius Grimaldus cum ingenti classe cõ
meatúq; omnis generis in obsidium vrbis aduentare dicebatur. Quieuit Ianus per
sex menses, cum reuocato Grimaldo Genuenses insulam tanquam pacatam relin-
querent. tum Ianus conscripto exercitu maioribus viríb. & pertinaciori studio vr-
bem aggredit, atq; portu obstructo fame in potestatem redigere conatur. Genuen
ses igitur vnam & viginti triremes struunt, cetheas naues sedecim, & plures cõmu-
nes: summæ rei præerat Bucicaldus regis Galliæ legatus, is statim in Cyprum traij-
ciens, regem castris exuit, ac apud Nicosiam obsedit, eundem etiam tandem coe-
git ad pacis conditiones descendere. Belli igitur impensis solutis, rex à Genuensi-
bus iterum pacem obtinuit.

Ea autem pace non diu vsus fuit, Melethella enim Soldanus Aegypti, direptio- *Soldanus Ae-*
nem Alexandriæ à regis parentibus factam, vlturus, validissima classe in insulam *gypti Cy-*
Cypri traiecit, atq; insulanos occurrere ausos in patentibus apud Nicosiam cam- *prum vastat*
pis prostrauit & fugauit. Capitur etiam rex, Nicosia regia diripitur, & populus ferè
omnis in captiuitatem abducitur. Hoc modo factum vt cæde, ferro, & flamma tota
insula vastaretur, & ferme vacua relinqueret. Euasit tamẽ triremis beneficio Od-
do regis frater, qui Genuam peruenit, atq; dignitatibus & militiæ gradib. euectus,
quadriennio pòst fortiter pugnans in Corsica insula vitam cum morte commuta-
uit. Acciderunt hæc anno Christi 1416. Ianus verò rex centum & viginti millib. au-
reorum redemptus tributariusq; Aegyptijs factus, in regnum tandem redijt, mul-
tisq; calamitatibus oppressus vitam finiuit, anno regni sui tricesimo. Fuerunt huic
duo liberi Ioannes & Anna, hanc puellam frater statim à morte parentis, Ludoui-
co Sabaudiensis ducis filio vxorem locauit. Ioannes autem in regno successit, qui
inter fœminas educatus vir muliere fuit corruptior. Duxit is vxorem ex familia
Montisferratensium Amadeam nomine, Ioannis Iacobi filiam, qua extincta, quum
ex occidentis principibus nemo reperiretur qui ei suam filiam desponsaret,
Helenam Theodori Paleologi filiam sibi coniunxit, ingenio per-
acri & cordatam mulierem, hæc socordiam regis a-
spernata regnum administrabat, sed i-
psa à nutrice regebatur.

1410 *Machmetes Turca Sigismũdum Cæsarẽ prælio superat.*



Dum hæc in Asia fiunt, Baiazethis filij in Europa maximas turbas excitarũt, atq; subinde occasiones quęsierunt qua ratione Rhodijs equitibus obesse, atq; maris imperium recuperare possent, præsertim cum ædium Commendatores ex varijs Europæ prouincijs atq; in primis Fridericus comes à Zollern ordinis huius per Alemaniam 12 prior, subinde ingenuos adolescentes Rhodum transmitterent, atq; Turcas hinc inde nauigantes opprimerent. Calepinus enim fuga elapsus fauente fortuna Adrianopolim peruenit: is regnum plus minus sex annis obtinuit ac Orchanem filium reliquit. Tum etiam Baiazethis filij Constantinopoli è custodia elapsi, nimirũ Mosses, Mehemet, & Mustaphas, dum imperator Constantinopolitanus in Galliã esset profectus, à Carolo 6 auxilia imploraturus: ex illis Moses Orchanem patruelem paruulum interfecit, atq; ipse vicissim à Mehmete fratre occiditur: itaque Mahmetes regnum arripuit & mox in Asiam profectus loca quędam quæ Tamberlanes occuparat recepit. Postea sedem imperialem, quæ Prusiæ fuerat, Adrianopolim transtulit, bellum quoque contra Vvalachiam mouit. Ibi Sigismundum Imperatorem in planicie Salumbeciana acie vicit. Imperator naui beneficio elapsus, primò Constantinopolim, postea Rhodum peruenit, ac tandem Ioannitarum opera incolumis in Vngariam redijt. Inde Mahometes primus suæ gentis Danubium traiecit, & Bosnam occupauit. Cum is annos 18 Turcis præfuisset decessit, ac Amurathem filium successorem reliquit, anno 1418.

Syria à Tamerlane occupata.

Interea Tamarlanes cùm Indorum rege inducias fecit, atq; Aegyptijq; regna sibi subijcere proposuit, quæ omnia Soldano Mẽphitico regi parebant. Eo tempore Hierosolyma quoque erat deuastata, ac sub Agyptiorum potestate gubernabatur: Dominicum verò sepulchrum tantummodo ob lucrũ quod ex peregrinis accedebat, illæsum conseruabatur. Itaq; Tamerlanes coacto exercitu duodecies centum millium armatorum Mesopotamiam petijt, atq; Alapiam vrbẽ obsidione cinxit. Saraceni cum Mamaluchorum præsidio, quod ex Aegypto venerat, in castra hostium eruptionem facientes, multa clade repelluntur. Illi ergo se in vrbem recipientes telis tormentisq; subeuntem hostem arcere nituntur. Quarta demum die Tamerlanes vi ingenti in suburbia irrumpit, eáq; diripit: inde cadauera cæsorum atq; captiuos omnes in fossam vrbis præcipitare, atque ligna & terram hisce superingerere præcipit. Sic aggere facto ipsam vrbẽ oppugnatione vallida aggreditur, qua occupata ac direpta firmo suorum præsidio communiuit. Simili modo Edessam decimo quinto obsidionis die in potestatem redegit. Mesopotamia potitus, Syriam deuastat. inde missis nũtijs Aegyptium regem per nuncios interpellat, vt Cælesyriam sibi tradat, quod si fecerit sese bellum pace mutaturum. Ista autem legatio fuit irrita, propterea Barbarus ira accensus Damascum adoritur. Sic per Palestinam iter fecit. Inuisis etiam sacris ad Hierosolymas locis, triginta millia militum, Iosepho præfecto constituto, in Palestina reliquit, qui circa Iordanem castra locantes Palestinam tutarentur.

Cum

1420



Cum postea per semestre tẽpus Damascum aspera obsidione fatigasset, vrbẽ expugnauit, atq; propugnaculũ in quod pręsidiarij milites sese receperãt, pari successu, præter omnium opinionẽ in potestatem redegit. Captæ vrbis & præsidij expugnati fama iam ad Aegypti Tyrannũ peruenerat, qui subitò legatis missis Tamerlanem rogat, vt cõmunis religionis memor ciuitati & augusto templo parcat, q; ibi ornatissimum extrabat. Huius enim amplitudo 40 porticibus ambiebatur, quarum quælibet magnã hominum multitudinem capiebat, intus verò 9 millibus ampullis ex auro argentóq; affabrè ductis, illustratum erat: hoc enim exornando Aegypti reges ingentes thesauros profuderant. ergo Tamerlanes his precib. delinitus vrbi & Templo pepercit, & cum exercitu in Aegyptum properauit. Soldanus cũ hęc audiuisset, 12 millia Mamaluchorum fortissimorum elegit, ac auersis itinerib. citissimè Damascũ recipere iussit: quo Parthũ à proposito auerteret, atq; ipse interim vndiq; auxilia colligere posset: mox etiam Larim vrbẽ solitudinis præsidio firmauit, atq; ipse 30 millib. equitum se in interiorem Aegyptum recepit. Tum etiam omnes puteos atq; restagnantem Nilum veneno infecit. qua re effectum, vt hostium exercitus, qui fugientem vnius diei interuallo sequebatur magna clade absumeret. Depopulata Aegypto in Syriam rediit, atq; denuo Damascum à Mamaluchis occupatum per tres menses oppugnauit. Cum etiam annona deficeret, neq; vlla spes auxiliorum ex Aegypto affulgeret, Mamaluchi prima noctis vigilia per auersam à caltheris portam recedunt, atq; vrbem vacuam hosti relinquunt.

Damascus vrbs funditus extirpata.

Sacerdotes statim Tamerlano occurrunt, atq; patriæ salutem lachrimis obortis deprecantur. Tyrannus eos complexus cum omnibus Templi ministris eorúmq; familia tẽplum ingredi iubet. adiunxit se ijs magna ciuium caterua, quæ tanquã in Asylo saluti suæ consultum existimabat: 30 millia hominum eò confluxisse perhibentur. Occluso postea tẽplo lignis circũstruere, ac igne iniecto, cõcremare iussit, dicens: hoc modo prophanatum templum cum sceleratis sacrificulis & impijs ciuibus expiandum: se enim à numine vindicem peccatorum missum esse. Deinde funditus vrbẽ diruit ac solo æquauit, ita vt ciues regionẽ ædium suarum vbi thesauros

Mercatia vrbs in Orãte condita.

1426 absconderat agnoscere nequirẽt. postea trophęum captę vrbis erexit, tribus turrib. ex caluarijs cæsorum ædificatis: decreuerat & reliquas Syrię ciuitates pari vastitate delere, at cum muscæ exercitum vexarẽt, cœpto destitit, à Deo se admonitum hisce interpretatus, vt ea re temperaret. Itaq; quum Memphitico regi tributum imperasset, in Persidem redijt. Postea quoq; cum Indorum rege bellum suscepit atq; ingenti pecunia pacem redimere coegit. Deinde Mercantam vrbem condidit, atq; toto orbe diuitias acquisitas eò deduxit, ac ita habitatoribus ornauit, vt breui totius orientis nobilissimum emporium succreuerit.

Tamberlanis tripartita castra.

Oderat Tamerlanes in primis latrocinia, nihilque vnquã seuerius vindicauit. ad superstitionem vsq; erat religiosus, iuramenti tenacissimus, & fidei datę obseruatissimus. Cum locum ad capiendum adoriretur primo die candido tabernaculo vtebatur, ac deditijs pacẽ promittebat: secundo die rubro, quo cunctantib. omniũ puberum necem minitabat: tertio nigro, quo vrbis & omniũ mortalium excidiũ ostẽdebat. Crudelitate Hannibali non impar: Alexandro nec animi magnitudine nec fortunæ successib. minor, mentéq; totum orbẽ complexus. Sępius suis dixit se in animo habere ex Asia in Europã exercitum traijcere, atq; ad Oceanũ vsq; ad ipsas Herculis columnas penetrare. traiecto deinde mari, & Africa edomita per Aegyptum ad Samarchandam se reuersurum. Tot etiam susceptis expeditionib. tot pugnis cõmissis victor semper extitit. Hoc tñ maximè Christianis profuit, quòd Turcis suppressis, Cyprijs atq; Rhodijs ac alijs maritima Christianorum loca inhabitãtibus, otium cõcesserit, vt sese à Turcarum tyrãnide defendere, atq; loca sua fortius communire potuerint. Quod si etiam occidentales principes Hierosolymam atq; vetus Asianum imperiũ vindicare voluissent, post obitum Tamerlanis fractis Turcarum opibus, Aegyptijs adhuc trepidantib. ac Syriæ oris omni pręsidio destitutis facile omnia pro voluntate efficere potuissent. Senio nanque confectus ac laboris pertæsus filium natu maximum regno pręfecit, ipse verò voluptatibus & otijs indulsit. Incidit eius interitus in annum 1430.

Amurathus Turca Thessalonicã occupat.

Interea circa Rhodum & Græciam varij quoq; motus fuerunt: Amurates enim iunior (qui & Morasbeg dicitur) audita patris morte per Hellespõtum in Thraciã traijcere conabatur, vt reliquam partem regni occuparet. Imperator aũt Græcorũ maritimo apparatu ipsum diu prohibuit, & iter intercluſit. Vbi aũt eò penetrasse intellexit, Mustapham alterũ Baiazetis filium & Amurathi partuũ regnóq; spolia tum, vt rerũ potiretur emisit, & summa ope prosecutus est. Mustapha igitũ celeriter exercitũ contraxit, atq; cũ Amurathe hostiliter conflixit: verũ Amurathus superior fuit, & Mustapha eo prælio occubuit, postea totũ Turcarum regnũ victori cessit: incidit id in annum 1410. Amurathus aũt compos paterni regni effectus non quieuit, sed Græcis qui Mustaphæ auxilio fuerant infensus, eorum fines populabatur, mox etiam cũ exercitu in Europam traiecit, ac prouincias Greciæ adortus, agros vastauit, & vrbes vi captas diripuit, quo metu quędam nobilissimæ vrbes perculsę, vltrò in fidem Turcarũ cesserũt. Deinde Thracia armis peragrata, atq; Thessalonica vrbs celeberrima in ora Macedoniæ sita (quæ tum à Venetis tenebat) vi expugnata & direpta. Templa pulcherrima expilata, sacra prophanata, opes & ornamenta per antiqua exhausta. Quo rerum successu ferocior factus, per Tomarũ & Pindum montes, cum valido exercitu Græciam ingressus, perpetuo victoriæ cursu Phocidẽ cũ Attica regione. Bœotiã, Aetoliam, Acarnaniã, & omnes circa Peloponesum gẽtes, vsq; ad Corinth. sinũ, suo imperio subiecit. id quod Rhodios equites plurimum terrefecit, cum vicinis subactis, idem periculum ipsis certò immineret.

Turcæ Epyrum & Sertiam vastãt.

Gubernabat tum Epyrum Ioannes Castriotus, is vt vim bellicam à se amoueret, tres filios, cum Croia Illyriorũ oppido, Amuratho obsides dedit, scilicet Constantinũ, Reposiũ, & Georgiũ quẽ Turcę Scanderbegum dixerunt. Tum etiã Georgius Despotus Seruię & Rascię dñs Sigismundo Imp. adhęrebat, atq; Nandoralbẽsem arcem, prope confluenta Danubij & Sauí sitã (q̃ & Taurinũ & Belgradũ dicebat) dono dabat, multis alijs oppidis vicissim à liberali Cęsare dono acceptis. Eo tẽpore Amura-

Amurathus in Mysiam peruenit, ac vix Georgio Despotę pacem concessit, donec ex eo nuptias filiæ magna dote extorsisset. Paucis tamen annis interiectis neque pax neque affinitas obstitit, quò minus Turca aduersus eum exercitum duceret. Georgius furēti hosti impar, cum vrbes & oppida partim vi partim metu caperentur, atque opulenta terra ferro & igni vastaret, cum familia sua ac eius gentis sacerdotibus, in Hungariam fugit, vno Georgio filio relicto, qui cum præsidio Syndeouiam Seruię regiam tuebat. Illi autem per quatuor annos assidentem hostē pertulerunt, tanta rerum inopia, vt super vetitos obscænósq; cibos reperti sint, qui fame adacti suas ipsi corroserint manus. Postremò inedia victi, cum Georgio principis filio vltrò in hostiū potestatē venêre. Albertus tum Austriæ dux rex Hungarię ac Cęsar Romanus timēs ne dirus hostis regnū Hungarię obrueret, ingenti exercitu ei obuiam progressus fuit. Sed nescio quo fato exercitus profluuio ventris laborare cœpit quo etiam morbo rex extinctus fuit. 1436

Postea Vladislaus Polonię rex, à quibsdā Hungarię proceribus accersitus, in regnum venit, ac à Despoto Seruiæ rogatus fuit, vt se exulem in ducatu patrio restitueret, id q; Vladislaus ei liberaliter est pollicitus. Alij tamen Vngarię proceres Ladislao Alberti posthumo adhærebāt: qua occasione Amurathus fretus Hungariā inuadere, & primo Belgradum occupare statuit. Vrbem etiam obsidione cinxit, machinas militares instar turrium è ligno struxit, ac cuniculis subterraneis effossis nihil omisit, quod ad eius loci expugnationem facere videretur. Sed arcis prefectus omnes Turcarum conatus inanes reddidit, cuniculósq; puluere, pice, oleo ac sulphure repleuit, ac immissos milites interfecit. Etsi verò Turca in obsidione illa per septem menses hæreret, tandem tamen Belgradum reliquit & in regnum redijt, multis millibus suorum amissis. Excitarat tum Deus Ioannē Huniadem virum fortissimum qui rem Christianam restituebat, atque Turcarum conatus impediebat, quo minus Grecorum imperium euertere, ac Rhodios equites bello petere posset, Itaq; Vladislaus rex eum Transiluaniæ ducem & Vaiuodam creauit, eáq; opida potissimum commisit, quę Turcis proximè obiecta erant. Is etiam cum exercitu Seruiam ingressus pluribus cladibus Turcas affecit, atq; eorum duces bis acie strauit. Moldauiam quoque prius per Turcas ablatam recuperauit, regnóq; adiecit: omnes præterea occultos tramites, quibus Turcæ erumpere soliti erant, ita clausit, vt omnem eius deprædandi occasionem adimeret. *Ioannis Huniadis virtus*

Hoc cum Amurathus animo secum tacitus voluerit, toties suorū actas strages indignatus, & quod Moldauia erepta erat, Bassam, qui secundum post ipsum locū occupabat, virum strenuū ad se vocat, ac cum octoginta millibus militum Transalpinas terras inuadere iubet, vt illatā cladem vlciscat, & omnē Transyluaniā populetur. Itaq; Bassa per alpes transcendēs obuia quęq; sternit, ac homines in miserā seruitutem impellit. Huniades numero militū longe impar militari manu stipatus hostem oppellere aut glorioſa morte decedere statuit. Ergo copijs coadunatis hostes intrepidus aggredit. Fit prælium ingens, maximáq; vtrinq; strages edit, cum autē Huniades fortius instaret Turcę vincunt & fugam capescūt. Hungari subsecuti adeo omnē campi planitiē cadaueris implēt, vt aēr ibi infectus aliquādiu hominib. habitationē negaret. Interea Eugenius pontifex Iulianū Cęsarinū Cardinalē ex Basilienſi concilio in Vngariā legatū misit, vt lites Vladislai & Ladislai de regno cōponeret. Is publicè & priuatim expeditionē bellicā contra Turcas suasit. Accedebant principū Christianorū promissa auxilia. Mouebat quoq; Despotus exul regē, qui calamitates Christianis inflictas noctésq; diésq; omnib. inculcabat: his excitus rex Vladislaus tertio regni suo anno ingentē selectorū militū manū cōflauit. Venerunt & Poloni, & ex omni Christiano orbe cruce signati milites. Itaq; & Rhodij aliquot ordinis equites adiunxerūt, atq; plurimi ex Germania eius ordinis præstò fuerunt, à13 Alemaniæ priore Amando ad Rhenum eò ingenti spe transmissi. *Turcæ in Transyluania prælio victi.*

Rex Danubio traiecto primò ad Tibscum fluuium peruenit, eóq; superato in Bulgariam traiecit: mox rectà progressus Sophiam vrbem thermis celebrem occu- *Vladislai Vngari de Turcis victoria.*

1435 pauit. Eo in loco Despotus cum suis sese regio exercitui coniunxit, Rasciano & Seruiano ducatu præterito, Bulgariæ regnum, quod Turcæ prius occuparant: infestis armis ingressi, obuia quæq; ferro aut igne delent, Turcarum præsidijs passim deturbatis. Tandem Huniades vno die quinquies collatis signis cum Turcis pugnauit ac semper victor extitit: mox etiam sexta victoria instabat. Nam flumen Morauam traiecit, ac impedimentis relictis Bassam petijt, cum eo prælio decertaturus. Bassa verò sibi timens retrocessit, inde cum primo exercitu Huniades progressus Nisam vrbem peruenit, ac obsidione cinctam expugnauit. Paulo pòst Bassa da ingentibus copijs in Natolia collectis, sese nostris ostendit, atq; certamen in horam vespertinam distulit, vt si bello superaretur nocturnæ tenebræ fugientibus subsidio forent. deceptus tamen erat, quum luna pernox esset. Edito itaque magno clamore pugna initur, maiorque longè cædes quã pro numero eorum qui vicerunt, cõmissa est: si quidem ad triginta millia Turcarum ea nocte cæsa dicuntur. quin & ipse Bassa circa medium noctis in nostrorũ castra captiuus perductus fuit. Postea Amurathus accitis nouis ex Asia copijs Carambum ducẽ, virum manu & ingenio promptum, Christianis opposuit, & angustias montium obsidere iussit, ne in Macedoniam aut Thraciam peruenire possent. Cum autem is incautius in Christianos impetum faceret, capitur, atq; castra Turcarum expugnantur. Postea rex patriam inuito Despoto repetere statuit, atq; Belgradum peruenit, inde magno triumpho Budam redijt, atq; copias Christianorum gloria & præda onustas domum remisit.

Ludouicus Sabaudiæ dux rex Cypri.

Interea quoque in Cypro maximi motus exorti. Cum enim Helena regis Ioannis vxor socordia mariti pertęsa, regnum diu egregiè administrasset, ac Carlotam filiam genuisset, eandem viro aptam Ioanni cuidam, ex genere Lusitanorum regio vxorem dedit. Is etiam in regnum vocatus soceri res administrabat: cum autem is veneno sublatus esset, Carlota Ludouico Sabaudo absenti nupsit. Is audita regis Ioannis morte, ac quod Iacobus Carlotæ frater nothus plurimas turbas in regno moueret, classe apud Venetos parata in Cyprum traiecit, atq; rex appellatus & magna pompa inauguratus fuit. Pompa coronationis iterum inter Genuenses & Venetos dissidij causa, totiúsq; insulæ clades fuit. Equidem dum Venetus Genuensi incessũ consessuq́ue cedere cogeretur, Marcus Cornarius prętor negotiorum Venetorum Iacobum nothum consilijs & armis iuuit, vt is cum centum amicis ad Soldanum Aegypti nauigaret, atq; cum eo consilium de recuperãdo regno & expellendo Sabaudo iniret. Quò cum peruenisset, sermone, ætate, indole, atq; forma Soldanum commouit vt supplici supplementa auxiliáq; deferret, eundémq; ornamentis regijs indueret, ac classem pararet, quæ illam mox in Cyprum deueheret. Ludouicus interim per legatos rationibus pijs æquisq́ue Soldani animum placarat, iámq; Iacobum Soldanus minus audire volebat, præsertim cum Ludouicus Soldano pro belli apparatu triginta millia aureorum esset pollicitus. Sed Turcarum imperator, Venetorum precibus fatigatus, legatos misit, atq; Soldano bellum indixit, nisi quamprimum Iacobus in regnum restituatur. Sic è vestigio magna militum manu Iacobus stipatus, post præstitum Soldano iuramentum, in Cyprum deuectus Nicosiam occupauit. Eodem tempore Rhodij equites instructis copijs Sabaudo adhærebant, ac in Cyprum venientes auxilium ferebant. Cum autẽ Barbarorum impetum ferre non possent, in castellum Ceraunię se receperunt: ibi supplemento ex Sabaudia accepto Nicosiam obsident, atq; oppugnant: sed Iacobi insidijs intercepti magna strage iterum in arcem compulsi fuerunt.

Vngarorum pax cũ Turcis.

Cum Vladislaus Vngarus Turcas in Seruia superasset, etiam Caramannus Ciliciæ rex cum validissimo exercitu in Ponto & Bithynia Turcas hostiliter inuasit. Itaque Amurathes consternatus, timebat ne totus occidens contra se conspiraret, ac pacem petere proponebat, misso clam nuntio qui Despoto persuaderet, pacem Hungaris assumendam. proposuit etiam filiorum libertatẽ, qui fœdo carcere vincti oculis crudeliter mulctati, & ludibrijs quibusq; erant expositi. promisso etiam

Seruiæ

Sertriæ regno quod iam pridem amiserat. Ideo hortabatur Despotum, vt cum Vla 1440
dislao de redemptione Carambi ageret, pro quo quinquaginta millia aureorum
obtulit. Hæc Despotus primo Huniadi exposuit, atq; eius animum ad pacem fle-
xit. Huniades dubios belli euentus considerans regi pacem suasit, ac consuluit, vt
instructo exercitu Segedinum moueat quò Turcici legati conueniebant, de pace
acturi. Eugenius Pontifex per Iulianum Cardinalem, cum Philippo Burgundię du
ci, ac Venetis pacem disuadebant, ac ingentem classem ad Hellespontum se missu-
rum promittebant, ne Turcæ ex Asia in Europam traijcere possent. Disuadebat e-



tiam Ioannes Paleologus Græcorum Imperator, qui circumiacentes in Asia principes Turcas profligare nuntiabat: se ex altera parte cum exercitu affuturum si rex noua expeditionem ad Thraciæ Macedoniæq; fines adduceret, quo Turca facile ex Europa deijceretur. Vladislaus tamen omnia diligenter considerans, præsertim cum sibi à Friderico Imperatore Romanorum metueret, atq; audiret motus aliquos in Polonia ortos, auditis Turcicis legatis pacem in decem annos constituit, ita tamen vt Turcæ omnia dominis suis ablata statim restituerẽt. Inprimis verò regnum Seruiæ ac Sinderouiam Despoto cum liberis redderent, ac solam Bulgariam retinerent. Hæc singula ab vtraque parte iureiurando sunt confirmata, ac de more gentis solennes cæremoniæ adhibitæ.

Pax cũ Turcis impiè rescissa.

Pax ea Iuliano Cardinali fuit molestissima cui victoria prosequenda videbatur. Eugenius quoque pontifex rescripsit, regis fœdus nullum valere quod se inscio cum Christianę religionis hostibus esset initum. Franciscus insuper Cardinalis, qui Venetæ classi præerat, literis significabat, Turcam in Asiam contra Caramannum traiecisse. Sic etiam Imperator Græcus omnia per dolum à Turcico oratore in fœdere acta Vladislao ostendit, & vt tantam occasionem non negligeret, cum hostis multiplici bello terra mariq; distractus, sibi non constaret. Literis in regis ac procerum conspectu lectis Hungeros facile Iulianus induxit, vt pacis susceptæ pœniteret, eámq; mox improbarent & iusiurandum abrogarent, præsertim cum Turcam ad cõstitutã diem neq; omnes captiuos soluerat, nec oppidis & vrbibus quib. ex fœdere oportuit cesserat. Itaq; Vladislaus commotus exercitum conscripsit, sed minorem quàm anno superiore. Aderant & Rhodiorum equitum auxilia, adduxerat quoq; Iulianus milites cruce signatos. Cum illis per Vualachiam profectus Danubium transijt, ac in Mysiam & Bulgariam peruenit, vt per plana loca Romaniam attingeret: sic enim vocabant loca maritima versus Meridiem ad Bosphorũ Propontidem, & Hellespontum, cuius prouinciæ caput erat Byzantium. Omnia autem Asiæ loca quæ trans mare Turcis parebant, Natolia dicebant. Sed cum à Nicopoli Bulgarorum Metropoli Vladislaus exercitum duceret, frustra à Draculà Vualachiæ principe admonitus fuit, vt retrò iter verteret, sæpius enim se vidisse Turcam plures secum seruos ad venationem producere, quàm illi armatos ad bellum: sed castigatus à Iuliano, quatuor millia equitum, filio suo duce, regijs copijs adiecit. Milites verò in sacra Bulgarorum & Græcorum grassabantur, eorumque templa veluti prophana ferro & igne crudeliter violabant.

Varnensis pugna.

Cum exercitus Hemum transcendisset & in planiciem venisset, oppida littori adiacentia recepit, & præsidijs Christianorum communiuit, Turcis eiectis: postea circa Varnam Romaniæ ciuitatem castra metati sunt. Vix eò peruenerant, cum Amurathi Turcæ aduentus nunciatur. Is enim cum Græcis & Europeis non satis fideret, ingentem exercitum ex Asia adduxit, corruptis precio speculatoribus in-fra Calliopolim, qua fauces Hellesponti in Bosphoro arctissimæ sunt. dicuntur Genuenses pro singulis Turcis transuehendis aureum nummum accepisse, ac numerum vltra centum millia ascendisse. hisce se alijs suis copijs coniunxit, qui non procul

1442 procul ab Istmo Thracij Chersonesi congregari fuerãt. Postea Adrianopolim profecti, septimo tandem die iuxta regia castra consederunt. Trepidatum in castris regijs fuit dum insperatum hostium numerũ contemplarentur. Cum etiam Iulianus cum Agriensi episcopo aliisq; Hungaris censerent, intra currus exercitum muniendum, Huniades & Despotus manus conserendas regi persuaserunt. Huniades igitur ordinata acie ac singulis ex militari disciplina optimè constitutis, quindecim millibus Turcarum in albis vestibus alatis ac aureis equorum ornamentis appropinquantibus, nostros obuiam prodire iussit. Hos Amurathus præmiserat, ac nostros ad pugnam prouocare iusserat, cum ipse magno equitum & peditum numero rectà sequeretur. Mox etiam elatus in cœlum ingens clamor, fit pugnæ initium. Ferocibus animis concursum est, nihilque omissum quod electos milites deceret. Christiana acies primo Turcas in fugam vertit, plurimósq; prostrauit ac iugulauit. Amurathus magno metu perculsus prælio excedere statuit, proditum suspicatus exercitum, sed circumstantis satrapæ manu eius equi frenum comprehendente retentus, inuitus permansit. Tum etiam Francus quidam, vir præualido corpore, animóq; inuicto, qui Rhodiorum equitum ordinem profitebatur, medio prius, mox & gladio percussit. Cęterùm infesto hostium occursu à suis exclusus, post multa præclara facinora in confertissima hostium strage occubuit.

Christianorũ clades. Hoc modo cum Christiani fortiter pugnarent, Amurathus metu perculsus longa suspiria ducebat. atq; bello excedere deliberabat. Cum autẽ vexillum S. Ladislai quod Hungari ferebãt, acalterũ quod cruce signati milites (in quo imago Christi erat) gerebãt, vidisset, alta voce patria lingua exclamasse ferẽ: O crucifixe, crucifixe, respice gentẽ tuam perfidam, quæ à me nõ lacessita, contra iusiurandũ & ęquũ, omne ius ac fidẽ violauit. Si Deus es aliquis, fac vt periurij pœnã luant. Postea pugna summa contentiõe reuocata, nunc Turcis nunc Christianis cedentib. Diu ancipiti Marte pugnatũ, dum Christiana acies suavirtute sustentatur, Turcæ verò numero superiores essent. tantum enim sanguinis vtrinque effusum, vt campi in modum lacus stagnarent. Varadiensis præsul Ioannes fugæ initium fecit, qui per paludes decedens, fœda equi luctatione in cæno vexatus, tandem submersus est. Rex verò ad Ianizaros delatus multitudine telorum obruitur. Postea vndiq; fuga facta, Christiani salutem quæsiuerunt: sed partim in lacunas & paludes dilapsi submersi sunt, partim in syluis vepribúsque fame, frigore, siti & vigilia interierunt. Iulianus Cardinalis equo fugiens, dum cursu fatigatus potu reficitur, spoliatus seminudusq; in deuio saltu animam exhalans repertus est. Hunc Gregorius Sonocenus fugiendo videbat, atq; cum execratione admonebat: Belli euentum tandem declarasse, quod Deo periuria & fœderum violatores displicerẽt, quales ipse & Pontifex fuisset. Tum etiam Ioannes Huniades cum Vualachis fuga elapsi, Danubium superarũt. Verum à Dracula captus, & paulo pòst magnis muneribus dimissus fuit. Triginta millia Christianorum eo prælio cæsa dicuntur. Turcarum verò quadraginta millia, vnde etiam Victor Amurathus dixisse fertur: Nolle se simili euentu sæpius vincere. Idcirco sarcinas colligere iubens, copias domum remisit, ac ipse Adrianopolim concessit, Deo suo victoriæ vota persoluturus. incidit hæc pugna in decimum diem Nouembris anno 1444.

Cappadocia Cassano cessit. Dum hæc in Europa fiunt, plurimi etiam motus in Asia Rhodijs militibus vicina oriunt. Tamerlanem enim mortuum in regno filij duo secuti sunt, Sachruchus & Paiangures. Sachruchus natu maior æquitatis erat studiosus, qui cum finitimis pacem iniit ac fœdera iunxit, cum autem frater à Iosepho quodam Armenia exturbaretur, copijs collectis eundem restituit. Postea per aliquot annos pacificè regno præfuit, ac tandem mortuus Abdilatriphem ex fratre nepotẽ successorem habuit. erat is prodigiosi roboris homo, cui nec cum fratribus nec cum finitimis vllo modo conueniebat: propterea tandem fraterno ciuilíq; bello amplissimi sui regni opes, tanta virtute ab auo conquisitas, miserè dissipauit, ita vt Iosephus Armenius

Syriam

Syriam inuaserit, atq; expugnatam in suam potestatem redegerit. Mesampures au 1447
tem, qui Armeniam occupauerat, à Thamisa Tzokies filio, & Paianguris nepote
regno exutus, Persę cessit, donec Cassanus Longus Assembecci nepos Cappado
cia subacta, cæteras quoque regiones quas auus olim tenuerat, obtineret. Extruso
Thanisa affinitatem cum Dauide Colchorum rege iunxit, qui tum Trapezonti-
nus Imperator dicebatur. Huic postea Turca bellum intulit, atq; in regionem Cas-
sani ingentibus copijs incursionem fecit: cum ibi aliquot vrbes expugnasset, atq;
Armeniæ immineret, prudentia fortissimæ mulieris Cassani matris delinitus co-
pias abduxit. Ea siquidem Tyranno prouinciam depopulanti magnis muneribus
obuiam profecta, ipsum iustitiæ ac æquitatis admonuit, tantúmq; facundia impe-
trauit, vt pace Cassano data Tyrannus alio diuerterit.

*Peloponen-
ſi Isthmus mu-
ro cinctus.*

Interea Peloponenses Varnense clade territi, irrequieto & celeri opere Isthmum
munire, ac muro cingere cœperunt. Constantinus enim Paleologus vltimus Grę-
corum Imperator Christianorum quodam successu locum instaurandum curauit,
atq; Turcorum regi tributum soluere negauit. Itaq; Amurathus cum exercitu eò
profectus, Corinthiacum Isthmum expugnauit ac diruit, Imperator etiam pecu-
nia mulctatus fuit. Sicque Peloponesus fratrum discordia in Turcarum ditionem
peruenit. Eodem tempore Huniades quoque (qui procerum Hungariæ commu-
ni consensu Gubernator regni constitutus fuit) vt priorem ignominiam ad Var-
nam acceptam aboleret, ex Hungaria quantas potuit maximas copias cogit, atq;
ex Boemia & Germania vicina auxilia accepit, vt Turcam inopinatum & nil tale
metuentem insigni quadam clade afficeret. Tum enim Amurathus quietem & o-
cium bello præferebat, atq; priuatam vitam deligẽs religioni cuidam solitarię sese
addicere cogitabat. Accersitis etiam prouinciarum proceribus Mahometem ex
liberis maiorem imperio præfecerat, addito ei adiutore & consiliario Calibassa.
Igitur Huniades rebus gerendis solertiam ac celeritatem adhibuit, Despotus ve-
ro Seruię, quia in eam expeditionem vocatus non erat, Turcis Christianorum con
silium patefecit. Perculsi nuncio Turcæ Amurathum ex Asia reuocant, quasi fi-
lium tantam belli molem non ferre, nec Calibassa obedientem exercitum habere
posset: itaque Turca senex magnis tum minis & precibus victus, ad gubernatio-
nem regni redijt.

*Turcæ ab
Vngaris vi-
cti.*

Postea vterq; exercitus in Cassouio Mysiæ campo concurrit in Bulgaria, vbi a-
trociter infestis armis toto triduo dimicatum fuit, primum atque iterum victoria
Christianis cedente. nam etsi numero essent impares tamen virtute præstabant.
Verum cum victori victor insurgeret, fusis fugatisq; hostium copijs, dum Hunia-
des castra Amurathi fortiter oppugnat, superatur. Nam Mahometes Turcæ fi-
lius, proximo quodam tumulo extra aciem quadraginta equitum millia habebat,
qui hostem paternis castris hærentem tanta vi est adortus, vt post ingentem suo-
rum stragem ægrè dux ipse cum paucis alijs sit seruatus. Empta multo sanguine vi-
ctoria Amurathus se domum retulit. Huniades celeri equo fuga sublatus, in ma-
nus duorum Turcarum deuenit, ab ijs expoliatus, dum de quodam amuleto, quod
in collo gestabat, inter se concertarent, alterum ense strauit, alter fuga elapsus eua-
sit. solus ipse in syluam cum equo delatus inuenit Rascianum quendam, qui eum
Sinderouiam deduxit. Sed cum Belgradum peteret, à Georgio Despota captus
fuit, & vix filio suo Ladislao in obsidem dato assequi potuit, vt incolumis dimitte-
retur: liber tamen factus haud sine pœna coactus fuit ei filium restituere. Id cum
Amurathus intellexisset, Despoto iratus, quòd hostem tantum carcere emisisset,
regnum hoc Fritzebecho Seruię cuidam prefecto expugnandum tradidit, deinde
& Iosebechum satrapam ordinauit, quòd Dalmatiam hostiliter popularetur. Itaq;
Despotus Huniadi supplex factus, ab eo suppetias impetrauit: is ergo dicto citius
noctu Rascianos agros attingẽs, mane Turcas aggreditur, & in fugam versos pro-
sligauit, capto duce Fritzebecho cum multis selectis militib. eos Despota carceri

manci-

1450 mancipandos tradidit, atq; ipse exusto Bidinio Bulgariæ insigniore vrbe, cum tri umpho in Vngariam rediit.

Scanderbegi acta.

Amurathus tandem assiduis Macedonũ querelis fatigatus, postremam expeditionem contra Castriotum (cui Scanderbeco cognomen fuit) suscepit: is enim finnes Macedonum ferro & igne vastauit, atq; cum ab eius fide defecisset, Mesethbegum in Transyluania fugauit. Primo is in Thessaliã veniens regis negotium procurauit, nec prius profugam egit, qnàm paterno regno sit potitus: quanquam graui iactura affectus prouinciam reliquerit. Tum vires recuperans Macedones continuè lacessiuit, horum querela Amurathus impulsus in Epyrum transijt, ac sæua populatione omne solum ad Adriam vsq; afflixit, nullo tamen loco munitiore potitus. Sed dum Epyrotę angustias syluarũ insedissent, in reditu quoq; magnã impedimentorum partem intercíperent, cæsa ac profligata præcipua copiarum parte, homo senex ex mœrore animi morbum incidit. Hic Scanderbegus primo fidem nostram reliquerat, ac tandem Eugenij quarti hortatu ad pristinam religionem rediit. postea rebellans pro religione res multas præclarè gessit, ac deimprouiso Croiam, Sfetigradum, Stelusium, Modriciam, & Ternaciam oppida in ea regione occupauit. duces etiam copiarum aliquoties acie vicit: postea quoque Bassos Mahemeti cum maximis exercitibus fudit ac fugauit. Sed & Venetis propter Albaniæ oppida & debita tributa molestus fuit. Cum autem omnia pacasset Romam concessit, & domũ reuersus veneno absumptus fuit. insignis princeps qui vel Pyrrho vel Alexandro magno similis extitit. Decessit verò Amurathus Turcarum Tyrannus (qui primus Ianizerorum ordinem peditum ex Christianis fidem abnegatis instituit) ætatis suæ 75, regni verò 33, ac salutis anno 1451. Corpus eius more maiorum in Prusiam delatum & in Bithyniæ ciuitatem, quæ tum erat Othomannorum sedes regia.

Rhodus à Solthano Aegypti obsessa.

Cum hoc modo Turcę Europam varijs bellorum tumultibus implerẽt, Habucsatus Aegypti Solthanus sui quoque regni fines dilatare, atq; Rhodum insulam occupare proposuit. Cum enim regnum Hierosolymorum gubernaret, asserebat Cyprum & Rhodum insulas eius regni antiquitus prouincias exístere: iam etiam Cyprum inuaserat, atq; Iacobum nothum clientem suum regno præfecerat. Itaque ingenti classe comparata Rhodum nauigauit, atq; insulam arctíssima obsidione cinxit. Erant ordinis Ioannitarum equites à finitimis Christianis, qui hinc inde Syriam incolebãt, eius rei iam antea admoniti: itaque ex varijs prouincijs sui ordinis milites conuocant, Rhodum vrbem & insulam præsidijs firmant, atq; nihil intermittunt quod venturo Tyranno obesse posset. Eodem tempore Hugo Comes in Montfort erat ordinis per Alemanniam prior, qui Ordinis sui iuuentutem Rhodum illicò misit, atque alias ex Germania copias illis adiunxit. Interea Solthanus obsessam insulam grauiter oppugnat, atq; vt sese dederent adhortaẽ. Verum Ioannitæ hostes strenuè repellunt, ac sæpius multo sanguine effuso in naues abigunt: pergit nihilominus sæuus hostis, atq; subinde noua Saracenorum supplementa ex Syria & Aegypto adduxit. At fortitudine Rhodiorum factum vt nihil effecerit, sed post quinquennalem obsidionem continuam tandem magna turpitudine recesserit, ac Alcayrum reuersus fuerit. ea victoria Rhodijs magnam authoritatem apud Christianos & Turcas peperit, ita vt aliquandiu quiescere, atq; illata damna paulatim resarcire potuerint, tribuentibus hinc inde Commendatoribus prouinciarum partem suorum prouentuum.

Mahometes 2 Turcarum Imperator.

Interea Mahometes patre mortuo imperium assecutus, dominandi libidine & ambitione iuuenis inflatus, scelera quęque attigit, patréq; longè truculentior fuit. Et vt regni initium parricidio auspicaretur, fratrem Thursinem decimũ octauum mensem agentem continuò occidi iussit, ac cum patre sepeliuit. Mox etiam instituta maiorum pro ingenio correxit, rem domi forisq; legibus ordinauit, ærarium locupletauit, noua vectigalia excogitauit, & copias auxit: postea ad expugnan-

dum

dum Constantinopolim animum adiecit. Cum enim hãc suis regionibus vicinam videret, nec die nec nocte quieuit, donec ea vrbe potiretur. hæc vrbs Bizantiũ olim dicta à Lacedemonijs Pausania duce in angustissimo Europæ & Asię Eurípo condita fuit: hanc Constãtinus magnus qui imperij sedem ex vrbe Roma in Oriẽtem transtulit, ad Parthorũ excursiones cõpescendas, è ruinis restaurauit, & nouis mœnibus cinxit, atq; sublimib. turribus & magnificis ædibus ita exornauit, vt habitaculum Deorũ potius quàm Imperatorũ crederetur, vnde etiam à restauratore Constantinopolis dicta fuit. Erat tum Constantinus eius nominis 8 Manuelis filius, ex Pal: ologorum familia, Græcorum imperator, qui aliquãdiu Turcis tributum dare coactus fuit, ac vix vrbẽ retinere potuit. Id cũ Mahometes præsentiret eam obsi dióe cingere ac subigere statuit, quo suos progenitores omnes fama superaret, qui sæpius hanc rem tentantes, à cœptis turpiter desistere compulsi fuerunt. 1452



cõstantinopolis à Turcis expugnata.

Trecentis ergo millibus militum collectis initio castellum ad ostium Bosphori mira celeritate extruxit, ac Constantino contra fœdera bellum indixit, frustra Grę cis opem à Christianis principibus implorantibus, à quibus in Spiritus sancti processione & alijs ceremonijs ecclesiasticis discrepabant. Terra igitur & mari regiam vrbem aggressus, cuniculis ac latentibus fossis altissimè actis, & aggere tam excelso extructo vt muros excederet: quin etiam turres ligneas admouit, & mœnia vndiq; concussit, Græcis strenuè pugnantib. Accidit autẽ 54 die obsidionis cum Turcæ denuò oppugnarent, atq; Græci ad mœnia vrbem defenderent, quod Ioannes Iustinianus Genuensis vir insignis grauiter vulneraretur. Itaq; per portas obseratas intrans vt medicum quæreret, Græci simul irrumpunt, & stationes relinquunt. Tũ etiam Constantinus Imp. sese ad portam trepidus recepit, atq; fugientium multitudine oppressus, ac in portę angustijs conculcatus fuit: eius cadauer paludamẽto agnitum. Postea & Turcæ magno impetu per dissectos bombardarum ictibus muros in vrbem penetrarunt, atq; per eandem apertam portam irrumpentes, miserabilem omnis generis hominum cædem ediderunt, ac Constantinopolim occupa-

1460 runt,sæuitum in omnem sexum atq; ætatem:pueri virgines,matres ad stuprũ raptę: stupra cædibus,cędes stupris additæ.Nihil illicitũ toto triduo in vrbe fuit: Templũ ingens ac Sophię sacratum (Iustiniani Cæsaris opus)spoliatum omni sacra supelle ctile,ac sanctorum donarijs,omnib.spurcitijs patuit,lupanar scortorum,& equorũ stabulum factũ:mox etiã Constantini Imp.caput Mahometis iussu abscissum,ac plo affixum per vrbem & castra ad ludibrium circumuectum ac gestatũ fuit. Postea martyrum ossa canib.subiectq; obiecta,sanctorum imagines luto defœdatæ,ferrõq; laceratæ,simulachrum etiam Christi crucifixi tympanis præeuntibus per fora,per plateas,per vicos ex vrbe ad castra rapiunt,sputo,luto,iaculis incessunt,per irrisionem summis blasphemijs inclamitantes,En Christianorum crucifixum Deum.

Pera vrbs Tyrãno dedita.

Eruti deinceps ciuium thesauri absconditi,qui quidem maximi fuerunt:hos si in cõmunes vsus vertissent sceleratus victor de Christiano sanguine non adeò triumphasset.Cum hoc modo per 3 dies misera ciuitas vexata,ac ad arbitriũ Tyranni cuncta direpta fuissent,tandẽ quidquid regij sanguinis, marésve aut fœminæ illustres superfuerunt,inter epulas prægrauante vino iugulantur,aut victoris libidini asseruãtur.Lucas etiam Notaras secundus ab Imp.in conuiuio corã Tyranno cum duob. filijs securi percussus fuit.Mox etiam optimates ciuiũ ex Sophiæ templo producti conuiuantib.Turcis iugulati sunt.E regione Constantinopolis ciuitas Pera sita vetus Genuensiũ Colonia,in qua olim Galatæ populi habitabãt.Huius incolę cogniti,bona direpta,fœminæ ac viri ludibrio habiti,eandẽ experti seuitiem vt Constantinopolitani.Hócq; modo vetustum Græcorũ imperium,quod per 1200 annos duranit,paucissimis diebus deiectum & crudeliter subuersum fuit 4.calend.Iunij anno 1453,cum Nicolaus 5.Romanæ ecclesiæ & Fridericus 3 Imperio pręesset. Tyrãnus aũt capta vrbe triumphauit, atq; vt patre suo maior videretur,se Imperatorẽ & Cæsarem declarari fecit,postea quoq; crudelitatem in domesticos exercuit, atque Chalibassam magistrum suum summa ingratitudine sustulit,vt eius opib.frueret.

Rhodus à Turcis frustra obsessa.

Hisce successibus Mahometes ferocior factus,sibi Magni prænomen imposuit, atq; Memphitico regi tributum negauit,quod maiores sui pendere consueuerant. Mittit etiã hinc inde ad finitimos suos legatos,qui imperata recusantib.bellum indicerent:cum aũt Rhodij equites eius imperium recusarent,insulam inuadere atq; milites Ioannitas qui hactenus eius conatum strenuè restiterant, exturbare proposuit.Itaq; ingenti classe cõparata aduolauit,atq; Rhodum vrbem obsidione grauissima cinxit:cum aũt Rhodij iam antea animũ Tyranni cognouissent, denuò ordinis sui equites passim ex Christianorum prouincijs conuocarũt, atq; Insulam & vrbem defendere statuerunt. Eo tempore Ioannes Lessel 15 Ioannitarum per Alemanniam prior Rhodi comparuit,atq; insignem iuuenum copiam secum adduxit. Hac ratione factum,vt nec Turcæ nec Rhodij aliquid intermitterent, quod ad vrbis expugnationem & defensionem facere videretur. Cum hoc modo obsidio diutius protraheretur, Ordinis magister legatos Romam misit,atq; à põtifice subsidia petijt. Erat eo tẽpore Calistus 3 Romana sede locatus,is cum Rhodiorum periculum intelligeret,atq; metueret ne Respub. Christiana maius aliquod damnum caperet,collectis principum occidentalium auxilijs Ludouicum patriarcham cum 15 triremium classe Rhodum transmisit.Is etiam fœliciter adnauigans cum Turcis animosè conflixit, atq; ipsorum triremes ad oppidum S.Petri suppressit, ac in fugã coniecit.hócq; modo Rhodij à Turcarum longa obsidione liberati fuerunt, cum etiam Ludouicus Lemnum prius à Turcis occupatum recepisset,classem domum reduxit,atq; à pontifice magna gratulatione susceptus fuit. Rhodij verò vrbis muros celeriter refecerunt,ac plura propugnacula erexerunt:non enim ignorabant Turcas breui maioribus copijs reuersuros, ac omnia tentaturos vt insulam illam vicinam & conatibus suis aduersariam,sibi subijcerent.

Cum



Cum in ea parte res minus prospere Mahomete successissent, cum maximis & nfestissimis copijs expeditionem in Hungaros instituit. superatisergo Thraciæ montibus, in Triballis ad Sauum fluuium Belgradum (quam hodie Albam Græcã vocant) obsedit. ferunt Turcam in campestri & nauali exercitu quadringenta mil lia militum habuisse, incredibilique superbia adeo tumentem fuisse, quasi tota Hungaria iam deuicta fuisset. Quanquam verò Hungari metu perculsi Constantinopo litanam ruinam considerabant, tamen Ioannis Capistrani Monachi Franciscani ser monibus, veluti è somno excitati, arma sumpserunt: Ioannes etiam Huniades quin que millib. equitum in arcem Belgradum irrupit, ac sua præsentia obsessos erexit, sequebantur eum 40 millia cruce signati ex omni orbe Christianorum, inter quos plures etiam Rhodiorum equitum fuerunt. Turca hunc paruum numerum contẽ nebat, atq; 15 diebus sese arcem solo æquare, & omnib. ibi cæsis in Hũgariam impe rum facere iactabat: paulo pòst Christiani, nomine Iesu inuocato, acriter prælio in eunt, ac primũ ancipiti pugna hinc Turcæ hinc Christiani cruenta cæde victores existunt. Tum verò Christiani conglobati Carazam Thraciæ præfectũ & Bassam Natoliæ sternunt, primoréscq; exercitus duces occidunt: mox etiã Mahometem sa gitta quæ sub papilla lęua stringebatur quasi exanimem in terram deijciunt, hunc Turcę mortuum credẽtes, semiuiuum abducunt, ac in fugam conuersi Christianis victoriam relinquunt, omnibus munitionibus tormentorum machinis, & impedimentis relictis, mox etiã Turcę castris exuti. Mahometes posthac de illa clade nun quam aliquẽ dicere aut audire voluit, quoties etiam illius diei memoria subijt, sem per barbam manu demulcens grauissima suspiria cum gemitu duxit. Contigit hæc victoria 8 idus Augusti: itaq; Calixtus Pontifex sanxit, vt hoc die perpetuò supplicationes haberẽtur, & festum transfigurationis domini celebraretur. Voluit enim post meridiem Campanis fidelibus signum dari, vt orationib. eos iuuarent, qui cõtinuẽ cum Turcis bella gerunt: in ea strage hostiũ 40 millia cęsa feruntur. Sequenti anno Ioannes Huniades morbo correptus obijt, ac magno luctu piorum regio funere sepultus fuit.

1457 *Turca ad Belgradum acie victus.*

1460 *Aßancaſſani de Perſis victoria.*

Poſtea Mahometes in Colchidem innumerabilem exercitum duxit, ac Trapezontium vrbem celebrem obſedit & occupauit, ibi etiam Dauidē regem cum imperio in ſuam poteſtatem redegit. Dauid rex Conſtantinopolim in triūpho ductus vbi etiam poſt filiæ ſtuprum & filiorum necem crudeliſſimè necatur. Hæc cum ad Aſſan Caſſanum Longum perlata eſſent, magni belli inter Turcas & Armenios cauſam præbuerunt, quod non ſolùm Caſſani auſpicijs confectum, ſed & Chriſtianorum in Europa degentium conſilio ſuſceptum fuit. Erat is Aſſembeci nepos & eius Caſſani filius quē Baiazethes ex Armenia eiecerat, is cum parente caſtra Tamerlanis ſecutus, poſtea Armenię partem obtinuit, ac ſæpius modicis copijs innumeros exercitus fudit. Tzokies autem qui Perſiam regebat hominis incrementa ſuſpecta habēs, per legatos ipſum admonuit ambitioni tandem finē imponat atq; rebus occupatis contentus exiſtat, niſi enim ſeſe intra ſuos limites contineat, futurum vt publicus Perſarum hoſtis cēſeatur. Hac legatione Armenius iritatus, parū comiter legatos excepit, ac prouincia excedere iuſſit: renuntiauit aūt Tzokiæ ſeſe propediem ad futurū, atq; quæ in rem eſſent oretenus expoſiturum. Reſponſum tā inſolens Tzokies vindicaturus, ingentem exercitū conſcribit, atq; in Vſſancaſſanū ducere ſtatuit: at Armenius etſi opib. multò inferior, tñ animo maiore haud cūctatus, aduenientem hoſtem magnis itinerib. vltrò excipere propoſuit. Itaq; intrepidè illi obuiam factus ferocienti caſtra oppoſuit. Ferunt Perſæ fuiſſe armatorū myriades 40, Armenio vix totidem millia, cum collatis ſignis pugna decertarēt: victoria tñ Armenio ceſſit, tanta Perſarū clade vt hoc vno prælio maximi imperij vires debilitari potuiſſent, at Tzokies auitæ virtutis memor, bellum quod per legatos geſſerat, ipſe inſtauratum ducere & conficere voluit, maiori quàm antea apparatu.


Trapezontinum imperium à Turcis occupatum.

Rebus omnib. inſtructus Tzokies cōtra hoſtē ducit, ad pugnā æquè vt prius animatum, fortuna aūt nihilo propitior quàm prius fuit, inito n. prælio Perſæ ſuccubuerunt, atq; inſignē victoriā Armenio reliquerunt. plures. n. hac pugna cecidiſſe dicūtur, quàm in priori expeditione milites conſcripti fuerant, ipſe etiam Tzokies rex Caſſani manu traiectus interijt, venit quoq; Cariaſuphus Perſæ regis filius in victoris poteſtatē: hunc in magno honore apud ſe habitum Caſſanus regia appellatione dignatus eſt, tantiſper quo ad per otiū tutoris nomine res Perſarum pacaret. Tunc autem receptis regni gubernaculis, inſidijs imaginario rege extincto ipſe prefuit, & admiratione virtutū ſuarum omniū ſibi animos obſtrinxit. Potitus aūt Perſarū imperio ad tam inſperatos ſucceſſus elatior factus, Syriæ atq; Aegypto bellū inferre ſtatuit. Sed à Mahomete Turcarū imperatore reuocatus, aliud contra Turcas ſuſcipere coactus fuit: cum. n. audiuiſſet Turcam ſocerum ſuū Dauidem crudeliter neciaſſe, imperiumq; Trapezontinum (quod ipſe vt dotale ſibi vendicabat) occupaſſe, legatos Bizantium miſit cum precioſiſſimis munerib. inter quę alueus erat tabulas habens & teſſaras gemmeas, & in his labor nihilo materia inferior: hunc reperiſſe tradunt in theſauris Tamerlanis, poſtquam Tzokiem regem deuiciſſet, & regno ſpoliaſſet. ſumma petitionis hæc erat: Mahometes redderet Colchidis imperium, quod cum Turca negaret, legati iterum rogant bellúmne an pacem cum ſuo rege mallet? qui cum bellum dixiſſet, confeſtim legati retrò abierunt.

Armenij à Turcis prælio victi.

Caſſanus igitur vidēs bellum maximum ſibi imminere, coactis ingentib. copijs recta ad Euphratē tendit, quo per mare Euxinū claſſe inſtructiſſima aduectū, dein de etiā terreſtri itinere Turcam peruenīſſe audierat. Ductabat Turcarum exercitū Muſtapha præcipuę indolis iuuenis Mahometis filius. Is inito prælio cū Perſis conflixit, ac victus fuga vix euaſit, multis millib. militum cum Aſmurathe Baſſa amiſſis. Nec multo poſt Mahometes ipſe cum omnib. ſuis copijs ad id bellum eſt profectus, adqúe Armenię montes rerum inter Turcas & Armenios pugnatum fuit. Ibi primo congreſſu vnus ex fortiſſimis Mahometi ducibus, cum 40 millibus hominum, ab Armenijs cæſus eſt. Hanc ſuſceptam cladem Mahometes grauiſſimè tulit, ita vt vix ſuorum hortatu erectus belli aleam denuò tentaret. Propterea inter angustias montium caſtra locat, atq; curruum (quibus tormenta vehebantur) exun

nexu, vallum à fronte hostibus obiecit, cõstitutis à latere sagittarijs. Vbi ad pugnã 1467
ventum & Armenij temere inueherentur, Turca machinarum strepitu equos adeò exterruit, vt nec frenis aut alio moderamine inhiberi possent. In tanta occasione Mahometes sibi non defuit: hostes enim sua sponte turbatos equitatu inuasit, ac in fœdam fugam compulit, tetra etiam cæde ædita Armeniorum castra diripiuntur. Fuit tamen ea clades Turcis quàm Armenijs calamitosior. desiderata enim sunt quadraginta millia Turcarum, cum vix decem millia ex altera parte cecidissent. Zeuiale etiam filius Cassani glande plumbea ictus occubuit. Cassanus is sæpius ad pontificem scripsit, & ob preces Christianorum sibi victoriam contigisse ostendit. Miserunt & Veneti ad eum legatos suos, qui cum eo amicitiam & fœdus inirent: sed res inchoata eum euentum habuit, vt post omnium elusam spem tandem Barbari fœdus & affinitatem inter sese inirent, & Christianos excluderent.



Dum hæc à Barbaris in Asia fierent, Veneti Cypri regnum acquisiuerunt. Cum enim Iacobus nothus totam insulam occupasset, Carlota Ludouici Sabaudi vxor ad pontificem Pium 2 Romam venit, atq; ab eodem annonam & viaticum impetrauit, vt instructa socerum adire atq; auxilia commodius ciere posset. Sed Ludouicus auxilio frustratus, tandem arcem Cerauniæ, quam cum Rhodijs occuparat, pacta incolumitate tradidit, qua recepta Iacobus etiam Famagustam expugnauit. Sabaudus autem ad ocium quàm imperium magis natus, in cœnobium apud Ripariam sese abdidit, Carlota autem ad Sixti pontificis opes confugit, à quo peculia adiuta Rhodum contendit. Inde plena calamitatis ad Soldanum in Aegyptum transfretauit. quum ibi auxilij expectatione triennium frustra detriuisset, re infecta Romam rediit, vbi vnà cum Cyprijs comitibus honestis Sixti liberalitate ad extremum vitæ diem vixit. Iacobus verò cùm totum regnum imperata facere coegisset, vt firmo se præsidio firmaret amicorum consilio Catherinam Marci Cornarij iam defuncti filiam, eámq; à senatu Veneto adoptatam vxorem duxit. vt vna cum regni principis animũ ostenderet, auxiliáq; potentis Reipublicæ sibi obligaret: quo facto paulo pòst non sine veneni suspitione perijt, relicta vxore vterũ gerẽte.

Ludouicus Sabaudus Cypro exclusus.

Veneti Cyprum occupant.

Carlota audita fratris morte ad Mocenicum Venetorum ducem legatos mittit qui suo nomine auxilia petunt, vt in regnum restituatur, à quo per nothum fratrem

1470 immeritò eiecta fuisset. at Veneti præter regnum multa pollicentur, dicentes: Ius regnorum in armis esse: apertè etiam fatentur se omnes neruos intenturos pro insula obtinenda: Cornariorum enim sanguinem plus iuris quàm Lusignianorum in insula habere. Interim Catherina puerum enixa Andreæ Cornarij patrui consilio res administrabat, atque Veneti nouis præsidijs insulam muniebant. Ferdinandus quoq; Hispaniæ rex consilia de Cypro inuadenda agitabat: itaq; tumultu in insula orto Cornarius trucidatur, postea verò iterum in officium reginæ redacta est: deinde haud meliore fato posthumo extincto Veneti Georgium Cornarium in Cyprum mittunt, qui Catherinam Venetias reducat. Hac ratione Veneti exclusa hærede Carlota, & rege nuptijs circumuẽto, imperium insulæ adepti sunt, atq; per 100 annos obtinuerunt anno circiter 1470. Redemerunt autem à Turcis pacem annuo tributo 40 millibus aureis, cum ipsis ex insulæ prouentu septies 100 millia florenorum annui reditus accesserint.

Lesbos & Bosna à Turcis deuicta.

Interea Mahometes Turca ingẽtem classem construit, atq; maris Aegei insulas inuadere statuit: inprimis verò Mitylenem (quæ & Lesbos dicitur) occupauit, omni ferè insulanorum multitudine Bizantium tanquam in Coloniam abducta, Nicolaoq; Catalusio Lesbi principe immaniter trucidato. Nõ multo pòst in Daciã, quæ & Vualachia dicta, cum exercitu ingressus, grauem ignominiam adijt, Dracula enim sex millibus equitũ, pariq; peditum numero intempesta nocte Turcarum castra ferociter adortus, tantum terroris iniecit, vt de fuga cogitarint, ac magnam partem copiarum amiserint. Postea tamen Turcæ superiorem Mysiam adorti (quę nũc Bosna est) ex improuiso vniuersam regionem fœdè populantur: rex inopinato bello perculsus fugam molitur. Iaica regni caput obsessa & expugnata, ciues in prædam acti, prouinciæ duces cum regis fratre & sorore ad triumphum seruati Byzantium mittuntur. eandem tamen rex Vngarię Mathias recepit, ac Sabatiam noua munitione cinxit: deinde Mahometes Peloponensum peninsulam (quæ vulgò Morea dicitur) hostili exercitu aggressus est. Thomas & Demetrius Paleologi fratres hanc possidebant, hi cum inter se dissiderent, Demetrius ad Turcam defecit, atq; filiam ei vxorem dedit. Cum ergo Thomæ conatus essent irriti, perditis rebus aufugit, ac Romam cum D. Andreæ Apostoli capite ad Pium 2. pontificem peruenit. Sublato autem Græcorum principatu è Peloponeso, Veneti ibidem quædam oppida retinuerunt, è quibus postea etiam à Turcis eiecti sunt.

Chalcidis expugnatio.

Cum autem Turca intelligeret Venetos Corinthiacum Isthmum munire, atq; muri longitudinem ab Ionio ad Aegeum mare quadraginta circiter stadia (15. dierum spacio) 30 millibus operarijs produxisse, cœptum opus distunbare proposuit. Itaq; ex Bosna veniens, Isthmum cum 80 millibus equitum ingressus, agros Corineos & Metonenses populatur. dum autem Veneti milites triginta duarum triremium in Turcarum equitatũ immitterẽt, magna suorum strage fusi fugatiq; fuerũt, mille quingentis eorum cæsis. Pari infælicitate postea in Lesbo quinq; millia hominum amiserunt: sed omnium crudelissima fuit Chalcidis vrbis in Euboea insula (quæ Nigropontus dicitur) expugnatio. Hanc cum Mahometus triginta diebus obsedisset, & continenti insulam ponte coniunxisset, circa muros sæpius atroci pugna dimicatum fuit, ita vt Turcarum quadraginta millia perierint, ac Mahometes de obsidione soluenda cogitaret. sed admonitus à suis, quod Venetæ triremes metu perculsæ subsisterent, per integram noctem ad lucem vsq; oppidanos fatigauit, atq; ipsa vrbe potitus fuit anno 1470, crudelissimè sæuitum in omnem sexum & ætatem, puberes enim omnes obtruncati: prætor etiam vrbis per medium sectus: sunt deinceps multæ insulæ & plures vrbes à Venetis oppugnatæ, atq; Turcis crebrę strages illatæ, potissimũ Petro Mocenico duce, qui magna felicitate vsus, classis Venetæ imperator fuerat, atq; hostibus multa incommoda ingesserat, præsertim circa Smyrnæ vrbis oppugnationem, ac Lyciæ Cariæq; prouinciarum depopulationem, quanquam Turcæ interim in Dalmatiam & in Forum Iulium ad Vtinum ciuitatem vsque irrumperent, ac pecore hominibúsque abactis ingentem prędam abdu-

abducerent. Eodem etiam tempore Veneti in Cilicia cum Caramānis ingens bel 1475
lum gesserūt, ac tandem magna laude domū redierunt.

In eo victoriarum cursu Turca spe potiundæ totius Italiæ Scodram vrbem Dal *Scorda vrbs*
matię (in ea parte quæ Albania dicitur) octuaginta millibus armatorum oppu- *oppugnata.*
gnare adortus est, duce Solimanno eunucho, qui Bassa Romaniæ fuit, in defuncti
locum Persico bello substitutus. Ac duobus mensibus vrbem obsidens tanto co-
natu oppugnare aggressus est, quanto post Bizantium nullum Christianorum op-
pidum. sed non sine suorum clade, quorum ad sedecim millia periisse dicunt. Ter-
tio verò mense Solimannus ab Imperatore suo reuocatus, quod Veneti cum rege
Mathia Vngarorum fœdus percusserant, atq; magnis viribus Barbarum hostem
Christiano solo decedere coegerāt. Solimannus ergo Scodram relinquens in Eu-
xini ora Capham nobilissimam vrbem Genuensium proditione suscepit. Adortus
etiam frustra Naupactum (quod vulgo Lepanthum vocant) in sinu Corinthiaco,
post quatuor menses obsidionem soluere coactus fuit. Tum autem subita vi fren-
dens in Lemnum insulam irrupit, sed nihil effecit, idq; Marullæ puellæ industria
dum oppidum Coccinum Turcæ oppugnare aggrederentur. Inuasit postea Tur-
cain Epyro Croiam vrbem, vbi Veneti haud contemnendam cladem passi sunt.
Sed longè maior fuit Sontiaca cędes, quam Marbechus Venetis intulit, toto agro
ferro flammáq; ad Vtinum vsq; vastato.

Veneti pacē cum Turcis ineunt.

Sed indignatus Mahometes frustra prius Scodram obsessam, Alibechum cum
quindecim millibus atq; Solymannum cum septuaginta millibus militum ad hanc
vrbem expugnandam præmisit. Ipse verò cum triginta millibus electorum militū
subsequutus, Scodrenses tam atroci oppugnatione adortus est, vt ex his post mul-
tos fame & ferro occisos Veneti coacti sunt pacem cum Turca transigere. qua Sco
dra dedita cum Tenaro Laconię promontorio, & Lemno insula: præterea quo-
tannis octo millia aureorum (vt pontica nauigatio Venetis negotiatoribus tutò
pateret) Barbaro dare sunt pollitici, cum iam per sedecim annos vario Marte
cum Turcis depugnassent. Mahometus autem pace confecta Neritum, Cephale-
niam, atq; Zacyntum insulas suo imperio adiecit, atq; Imperij Constantinopolita-
ni fines anno salutis 1478 plurimum extendit, ita vt eius potentia omnibus Chri-
stianis suspecta ac formidolosa esset, præsertim cum post Scanderbègi mortem e-
tiam Croiam recuperasset, atq; in Caramannia Othommanicam alteram familiam
penitus sustulisset, quæ diu frustra Christianorum auxilia efflagitarat.

Dum hoc modo Mahometes Turcarum ditionem extendit, Carolus potens
Burgundiæ dux finitimis suis infesto animo bellum intulit, atq; Friderico Cæsari
ac Carolo Galliæ regi molestissimus fuit. Cùm autem etiam Heluetios lacef-
seret aliquoties prælio victus, tandem 5 die Iauuarij ad Nanceum Lotha-
ringiæ occisus fuit anno 1477. Postea pax subsecuta, atque per
vnicam eius filiam Mariam Maximiliano desponsa-
tam, tota Burgundica prouincia ad
Austriacos peruenit.

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MARIque fortiter gestarum,

Liber Quintus.





POST Constantinopolitanum excidium sæuissimus Turcarum Tyrannus Mahometes annis viginti octo vi & armis penè omnes vicinas regiões subegit, atq; circumiacentium insularum imperio potitus fuit. Itaq; ægerrimè tulit Rhodum Ioannitarũ domicilũ hactenus imperio suo resistere, atq; armis libertatẽ defendere potuisse. Eam igitur quatuor classibus frustra oppugnare adortus semper insigni aliqua clade affectus fuit, cum partim captiui ex suis palo affixi, partim calamis perustis perfossi, partim membratim discerpti, terra mariq; trucidati succubuerunt. Cum ergo hoc modo res non procederet, versutia, dolis & proditione subornatis, qui se transfugas fingerent, rem tentauit. pacem enim simulauit, si aut vectigal aut munera Rhodij offerant. Generositate animorum Rhodij milites vtrunq; reijciunt, fœdus & munera contemnunt. Cum igitur triennio de proditione Rhodiorum Mahometes consultasset, atque hac ratione nihil effecisset, omnes imperij sui vires eò producere statuit, præsertim cum Rhodij collapsos vrbis muros ac mœnia restituerent, atq; munitionibus insulam vndiquaque egregiè munirent. Eius insulæ oppugnãdæ hasce causas habebat: Inprimis quòd Rhodij vicini viribus Turcarum insidiarentẽ, atque labantes eorum res facile opprimere possent: deinde quod multis myroparonibus mare infestissimum Turcis redderent: tertiò quòd ab eorum sacris abhorrerent, ac tandem quod vni omnium neq; imperata facerent, neq; leuissimi tributi impositione Turcarum imperium agnoscere vellent. Adhęc Mahometes erat ea animi elatione & magnitudine, vt & incredibili arderet cupiditate nominis illustrandi, & æquum censeret neminem imperium suũ detrectare: augebat ea cupiditas perpetuo cursu prosperarum rerum.

1480 *Rhodus à Turcis sæpius frustra oppugnata.*

Erat tum Antonius Meligalus ordinis Ioannitarum eques, familia nobili ortus, sed ingenio vario & fallaci præditus. Is cum delectaretur magnificis apparatibus vitæq; cultu cum elegantia & copia, patrimonium paucis annis deuorauit. Redactum se ad penuriam vidẽs homo omnium nequissimus nihil humile cogitabat, is nimirum cui nihil vnquam nefas fuit, nec in facinore nec in audacia. Meditabatur verò vt prius patrimonij, ita patriæ ruinam: neque ita se parauit, vt spes aliqua in seipso esset, & consilium cum re amississe diceretur: quibus perpetiae patrare quàm fœlidus esse Rhodi maluit, cum bona abligurijsset. Is cum indignus Rhodo esset, fallax & leuis & ad assentationem eruditus in regiam Mahometis Constantinopolim peruenit, & licet antea ignotus suis tamen artibus id assecutus est, vt breui Mahometis familiaritatem penitus intraret, cum eum acueret ad Rhodum debellandam. Attulerat is secum Rhodiæ vrbis descriptionem, portis, propugnaculis, munitionibus, arcibus, portubus, vicinis locis ita aptè descriptis, repræsentare vt vrbis faciem facile videretur. Idem qua mari peruadendum, quo exponendæ copiæ, qua parte propugnacula mœniaq; sternenda essent, ita acutè disserebat oblatus vt diuina regula ad antea oppugnationem meditatam videretur, pellexerat in eandem patriæ perniciem vnum, cui vana spe animos inflarat, quasi orto familia Paleologorum, & Eubonicum Dometrium, ac Sophonium, qui quasi magorum vanitati deditus, malè passim audiebat. Expectauit verò Antonius Rhodo victo vrbis præfecturam. is verò prætexebat cupiditati suæ Græciæ libertatem, quæ & innumeris portorijs & vectigalibus, & acerba seruitute à Latinis opprimeretur. se verò iactabat eam prouinciam successisse, vt mederetur incommodis Rhodiorũ, prouideret saluti, ac si patriæ & amator & dici & haberi vellet. quasi verò fidelior hic esset patriæ, quàm Christo optimo maximo, cuius sacra homo impius (victus Mahometis auro, intra paucos annos passim repudiauit.

Antonius Meligalus Rhodiorum proditor.

Petrus Dambussius Gallus Aruernus, parentibus nobilissimis ortus, erat eo tẽpore 39 Rhodiorũ equitum post Ioannẽ Baptistã de Vrsinis magnus magister. Is puer sub Sigismundo Cæsare vixit, mansuetiorũ Musarũ amantissimo. ita factũ, vt lite-

Petrus Dambussius Rhodiorum Magister.

1480 literis imbutus, multorum quæ ad antiquę hiſtoriæ cognitionẽ pertinebant, memi
niſſet. Contigit huic forma decora, ingenium acre, conciliandæ eorum cum qui
bus verſaretur amicitiæ, ac promerendi paſſim amoris ſingulare ſtudium. Adhi
bitus à Carolo ſeptimo Gallorum rege arduis negotijs, diligentiæ laudem à prin
cipe prudentiſſimo eam tulit, vt & amorem eius in ſuſcipiendis mandatis, & fidem
in conficiendis perſpicere ſe fateretur. Aſcriptus inter Rhodiæ militiæ proceres,
optima fide & fama ſemper apud eos fuit, vt Rhodiæ militiæ Priores (qui ſeſe Ma
giſtros appellari voluêre) hunc abſtinentem, moderatum, & à cupiditate omni re
motiſſimum, præterea magni laboris ſummęq; induſtriæ, digniſſimũ ſummo Rho
diorum imperio iudicarint: ita res Rhodiorum publicas tanquam ſuas admini
ſtrabat: ita manus ab ijs abſtinebat, vt alienis: Idem officioſus, grauis, & liberalis.
Itaq; Græcis & Latinis adeò placebat, illius vt ordinis obſeruarent neminem dili
gentius: adeò cautus & ſagax in odorandis Mahometis & Turcarum conſilijs,
vt octauo quoque die per exploratores, quos magna vi auri ſubornabat, omnia ha
beret notiſſima, rurſus adeò vafro ingenio in iudicãdis his quæ ab exploratoribus
& transfugis nunciarent, vt rarò ab ijs bis deceptus ſit. ſomni cum eſſet breuiſſimi,
noctéſq; diéſq; ad depellendos aut decipiendos Turcas erat paratiſſimus: Rhodi
mœnia qua infirma erant, ſeduio inſtaurabat: molas quoque manuales & publicè
& priuatim curarat. Solitus idem in ocio de negotijs cogitare, & magnum quid
tacens & ambulans meditari videbatur.

Prouidentia principi vtilis.

Vbi circa mœnia Rhodi ambularet, & circa vicina loca, quos acres & indu
ſtrios ex ſuo ordine nouerat, rogabat, ecquid hac parte ſatis munita propugnacu
la viderentur? Quid ſi illa parte hoſtis occurrat, qua ei anteuortendum? quid ſi
multitudo hoſtium ſuperueniat in eos qui vrbe temere eruperint, qua receptui ca
nendum? quo loco claſſis hoſtium commodiſſimè poſſit incendi? quæ ad incen
dendum antea paranda, quæ diuerticula, quæ flexiones implicatis quærendę? Ex
quo intelligebant omnes Dambuſium mentis agitatione, & earum rerum inueſti
gatione, quæ ſibi neceſſariæ viderentur, ad Rhodi conſeruationem neq; ocioſum
eſſe, neq; vbi in præſens certamen veniendum eſſet imparatum futurum. Non e
tiam latuerunt eum quid Meligalus & Demetrius apud Turcam molirentur. Cu
rauit igitur magnam vim frumenti & tritici ex vicinis locis adduci. ſulphurei verò
puluerис tantam copiam repoſitam habuit, vt hæc vna illius cautio maximi mo
menti ad victoriam fuerit. Arma, tela, gladios, clypeos proceriores ad mœnibus
arcendum hoſtem recondidit. Per Antonium Dambuſſium fratrem (oppigne
ratis etiam annuis vectigalibus) pecuniam accepit. A Ludouico quoque vnde
cimo Gallorum rege, qui bello Burgundico implicatus diſtrahi ſuas copias nol
let, ſexto ante obſidionem menſe dono acceperat ſexaginta nummum aureorum
millia. A Ferdinando Neapolis rege quatuor millia & commeatum in multos
menſes. A Sixto Romano pontifice permiſſum vt è ſacris vicinis decimas multo
rum ſacerdotiorum auferret, & quædam vectigalia quæ ambigui iuris inter pon
tificem & Ferdinandum fuerant.

Auxiliares copiæ Rhodiorum.

Paucis ante obſidionem menſibus Rhodum venerat Antonius frater, ſtipatus
nobiliſſimorum equitum comitatu, qui maximè ex Auernis eſſent. Venit & cum
eo Ludouicus è Craonum nobiliſſima Galliæ familia, præterea Vuilhelmus Go
marus Xantonenſis, Claudius Columbus Burdegalenſis, Carolus regius Diuſo
nenſis, Ludouicus Sanguinus Pariſienſis, Matheus Brangelerius Petrocorienſis,
& alij plures Galli, inſignes omnes & bellicis rebus à pueritia aſueti. Venerat &
paulo antè Benedictus Scaliger, ortus nobiliſſima familia, cuius maiores olim Ve
rona Italiæqúe parte nobiliſſima potiti fuerant. Aderat etiam Ioannes ab Auu is
ordinis huius in Alemania prior, qui Riharto à Bulach ante vndecim annos (vt
idem Ioanni Schlegelholtz) ſucceſſerat, multis nobilibus Germanis ſtipatus. Vte
tebatur autem ad omnia Dambuſſius Carolo Montelono Heduenſi, quo neque
prudentior, neq; fidelior quiſquam ferebatur. Concoquebat toto triennio expe
ditio-

ditionem eam Mahometes, incertus adhuc fluctuánſq; an ſuſcipiendam ſibi proponeret. Tandem rem ad conſilium, vocatis intimis quibuſq; qui bellicis deliberationibus adhiberi ſolent, refert. 1480.

Deliberatio Turcarũ de Rhodo obſidenda.

Erant conſultores trium generum Turcæ, Militares homines & veterani, conſiliis militaribus: Vrbani, negotijs ciuilibus: ſacrificuli, ſacris rebus adhibebantur. Mahometes ſæpiſſimè conſilijs præerat, ita tamen vt audiret ſigillatim ſententias omnium, nihil eo loco decerneret: ſed vt negotij grauitas vrgebat, interdum totam rem ampliabat, interdum poſt aliquot horas aut dies clanculum ijs qui ſummæ rei præerant, ſignificabat, quę magis ſibi probaretur ſententia. Eam vbi ſemel indicaſſet, mox illi mandata curabant. Deliberatio omnis hæc fuit, Eſſetne Rhodus ſummis viribus oppugnanda. Tum iniuriæ Rhodiorum plurimæ, tum contumeliæ recentes illatæ adducebant multos, vt oppugnandam dicerent. Accedebat illud, vicinam inſulam & Latinorum auxilijs nudatam non difficile eſſe intercipere, quæ multis rebus vſui eſſe poſſit ad aliquas Europæ partes ſubigendas. Neq; verò periculum eſſe, ne inde cum aliquo forte dedecore abeundum ſit, cum multò plures machinæ ad eius expugnationem auferri poſſint, quàm Rhodo vrbi ſint lapides, quibus mœnia ambiantur: qui vicina cætera in continenti littora poſſideat, cur Rhodo abſtineat? Cum & veteres Rhodum Aſiæ addiderint, quæ Cariæ obijcitur. Aſiam qui ſubegerit, æquúm ne eſſe Rhodios vana libertatis nomina, exterorúmq; Deorum cultus iactitantes colentéſq; intueatur? In hac parte hæc erant quæ Turcas acuebãt ad eius vrbis obſidionẽ, in altera verò quæ deterrẽt, ſequẽtia:

Miſachus Paleologus Turcarum dux.

Diuerſam eſſe cauſam Rhodi oppugnandæ quę olim fuerat, aut Conſtantinopolis, aut Trapezontij imperij. Ibi pro imperio certatum, hîc pro inſula quæ vix emergat. Cur tot corpora in certam perniciem trahenda? Non idem futurum bellum, quale nuper ad Calcidem aut Scodram. deligi inſulam omnium bellicoſiſſimã ad prælium, vbi ſedes Ioannitarum equitum fortiſſimorum, multæ vires, multi concurrentes, multi qui defenſam velint: etiamſi nemo auxilium ferat, longius bellum futurum. Si reliqui Chriſtiani proceres ſuccurrant, relinqui ad poſteros bellum implacabile, eam oppugnationem cum Mahometi tum Turcarum omni imperio inutilem & periculoſam eſſe. Sed Mahometes priorem ſententiam probauit. Decimo quinto poſtea die Dambuſſius per exploratores admonitus eſt, quaſi non dubium bellum haberet: adfuturos mox Turcas Miſacho Paleologo duce cum maximis copijs, & euocatorum firmam manum, & fœderatorum populorum regúmque & ſociorum tanta auxilia adfutura, vt octoginta hominum millia expleant. Ipſe exercitu luſtrato Rhodijſq; ciuibus & exteris ludæis quoque ac ſeruis qui ad arma vtiles erant, ſexdecim hominum millia habebat, ſegetéſque etſi immaturæ eſſent colligi & in vrbem inuehi curauit, ne eſſent prædæ hoſti.

Iam per



1480 Iam per flexum littoris Lycij classis Turcica felicitate nauigandi vsa, cum Au-
Rhodi vrbis situs. ster leuissimus flaret, Rhodum contendebat. Rhodi situs à veteribus sæpe descri-
ptus, verùm hodie haud prorsus in eo loco visitur: quà portus Septentrioni est op
posita mari alluitur: quæ pars occidentem intuetur, hanc excipit planicies lapi-
dosa, maiore longitudine quàm latitudine: proximè videntur colles aprici ciuita-
ti imminentes, villis vicinis lautè ædificatis, & fontibus vndiq; scaturientibus, hor-
tis, oleastris, vitibus, cerasis, malis punicis, citrijs insignes: quà exitus patet in
montem Phileremum Dambussius propugnaculum munitissimum paucis antè
mensibus erexerat. Fanum etiam Stephani eodem itinere vix vno miliari ab vrbe
distat. Habebat Dambussius plurimis vicinis locis industrios homines dispersi-
tos, qui in speculis excubabant, sed qui in dicto monte erant, primi aduentũ Tur-
cicæ classis tumultuosè significarunt. Dissipatum interea consultò ab hostibus
Mahometem occubuisse, vt imparatos Rhodios eò facilius opprimerẽt, sed Dam-
bussius rumorem vanum agnouit, & de pristina cautione nihil remisit. Postea Pa-
leologus Meligalum ad se in classe vocauit. Verùm is paucos ante dies scaturien-
tibus vndique vermibus tetrò que odore omnibus commotis, Deum hominúmq;
fidem implorans, quos ea perfidia implacabiles habebat, nequicquam quiritans, e
nautis in mare præcipitatus fuerat.

Turcæ in in-sulam descen-dunt. Vocari deinceps Paleologus iubet Demetrium eóq; veluti interprete & itine-
rum duce postea vsus est. equitatus Turcarum decimo calend. Iulij in monte Ste-
phani fuit expositus. Ibi machinas æneas, testudines, apparatúmq; alium oppu-
gnandæ vrbis ima montis parte collocarunt, ita aptè, vt ob montis cacumen rupes
que è Rhodo conspici non possent, deinde aliæ copiæ superuenerunt. Dambus-
sius etsi antea, quum vrbis præfecturam Antonio fratri obtulisset, variè singulos
horta-

hortatus fuisset, tamen Turcis nunc præsentibus, simul omnes conuocauit, & rur- 1480
sus ad ferenda obsidionis incommoda tali oratione hortatus fuit: Tandem aliquan
do, sodales charissimi, quod & literis multorum & sermone omnium perferebatur,
videmus anhelantes Turcas perniciem nostram, delubra, aras, sacrosanctáq; no-
stra sacra violare paratos: vastitatem vrbi huic nobilissimæ, interitum singulis no-
bis moliri: fortunas omnium, vitam, spes, opésq; omnes, tot annis parta decora in-
uadere. Atque ego quidem vt omnem belli Martem communem, & semper incer-
tos esse præliorum exitus non diffiteor, animi tamen vestri magnitudine in spem
certissimam victoriæ vocor. Susceptum ab eis bellum nullo nostro merito, causa
nulla alia quàm libido immensa propagandi imperij, opprimendíq; nominis Lati-
ni, & excindendæ sacrosanctæ Christianæ religionis.

Nobis machinæ, tela, commeatus in multos annos: nobis auxilia è Gallia & Ita- *Dambussij oratio ad Rhodios.*
lia firmissima: nobis denique dux & author Christus optimus maximus quo fre-
ti vim ab hoste scelerato & impio facile depellemus. Nobis nominis Christiani
mendi cura excuscitat animos, & maiores ad vim depellendam facit: illi pro im-
pijs sacris propagandis laborant. Nobis Galli, Itali, Germani ad bella nati, il-
lis Aegyptij, Syri, Asiatici militant ad delicias educati. Neque ego vllum ve-
lim scientem in paratam perniciem incurrere, neque vana spe lactare animos:
id tamen spondeo promittoque, si longius bellum ducetur, & Gallica, & Ita-
lica, & Germanica, & Hispanica auxilia ea adfutura, non dicam quæ obsidio-
nem soluant, sed quibus freti vltrò & Constantinopolitanum illis Trapezon-
tinumque imperium eripere possimus. Videbunt illi neque sui se consilij vllum
exitum reperturos, & totam eorum rem ita vacillare & claudicare, vt præcipitem
hinc profectionem inutilem sibi sentiant fore. Quod si quid acerbius etiam im-
penderet, conscientiam rectæ voluntatis, & vitam profusam tuendorum sacro-
rum nostrorum gratia, ecquis non felicissimam laudatissimamque diceret? Me
quidem ipsum ætas & acta iam vita cum suo cursu confecto, ex animi sententia
in propagationem Christiani nominis, tum certissimum quæ bona maneant à
patre illo cœlesti, & diuina præmia eò vocant, vt vim etiam futurosque casus
parum timeam, qui tamen ne nos opprimant, quo ad eius fieri potuit, data e-
gregiè à nobis est opera. Vos fortem facite animum, habeatis & magnum, quòd
est in vnis vobis situm. reliqua temporibus regentur, consilijsque nostris pro-
videbantur.

Accidit vt die qui sacer est diuo Ioanni Baptistæ, antelucano tempore, De- *Prima velitatio ante vrbem.*
metrius transfuga cum turmis aliquot equitum & peditum Paleologi iussu, circa
muros vrbis obequitaret locáq; apta ad oppugnationem designaret. Non tulit An
tonius Dambussius contumeliam tranfugę. Is igitur circa recentem Turcarum ad-
uentum, ad existimationem nominis Ioannitarum pertinere arbitratus, comprime
re eorum insolentiam, acceptis à fratre turmis aliquot equitum eò contendit. Tur-
cæ hortante Demetrio eos intenti infensiq; excipiũt. Cõmittitur prælium, Antonius
adesse, instare, multisq; locis stipatus lectissimis equitib. in eos inuehi: cõtra ea De-
metrius cum Turcis obsistere: vbi quenq; periculũ caperet, ibi resistere: pedites eq-
tibus permisti, vim propulsare: denique quando numero vincebant, à tergo nostros
inuadere: Antonius conuerso equo id intuitus, eo impetu in hostes inuectus est, vt
iam illi implicati & dissipati cædere cogerentur magna pars aut vulnerati aut cæsi
sunt. Ipse Demetrius suffossis illis equi procidẽs obtritus est eqtum incursu. Mura-
tius eques Gallicus, dum cæsi spolia incautius legit, vnà quoq; necatus est, Turcis
etiam caput eius palam conto gestantibus, eíq; mira diritate insultantibus.

Hostes qui ex prima eruptione Rhodiorum robur fugati cognouerãt, Georgio *Nicolea turris frustra oppugnata.*
Frapamo machinarum admouendarũ artifice authore decreuerunt non aperta op
pugnatione aut acie, sed alio modo Rhodũ oppugnandũ. Occupato igit horto An
toniano & excisis arboribus tresinusitatæ magnitudinis machinas erexerũt, quib⁹
Nicoleũ propugnaculũ portámq; subuerterẽt. Aduersus eos conatus Dambusius

1480 antea eō traductis ingentib. duabus machinis, quibus Basilici nomē inditum erat, ita aptè eas hostibus opponi curarat, frustra vt incœptum eorum fuerit. Erat hortus Auernis equitibus attributus, & quia ad subitas eruptiones aptus videbatur, attributis custodibus septus fuerat vallo & fossa, additis quoq; machinis. Paleologus loco animaduerso hunc statuit oppugnare, ratus id quod res postulabat, aut Magistrum laborātibus suis auxilia submissurum, & vrgente suorum multitudine inceptum se eos: aut si auxilia non veniant, loco se potiturum. Diffidere quoq; cœperat loco Rhodius, itaq; antequam lucesceret distributis cohortib. & auxilijs, machinas inde abducere parabat. Hostes instare, vrgere: Rhodij vbi innumeros hostes vident, veriti ne quid grauius accideret, relictis machinis hosti, in vrbē se proripuerunt. Id eorum consilium, etsi metu fortè compulsi cesserant, laudauit Dambussius, non ignarus si hosti occurrissent cohortes, id futurum vt occidione occisi omnes, nullo postea vsui in tanta militum penuria sibi Rhodijsq; essent.

Portus maris descriptio.

Rhodi vrbis situs distat à turri Nicolea trecentos ferè passus, vergit ea in mare miro artificio apta ad Myoparones bellicos excipiendos, præceps valdè qua patet ad occasum: eius exitus paulò est angustior, imminente ingenti concauitate: versus Septentrionem ea moles sita est, eique imposita turris prodigioso opere, circundata vndique rupibus marinis. Visitur adhuc hodie moles dextro cornu ante portum in mare proiecta, huic impositum ferunt Solis nobilem illum Colossum, quem Solthanus Aegyptius (circa Heraclij Cæsaris tempora) in Aegyptum transuexit. Munitam ferunt turrim pecunia collata à Philippo Burgundionum duce. Persuaserat sibi Paleologus hac occupata prosperè successura omnia. Itaque rursus circa hortos Antonianos multò plures machinas dispositit, & ingentes molis turres ligneas erexit eo consilio, vt munitiones quibus septus est portus conuelleret, & ne naues aliq; auxilium ferrent facile impediret. Ex his turribus saxa ingentia voluebantur, sed irrito conatu: in quo Georgius Paleologi conatum fefellerat. At cum se illi suspectum videret, vel dolo malo (quasi exploraturus Rhodiorum consilia) antequam lucesceret visus est circa portas vrbis, obuium quemque rogitans, vt ad Dambussium perduceretur. Hunc plerique veluti exploratorem mox necandum censebant: alij sponte & sincera fide transisse, expiandę veteris perfidiæ gratia, dicebant. Vicit ea sententia vt attributis ei sex custodibus diligentissimè obseruaretur: ipse interea rogatus de apparatu, copijs, consilio hostium, grauiter prudenterq; disserebat.

Rhodus vrbs oppugnatur.

Hostis interea quatiebat frustra admotis machinis vrbis mœnia: pilæ tamen saxipius præteruolantes pruiatos infestabant, itaq; Paleologus retulit animum ad vetus consilium & spē Nicoleæ turris occupandę. Ex his ergo ligneis turrib. ingentia rotunda saxa in Nicoleam voluebantur. quin & nuper, cum trecētas machinas minores admouisset, pars quæ in occasum vergit ita quassata est, vt ingentia ea saxa, quoque extra turrim collocata erant aptissimè ad vim depellendam, corruerent, quorum ruina ingens fragor exauditus est. Signinum tamen, aliáq; ædificij opera integra manebant, mortario nec dum excusso. Commoti sunt grauiter Rhodij ea ruinā: sed Dambussius per industrios homines hortabatur moderatè eum casum ferrent. ipsi se interea contra fortunam cautius pararent & armarent, curaturum se ne hostis ea turri potiatur: erat tum Rhodi Antonius Fradinus Franciscanus vir doctus & eloquens, qui suis concionibus id assecutus erat, vt vnus aptissimus esset ad populum languentem incitandum, & ad effrenatum moderandum & placandū. Cum autem hostes putarent se turri potituros, Magister equites Rhodios delegit qui locum tuerentur, Fabritio etiam Carreto imperat fossas, propugnacula nouasque munitiones intus excitet, quib. vis hostium arceat: huncq; cum reliquis præsidio reliquit. Ipse nauicula vectus locum ipsum lustrauit, & quæ eo muniēdo necessaria essent, vt accelerarentur continuatis noctu diuq; operibus curauit. Ibi verò cubicula, quibus Rhodij equites insederant, ita oppleta saxis arenáq; visa sunt, vix vt recipiendis illis vacuus locus inueniretur.

Excita-

Excitata est & alia munitio circa propugnaculum, quod antemurale vocant, & turrim quæ à D. Petro nomen retinet. Ex eo loco vsq; ad molem, quæ protrahitur versus turrim Nicoleam, quando mare ibi parum profundũ, & interdum vado in vento permeabile erat, in valle & fossis equites Gallici & Hispanici notissimę virtutis Craono & Scaligero ducib. collocati sunt, qui facilè reliqs auxilio essent. Sed & machinas bellicas plures circa mœnia auehi iussit, quib. naues faselósq; Turcarũ, qui sese accingebant ad turrim occupandã deprimeret. Nocte ingenti vlulatu quid parārent ostendebant: prima luce Tympanis omnes excitati, ingens vndiq; strepitus, Turcę nostros inuadunt, machinarum fragor ad cœlum ferri. Qui turrim defensabant, contrà acerrimè niti, neq; vllus quàm in dextra spem habere: sagittæ vtrinque volare: intenti illi nostros loco pellere, nostri fortiter vim arcere: illi rursus plurimis locis semiruta loca oppugnare, nostri saxa voluere, quibus multos in mare precipitabant, maius illis studium Turcas sauciendi, quàm semet tegendi, at dum fessis & saucijs recentes vndiq; Alexius Tarsius submittit, scalis Turcæ prope summa occuparant. eo die Paleologus ægrotabat, atq; Tarsius Turcis præerat. Cõcurrunt Rhodij, lapides, tela, ollas pice sulphuréq; igneo plenas ingerunt, Turcæ nostros molestabāt funibus & restibus, quæ instar scalorum aptè compactæ ac hamis & harpagonibus paratę fuerant, quas Turcę mira arte in turrim summo impetu vibrare edocti erant. Vbi autem omnes scalæ hamæq; à nostris comminutæ essent, Turcę vela cõtraxerunt. Multi afflicti, multi in vndas præcipitati, magna pars post tertiam horam diei vulneribus confecti, ducis iussu inde se subduxerunt: octingẽti Turcæ occisi, mille vulnerati, & plures aquis submersi fuerunt, quorum tamen numerus iniri non potuit. 1480 *Turcarũ clades aduallũ.*

Prælio eo ipse Dambussius & eius frater Antonius interfuit, excussa etiam casside forti lapide (territis alijs) pileũ sumpsit, nihilq; remisit de pristina diligentia, qn suis semper præstò esset. Sagittam quoq; in femur impactã clypeo diuertit, Cum etiam Fabritius Carretus orarat, subduceret se periculo, cum illi proximis B. Aguius cecidisset, Tibi (inquit) tuíq; similib. labores hi mei proderũt, præsagiens & vaticinans Carreto summam imperij Rhodij potestatem, qua & postea potitus est. Antonius quoq; prægrauante Turcarum multitudine, ingenti arca è satis longinquo loco humeris vecta, ingenti strage proiecta ea multos elisit & oppressit. Sequẽti die ad classicum Dambussius paludatus & equitib. ornatissimis comitatus, Rhodum rediit, vbi ei omnium concursus mirabilẽ in modũ præstò fuit. nihil exoptatius aduentu illius, nihil charius: supplicationes etiam ob res prosperè gestas decretę. Tũ etiam in templo diuæ virginis Deum obtestati, auerteret iram à Rhodijs, & in vilissima Turcarum capita transfunderet. Paleologus autem ea spe excidens, admotis rursus machinis quatiebat mœnia, aditum parans qua sui irrumperent. Sed & acriter Turcæ vrbem oppugnabant, erectis propugnaculis è regione montis, qui vergit ad Septentrionẽ, eo loco quo supplicíũ desontib. sumi solet. loco excelso machinas admouent, quibus & mœnia & domos Rhodiorũ concutiebant. Nec id fefellit Dambussiũ. itaq; ludęorũ hortos domósq; ibi adiunctas ipse diruendas curauit. Ibi fossa & vallo locũ ambientes, erecto etiã muro secundum fossam, ne eo peruaderet hostis, effectum est. Nemo ab eo opere immunis fuit, vel omnib. passim ad tam vtile opus operam sanè quã lubẽter deferentib. præsertim cum duces lapides, terram, calcem, arenã suis ipse humeris auehebant. Horum exẽplo & exteri negotiatores, & Iudæi ipsi operas quoq; suas in id opus contulere, quin & Franciscani plaustris subuectabant sabulum, totáque ea oppugnatione armati negotia attributa strenuè curabant, vt eo maximè motus Dambussius victor postea cœnobium D. Frãcisco ædificandum magnis sumptibus curarit. *Magistrũ Rhodij fortitudo.*

Horum exẽplo cõmotę mulieres ipsæ Rhodię, & q̃ sacris addictę erant, dum alij incumbunt operibus, cibos occupatis præparant. Ipsæ quoque (si quæ virili corpore apparuerunt) in transuectione publica armatæ visæ, quo hosti è monte spectanti maior numerus tuentium vrbem videatur. Sed tamen hostis machinarum *Mulierum constantia Rhodi.*

1480 assiduo impetu ita profecit, vt sterneret partem muri, nocte quoque saxa voluentes multos è Rhodijs opprimebant. Ita magnus Magister collapsa celeriter reficere, intus nouas fossas erigere, has leuiter arena superiniecta tegere, proximè picatum & apparatum sulphureum admouere, vt si ea hostis irrumperet, facilè opprimeretur: quod Paleologus per exploratores intelligens, irrumpendi consilium distulit. Cum autem eorum saxorum impetu, quæ ingentia in oppidanos voluebantur, variè omnes afficerentur, pueros & mulieres, quæ bello inutiles erant, Magister in hortum concluſit, annona affatim illata: eum tabulato ita contexit, illæsi vt omnes fuerint. Noctu plerique in cellis vinarijs, antris & cauernis cõcauisque & tectis locis desidebant, vt saxa vitarent: multi quoque in ædes sacras se abdebant. Cum ita omnes latibulum & perfugium noctu quærerent, hostis ea oppugnatione nihil profecit. Neq; tamen Paleologi animus imminuebatur, at quotidie plura agitare, machinas rursus opportunis locis admouere.

Seditio Rhodi orta.

Vbi Turcæ multa agitanti nihil procederet, per transfugas aliquot, qui nondũ indicto bello subdolè Rhodum speculati equitum consilia ierant, parat veneno Dambussium tollere. Rumor interea sparsus est, auctus Calibassæ iunioris vanis impostoris, qui à Turcarum Imperatore in castra missus fuerat, adfuturum mox Mahometem ipsum cum centum millibus armatorum, & machinis mille quingentis insignibus. eo rumore Itali aliquot, Hispani, & Nauarri ita consternati sunt, vt conuenticulis actis quærerent, saluúmne futurum esset Rhodiorum imperium? Dambussius non minuendo nec negando rem, at præterea augendo addendoq; confirmabat. Mox etiam ijs vocatis, quę seditiosè missionem flagitabant, nauibus se quas in terras vellent auehendos curaturum ait, lubentérq; se eos ex manipulis expuncturum, modò desinant quærere quantæ essent hostium copiæ. At si odiosi esse pergant, inferias se Plutoni daturum, omnib. iugulatis. Rhodũ etiam sodalis Ioannitis iuuantib. cum incolis & Veronensium cohortib. quas lectissimas Scaliger adduxerat, defensurũ se edixit. At hi ad frugem redeuntes, pœnam vltrò in se depoposcerũt, vt obliterata seditionis infamia, cum tumultuosissimè hostes adesse dicerent, proriperent se, nec redirent, nisi multis capitibus conto elatis. Sequentib. quoq; oppugnationib. maximovsui fuerunt, perforatis aliquot hostium tormentis repentina eruptione. Nec tamen erumpere eos sinebat Dambussius, nisi attributis Auernis, vt Paleologus rem esse sibi dixerit cum bellicoso Cantabro Quiriniq; & Magni Caroli vetere progenie & Hispano indomito. nouerat enim per transfugas à quibus ea irruptio fuisset tentata.

Magister veneno frustra tentatus.

Interea Ianus Dalmata transfuga in vrbe disquirebat, quo pacto veneno Dambussium aggrederetur, deniq; omnia tentando socium sibi adiungit Pythiũ Epirotam: erat is Mario Philelpho familiarissimus, qui erat Magistro à secretis. recenti tñ seditione, cui is hæserat, amicitia excidisse videbat. Hunc Pythius anxiũ aggredit, hortatúrq; pœnas petat violatę amicitię, id adeò maturè posse euenire, si veneno prærẽt Dãbussium tollere: esse id ei facillimũ, cui cum cocis pincernisq; Magistri sit magna familiaritas, sed ille cũ simulasset sese ea curaturũ, quę maneant pręmia exquirit: Ille Paleologi literas ostendit, quib. rem acceleret monebat: quamcunq; partic pibus facinoris fidẽ dedisset se pręstaturũ, nec tñ subscriptę erant, ne res deprehẽderetur. tantũ prima literarum nomina latius à tergo scripta visebant. Marius vti ingenio & optimis studijs quib. erat deditus ęquum fuerat, cum recepisset se curaturum quę in rem videbant, cognitis insidijs ad Dãbussium pergit, & rem omnem vti acta erat, enarrat. Deprehendi mox ille iubet Ianum & Pythium. Sed Pythius interrogatus de insidijs quid egisset cum Mario & quid parasset, primò negare, deinde dissimulare, post vbi tormenta adhiberi videt, omnia vti parata erãt, aperit. docétq; magnis se pręmijs sollicitatũ, vt principẽ veneno tolleret. Igit Pythio gula laqueo fracta, Iano caput detruncatum. Conscij duo tanti facinoris cognito indicio fuga vrbe elapsi: Marium deinde ardentius complexus Dambussius, præsertim cum in eo insigne lumen probitatis & fidei, delato hoc facinore, percepisset.

Detectis

Detectis his domesticis insidijs Paleologus diu in incerto habuit quidnam cõ- 1480
silij caperet. Redijt autem rursus ad Nicapoleam turrim: prius tamen parat cõmi- *Turcarum varij apparatus.*
nuere eas munitiones, quas Rhodij circa littus maris erexerãt. Antonius Magistri
frater, animaduerso eorum consilio, quinquaginta ex Italica statione delectis, exi-
tu clanculum subtus terram parato, summo eos silentio emisit, circa locum quo in-
cipiebãt hostes ea moliri: sublatisq; repentè scalis, gladijs, lapidibus in fugam Tur-
cas vererte, dissipato eorum apparatu: decem ex his necati quorum capita hastis vi
ctores extulerunt. Eos palàm laudatos Magister multis præmijs donauit, ac tanti
eis honores habiti, vt quasi prodigus deprehenderetur. Iam Turcæ machinationes
suas summa industria turri admouent, sperantes sese munitiones nostrorum fra-
cturos, sed quæ hi diruebant, mox multitudine operum & militum reficiebantur.
Ineunt autem nouã de integro rationem, vt ponte constrato ex transuerso prodi-
ret ex fano Antoniano vsque ad turrim. Pons ex varijs lignis constratus est, cui
inerant aditus desuper, ingentes porro claui suffixi, ita vt latus exciperet sex homi
nes armatos prodeuntes. Hunc per mare funibus oblongis & grauius obstrictum
transferre parabant. Geruasius Rogerius Britannus rei nauticæ peritissimus no-
ctu indicans suis, magnũ nescio quid se moliri, in mare insilijt, summáq; celeritate
vsus funes quibus pons illigatus erat incidit, deinde ordine rem, vti erat gesta, in
vrbem rediens, Dambussio enarrauit. Huic ille summos honores habuit, do-
nauitque ducentis nummis aureis, pro concione etiam publicè laudauit. Hæc v-
bi frustra fuere, parant hostes pontem subductis plurimis nauiculis in turrim edu
cere, simul etiam faselos plurimos & pontones miræ magnitudinis, quibus abun-
dabant, subducunt, onerantq́ eos tormentis bellicis, vt & vno eodemq; tempo-
re alij nostros qui præsidio turri relicti erant infestarent, alij ascensum pararent, alij
machinis eos terrerent.

Cum esset Dambussio nunciatum faselos hostium circũduci, eósque classem in- *Turcarũ cædes ad vrbẽ.*
structam & paratam in aqua habere, nouo præsidio mille delectis equitibus lo-
cum auxerat, intúsque omnibus passim intentis nouas munitiones pararat. Repen
tè nocte signo dato nostri inuaduntur, sed hostes sagittis, globisque ęneis pellun-
tur. Magna rerum hominumq; strages, nocturno fragore vlulatúq; circumsonante,
pons cymbis transuehitur. Sed machinas aliquot bellicas Magister ita aptè dire-
xerat, vt hę pontem & reliquum apparatum comminuerent, & quatuor myopa-
rones & pontones aliquot onustos bellicis tormentis, perfossos dissiparent, vbi
multi quoque ex hostibus submersi sunt. Nec tamen remittebant hi aliquid de
pristina oppugnatione. Namque multitudine tormentorum bellicorum abun-
dantes variè Rhodios infestabant, qui & ipsi alijs tormentis hostilia subuerte-
bant: protracta ea oppugnatio ex hora noctis tertia vsque ad sequentis diei horam
decimam. Paleologus vbi videt suorum numerum minui receptui canit, & ira ar
densin castra redijt. Fluitantia hostium corpora diebus sequentibus ripæ appul-
sa sunt, & spolia à Rhodijs lecta. Duo hominum millia quingenti desiderati. Ea-
dem nocte duo è Creta stipendiarij, qui transitum ad hostes parabant, intercepti,
capite plexi fuerunt.

Circa eam muri partem, vbi Iudæi & Itali excubabant, rursus incumbunt ho- *Ars arte luditur.*
stes, ac die quidem non desinunt mœnia obruere, nocte verò actis cuniculis mu
to quidem maximè instant: fossas quoque perfodiunt, easque ne videantur ar-
boribus contegunt: munitiones nouas erigunt, easque viburnis tegunt, vt in-
de commodius machinas æneas admoueant. Erat ingens fossa aut hiatus haud
longè à muro, quem illi multa arena multisque saxis illatis per æquare insti-
tuebant, vt inde veluti dorso parato commodius in murum scandere eis liceret.
Consulit Dambussius quid agendum, quo pacto disturbandæ hostiles munitio-
nes: placuit Caroli Liguris equitis consilium, qui machinam ligneam die quidem
struendam, nocte verò altius promouendam docuit, qua ingentia saxa ad hostilia
opera laceranda emitterentur, nec spes fefellit. nam ita ingentia saxa nocte emit-

1480 tebantur, altius promota machina, vt munitiones eorum comminuerentur. Placuerat eodem authore vt vacuaretur fossa ea quam hostes exæquarant. Ita nocte cuniculis actis, eò multi concurrere, vt magnam partem hiatuum (vti antea) vacuã reddiderint. Paleologus tot se repentè circumuallatum angustijs fatebatur, vnde nunquam emergeret, Calibassæ tamen consilio non desinit mœnia quatere. Dambussius cum fratre & sanctiore consilio disquirit, quo pacto se tanta hac turba expediat, ruentibus iam muris, qua Iudæi & Itali excubias agebant.

Transfuga præfes tormentorum Rhodi occisus.

Decretum tum fuit iuxta vicinum hortum alterum murũ extruẽdum, geminarũ palmarũ latitudine densatũ: mox figere ima terra paxillos è ligno tenacissimo, diffundi deinde dispergíq; visci copiam, diu multùmq; comixtam & aqua irrigatã intra arborum ramos, quæ mox comprimatur: vt constitutum erat, mox opus procedebat, nec id Calibassem latuit. Dat igitur operã vt opus impediat, adhibito plurimo igne artificiosè admoto. hic magna industria inferebatur, doliolis plenis pice & sulphure, aptissimis incendio mouendo. Accedebãt loculi & sacculi, alij lana & canabi ferro intermixto, alij ramento scoria & ferri excremento quibus ille existimabat se munitiones deleturum. Sed accidit vt austro reflante, vel quod verius est, imperitia eius qui machinis ijs erat præpositus, vanus ís esset conatus, multísq; ex hostibus absumeret: ipse quoq; Magister quid hostes machinarentur per trãsfugas intelligens, breuib. illatis machinis multos prosternebat, vnde Rhodijs & socijs animi aucti. Georg. transfuga in eum locum perductus fuerat, vti consuleret, qua arte eludẽdi essent hostes. Isq; cum perfunctoriè agere videret, ad extremũ cõsuluit, vt noua eáq; altiuscula erigeret machina, vnde Turcæ impeterent. Hæc dum parantur, machinis hostilib. vexati sunt nostri acerrimè. ita diffidere omnes illius consilio vt transfugam fallacissimum ad supplicium raperent. Sunt qui inuito Magistro discerptum à furibũda plebe dicant: sunt qui acerrimis hominibus ad quæstionem datum ordine retexuisse narrent, quo dolo in vrbẽ transierit, quibus artib. Rhodũ Mahometi daturum se pollicitus esset, quibus simulationib. alias quoq; vrbes aut ad deditionem pellexerit, aut inuitas diripiendas elusis ciuibus ei tradiderit.

Turcæ Græcos ad defectionem hortatur.

Eius supplicio accisas spes aiunt Paleologo, qui etsi omnib. modis insidias parabat Dambussio, intelligebat tñ neq; illi ad cauendum prudentiam aut astutias deesse. Postquam videt vim frustra esse neq; insidias prosperè cedere, quando quæ vi tẽtarat aspera fœdáq; acciderant, constituit alijs astutijs Rhodios opprimere. Scribũtur literæ à Paleologo Græcis & Rhodi antiquis incolis, quib⁹ narrat bellum hoc à Mahomete susceptum, vt eos æquirate & fide tueretur, oppressos iam Latinorum seruitute. Principio eos virtutis, continentiæ, beneuolentiæ, libertatisq; patriæ proquandę visos studiosos. sensim hanc consuetudinem & disciplinam amissam, sequi tum in eos reliquaq; Græciæ lumina videri iniquum, vt iam commoti eorũ contumelijs multi patria fortunisq; carere maluerint: id esse clarissimum, & Antonij Meli gali ac plurium aliorum exemplo. Tandem aliquando miserę patriæ consulant, libertatis legúmq; præsidium, quod improbitas Ioannitarum eripuit, restituant, nec eos patiantur licentia rapinarũ, quasi rabie ad singulos integrósq; procedere. Dãbussium ne audiant, qui angatur & laceretur animi cupiditate, & noxarũ metu inquies, abutatúrq; eorũ facilitate: sibi ipsis consiliũ salutare capiãt, antequã copijs rursus admotis ferro & flãmis Rhodũ subuertãt. His literis publicè lectis, incolę Magistro responderunt: promissis insidiarũ plenissimis se nihil moueri, à Græcis verò sibi & omnib. Latinis paratissima omnia esse cõsideret: iuberet demũ quo ad Rhodum tuendam pertinere arbitraret, omnia se diligenter studioséq; curaturos, profuso etiam sanè quam libenter suo, liberorum, vxorúmq; sanguine: quæ cum facerem erga se Latinorum imitaturos, merita non assecuturos.

Dambußio frustrapacis conditiones oblatæ.

Postea quoq; rursus è Græcis trãfugis legati ad Dambussiũ mittunt, q̃ intromissi variè eum ad deditionẽ Mahometis, etiã ostentatis p̃mijs, accendebãt. Monuerũt etiã, videret quò progrederet, re iam proclinata: non eandem illi semper occasionem in conditionib. æquis ferendis & impetrãdis futurã: cogitaret ne se, Rodióſq; omnes

omnes funditus euerteret, nec se prudens sciénsq; eò demitteret, vnde exitum vi- 1480
deret nullum esse. His respondet Dambussius, consilijs se hostium non libenter v-
ti, rebus suis integris, afflictis verò constanter se vitam, quã Deo optimo maximo
deberet, redditurum. ídq; potius quàm ad vllas deditionis etiam honoratissimas
& vtilissimas leges deueniat. Cum legati, prestito aliquo obsequio Mahometi, nõ
ad deditionem sed ad societatem se eum hortari dicerent, tum Antonius principis
frater, inquit, Tu quidem (frater) verbo ad societatem, re quidem ad certam præ-
dam peteris, ita vitatis insidijs legati digrediuntur. Vbi Paleologus nullis condi-
tionibus bellum componi posse videt, noua rursus capescit consilia. Parari itaque
iubet omnia tormenta, & tricesimo die post vanam oppugnationem Nicoleæ tur-
ris, die & nocte ita pergit mœnia sternere, leuioráq; alia tormenta in vrbem altius
emittere, vt quatuor diebus integris atratum cælum, & fulgura emittentem con-
densatum aerem stridore & fumo sulphureo, omnes dicerent: & erant aliquot tur-
res altissimæ, iámque parte ima muri ita prostrati, vt ad irruptionem hosti locus
datus videretur.

Turcarũ vrbem oppugnantiũ ingens strages.

Turcæ ergo quinto calend. Augusti vrbem inuadunt, multitudínéque prægra-
uante muro potiuntur, atq; ibi sua vexilla figunt. Idem faciunt circa turrim Itali-
cam, sed à læua & sinistra accurrentibus Italis & Cantabris, quibus & subsidio ve-
niunt Antonius cum nobilitate Germanorum & Auernorum, hostes pelluntur,
& mutilatis corporibus, alij cadunt, alij præcipitantur. qua in re Caroli Montlij e-
quitis nobilitata est virtus. Erant quatuor scalæ, quibus ascensus & descensus pa-
tebat in uicũ ludæorum, quo loco fuit ea irruptio. At cùm adnimaduertisset Dam
bussius vnà Turcas in vrbem descendere, comminuta ea, qui temerè irruperant dis-
cerpti sunt. altera scala cum iam instarent hostes, ipse Magister conscendens, im-
petu facto sæpe hostem ferire, strenui & acris militis officia exequi, temerè inue-
ctos disturbare: alios quoque Rhodios equites inducit, qui hostes perturbatos lo
co depellunt. multi cum cecidissent, hostes tandem in sua castra reuertuntur. Eo
prælio Dambussius quinque plagas accepit. harum vnam circa mamillã dextram
lætalem medici dixerunt. Dei tamen ope mersit ille ex incommoda valetudine.
Cæsa tum Turcarum tria millia, quingenti etiam in vico Iudæorum concisi. Eo
die hostes fuerunt territi & oppugnatione destiterunt, inspecta in aere cruce insi-
gni, & persona fulgente, quæ manu scutum & hastam gestabat, astitisse huic syn-
thesi hominem indutum Ioannem scilicet Zachariæ filium stipatum insigni no-
bilitate, quasi pararet obsessis ferre opem. Ferunt etiam fulgore insolito cælitus
ad confirmandos nostros apparente, plerosq; Turcarum in acie sine vulnere, sine
sanguine, sine vlla aperta vi, miserabiliter cecidisse.

Onerariã nauis à Turcis oppugnata.

At Paleologus cum suorum numerum imminutum videret, atq; ad nouem mil-
lia cæsa & quindecim millia sauciati essent, anxius erat animo, omitterétne Rho-
di oppugnationẽ, quæ frustra hactenus fuisset, an fortunam opperiretẽ, qua sæpe
prospere vsum se meminerat. Hęc cũ plures dies noctésq; æstuãs cogitasset, despe-
rans victoriam, tandem deliberat suos inde deducere. Accelerauit consilium fama
quæ ante paucos dies percrebuerat, Latinorum auxilia è Gallia, Neapoli, & Ro-
ma aduentare. Ferdinandus quidem rex Neapolitanus subsidio Rhodijs mittebat
naues duas refertas militibus, commeatu & machinis, duce Ioanne Poo. Hæ por-
tum inspectantibus Turcis ingressi sunt. emisere tamen hi in eas machinas belli-
cas, quarũ impetu malus vnus disruptus est. Harum vna cum deerrasset parum, Pa
leologus missis viginti myoparonibus eam inuadit, effusi erant omnes in hoc spe-
ctaculum. tribus horis integris pugna protracta est, dum hostes circumuenire na-
uim parant, sed ea talibus erat machinis munita, vt respirandi locus nullus dare-
tur, tametsi agitatione maris parum abfuit, ne obrueretur. At sedatis iam fluctibus
& tempestate commutata, elapsa tandem tribus myoparonibus ad Rhodios se re-
cepit. Erat in naui ea Franciscus Auersanus à Sixto pontifice literas afferens, ante
decimum quintum diem, nisi interea solutam obsidionem Dambussius nunciet, se

1481 ingentem nauium, faselorum, hominúmq; multitudinem missurum, libentérq; o-
mne ærarium pontificium in tam sanctam expeditionem exhausturum. Cum hæ li
teræ publicè essent recitatæ, recreati sunt omnium animi gratiáq; habita pontifici.

Rhodus obsidione soluta.

Turcæ verò succisis prius omnibus arboribus & vineis, abactóq; pecore quan
tum licuit inde sese proripuerunt. Posteriore ea oppugnatione sunt qui ita Turcas
sibi certam vrbis direptionem adfuturam crediderint, vt octo millia palorum ad-
duxerint, quibus publicè denunciarint, se palis podici impactis fixuros totidem
Latini nominis. repertíque sunt circa zonas cæsorum funes, quos in Rhodios, vt
non dubio euentu, adduxerant. Rhodij tribus integris mensibus obsidionem tu-
lerunt, magna animi constantia. quanquam aliqui dicant obsidionem 21 Iunij cœ-
ptam & 17 Augusti solutam. Hócque modo non doli, non insidiæ, non multitudo
Turcarum, non aduersa asperáque res ingentem Rhodiorum equitum animum
subegit, quin quem virtute adepti sunt locum, simul cum animabus retinerent.
quæ multis bellis militantes viderant, quæque ab adolescentia à prudentissimis
viris tradita memoria & scientia comprehenderant, his aduersis rebus vsi sunt,
atq; ita semper instructi, vt non modò tranquilliora lætè ferrent, sed omnia turbi-
dissima etiam si essent, tamen ex conscientia factorum & consiliorum probatissi-
morum, quæcunque acciderent, forti & magno animo ferre paratissimi essent.
Hinc etiam factum, vt per quadraginta & amplius annos postea ab obsidione Tur
cica liberi fuerint.

Hydruntum à Turcis occupatum.

Interea dum Rhodus obsideretur Mahometes quoque Achmat Bassam, filium
Stephani Despotæ Bosnæ, cum magna & instructa classe aduersus Italiam able-
gauit, qui etiam ex improuiso Hydruntum vrbem in Apuliæ & Calabriæ finibus,
vbi Ionij & Ausonij maris discrimen modico aquarum interuallo situm, subito in-
cursu oppressit & occupauit. quo nuncio tota Italia ita timore territa prostrabatur,
vt de salute sua dubitaret, nisi diuina prouidentia ne pestis illa latius serperet Ty-
rannum è medio submouisset. Postea enim Ferdinandus rex Turcas terra mariq;
obsessos eò redegit, vt se dederent, atq; vrbe restituta ex Italia cederent. nec his ex-
peditionibus Turca contentus, quin etiam ipse Sulthanum Aegypti peteret. Hoc
siquidem tempore Syria à Turcis, Armenijs, & Aegyptijs varie in multis locis
regebatur. nam Cassano mortuo maior natu eius filius, qui cæteris fratribus neca-
tis imperium arripuerat, magnam Syriæ partem in potestatem redegerat. quod
Mahometes ægrè ferens trecenta armatorum millia, ducentas triremes ac trecen
ta maiora nauigia compararat, Armenium non modò ex Syria pulsurus, verùm e-
tiam Alcairi Solthanum inuasurus. Verùm cùm ad Nicomediam venisset, coli-
co dolore correptus vitam finiuit. statuerat etiam nouam classem longè maiorem
contra Rhodios ablegare, ac denuo fortunam belli tentareni fato sublatus fuisset.

Mahometis Turcæ obitus.

Ferunt Tyranno dum nemora prætergrederetur ac syluas comparuisse inter ra-
mos iuuenem, forma augustiore, humanam speciem excedentem, ornatum veste
candida, manu ensem strinxisse, necémq; Tyranno minitasse, atq; dixisse: Hoc te
confodiam ense. Quo viso vsq; adeò expauit atq; metu concidit, vt quasi furore at-
tonitus in grauissimum morbum lapsus fuerit. Fuerunt etiam prius nonnulli lani-
zari & cubicularij qui de interimendo Tyranno consilium inierè. perpetrassentq;
cogitata, nisi Maudromenus Græcus vnus ex conspiratoribus rem prodijsset. Hos
cum Barbarus trucidasset postea omnes suspectos habuit, neminem sibi fidum pu
tauit, atq; nullum quiescendi tempore in cubiculum admisit, qui duodecimum æ-
tatis annum excessisset. Voluit is magnus Turcarum imperator dici ex magnitu-
dine rerum gestarum. quod cum Asia potitus, auctis paterni regni viribus in Euro
pam ingentes copias per Hellespontum classe traiecerat, Bizantiumq; expugna-
uerit, Mysiam vtramq;, Thraciam, Peloponnesum, Acarnanos, Aetolos, Ambra-
ciam, Epyrum, atq; Illyricum in potestatem redegerit, Asiæque minoris regna pe
nè duodecim obtinuerit. Pontum deniq;, Bithyniam, Cappadociam, Paphlago-
niam, Ciliciam, Pamphiliã, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam, atq; omnem Hel
lespon-

lespontum. Ad solis ergo ortum & occasum plures terras mariáq;, insulas & regna imperio adijciens, tandem magna ignominia ad Rhodum affectus, obijt quinto nonas Maij, anno ætatis 58, imperij 31, atq; salutis nostrę 1481. Mors eius tanta lætitia occidentis principes affecit, vt vbiq; sacra perficerentur, ac publica festa per triduum instituerentur. 1482

Mortuo Mahomete subitò omnis obedientia more gentis cessauit, publicum ærarium sublatum, negotiatorum & ludæorum opes direptæ fuerunt: tum etiam infirmiores à potentioribus suppressi, ac intestinis odijs, & mutuis cædibus omnia repleta. Reliquit nepotes quinque qui ad occupandam ditionem paternam aspirabant, & factiones suscitabant. sed maior factio inter duos fratres Baiazetum & Zyzimum exorta. Hos pater dum viueret diuersis locis disiunxit, ne post eius mortem imperio impliciti, aut publicis negotijs intenti, alter alteri ob futurum imperium insidias strueret. vnde eos prouinciarum præfectos constituit, vt vterq; sua prouincia contentus, quietam vitam transigeret. Baiazethes Paphlagoniam ad Euxini maris littora obtinebat, Zyzimus natu minor Lycaoniam, maior mollissimam vitam agebat: minor circa Iconium venationi, thermis, natationibus, & comessationib. iuueniliter lasciuiebat. Cognita ergo patris morte vterq;, raptim Constantinopolim ad regiam sedem properabat. Hic Orientalium & Persarum viribus in Asia confisus, ille verò Ianizarorũ & commilitonum fauore. sed iam tum multuatũ erat Constantinopoli inter duces & milites, parte vna ad Baiazethum, altera ad Zyzimum imperium trahente. dum etiam cruentis gladijs inter se certant, Bassa vnus occiditur. Tum Achmatus Bassa Hydrunti expugnator vir militaris, vt seditiones tolleret, vnum ex liberis Baiazethis octodecim annorum in regio solio collocauit, atq; irato vulgo ostendit, dicens huius patrem Imperatorem à nobilioribus declaratum, ac regio diademate dignum. autórq; fuit vt dum pater abesset, eius filius summæ rei præficeretur. Byzantij anxij victoris gladium timebant, altera verò factio attonita iram dissimulabat. Paulo pòst Baiazethus Bizantium venit, ac seditione domestica sedata magno plausu exceptus, & Imperator salutatus fuit: mox etiam paternam gazam in potestatem redegit. *Baiazethes Turcarũ Imperator.*

Zyzimus interea per Bithyniam terrestri itinere incedens, viarum dispendio moratus, principatu ac spe potiundi regni frustratus fuit. A suis verò admonitus Prusiam regiam veterem Bithyniæ occupat, atq; Germanum in certamen prouocat. Regebat tum alter Baiazethis filius quatuordecim annorum, aui sui permissu, Cariam & Lydiam. Is patruum audiens valido exercitu aduenientem, pernicibus equis fugam arripuit, atq; ad Rhodios festinauit. Hæsitabundus in littore fortè oneraria inuenit, qua ascensa primò Callipolim, postea Byzantium peruenit. Baiazethus hæc percipiens Achmatum Bassam cum instructo exercitu per Propontidem mittens, fraternis copijs obiecit. Cum autem Asiatici omnes Europeos milites tanquam audaciores & robustiores timerent, Zyzimus suis viribus diffisus Prusiam reliquit, atq; cum paucis in Syriam transijt: tum etiam sacrorum causa Hierosolymis templum Salomonis reuisit: deinde per Arabiæ deserta ad Solthanum Aegypti regem Memphim se contulit, quæ hodie Cairum dicitur, ab eo non modò comiter fuit acceptus, sed in aduersitatibus egregiè consolatus. Dum etiam Solthanus legatis ad Baiazethum missis fratrum discordias componere annititur, Zyzimus Mecham ad Mahometi Pseudoprohetæ sepulchrum venit, religiosusq; & supplex Mahometem veneratur. Reuersus ad Solthanum, cùm Baiazethes fratrem contemneret ac nulla spes pacis esset, Zyzimus apertũ bellum meditatus est. *Zyzimus ad Solthanum fugit.*

Postea ab Aegyptiorũ rege magnis muneribus donatus, peragrata Syria Istmũ minoris Asię (quę nunc Turcica dicit) penetrat, & Ciliciæ regem Caramannum accedit, à quo per literas & nuncios prius ad commune bellum accersitus fuerat. Hinc à Mahomete Cilicia & Mesopotamia paternæ regiones ablatæ fuerant. Is Zyzimum aduersus fratrem sollicitans auxilia pollicetur, & impetatorem salutat, ita vt huius ope speraret sese amissa recuperare posse. lunctis igitur copijs iuxta *Turcarũ intestino bello.*

Larau-

1485 Laraudum ac Iconium castra metantur, vt Baiazetho bellum inferant. Baiazethus in tanto discrimine etiamnum anxius, fratris apertum bellum & ducum occultas defectiones metuebat, præsertim cum Achmatus Bassa clàm aliquas simultates cum imperatore aleret. Subsecutus igitur Achmatum, qui cum iusto exercitu iam contra Zyzimum processerat, magna auri profusione inconstantes Asiaticorum animos sibi conciliauit, & præfectos cum militibus in officio retinuit. Habebat in suo exercitu Baiazethus ad ducenta armatorum millia. Id cum Zyzimus & Ciliciæ rex à profugis intellexisset, cum se viribus impares cognoscerent, Tauri montis iuga (quorum obiectu Cilicia Syriam à se excludit) ne obsiderentur penetrarunt, vt natura loci ab insidijs tutiores essent. Nam literis ac nuncijs vltro citróq; missis & acceptis frater pacis studium Zyzimo offerebat. ducenta etiam millia aureorum & regiam suppellectilem in fœdus pollicetur, si regni fines excedat. clàm autem dolos prætendit, vt viuus in potestatem suam veniret.

Zyzimus Turca Rhodum fugit.

Id cum Zyzimus intellexisset rerum desperatione adactus socium regem & hospitem hortatus vt tempori cederet, seque ad meliora seruaret. Ipse in maritima Ciliciæ descendit, ibiq; expeditissimũ nauigium mercede adeptus parari iussit, ac præstò sibi esse, vt si qua vis ex improuiso adorta esset, confestim in altum abiret. Mittit interim Rhodum, qui sacræ militiæ Magistro significaret statuisse se sub publica fide in insulam ad Christianos transire, quando fraterna iniuria pressus, nullus sibi locus superessset amplius. Id non modò non negatum est, sed quia Christianæ rei tanti principis transfugium vtile videri, confestim classis in Ciliciam mittitur, quę illum ex infesto littore in altum veheret. Nonduũ Rhodię naues eò venerant, cùm Zyzimus subitò hostium accessu compulsus, naui (quam paratam habuit) subitò conscensa, imminenti periculose subduxit. Inde vbi paululum à littore progressus est, literas ad fratrem dedit sagittæ alligatas, quæ arcu violenter excussa in proximum littus est emissa. Fuerunt literæ quas ille ad fratrem dedit hoc argumento scriptæ, vt diceret: Se non fidei nec gentis odio, sed fratris iniuria subactũ, ad Christiani nominis viros fugam intendere, hos aditurum qui omnium maximè Othomanico nomini essent infensi. Vnam spem in tantis malis secum ferre, vel vt ipse iniuriæ author, vel eius filij quandoque præsentis aduersus se impietatis debitas pœnas exoluerent. Fertur Baiazethes ea epistola commotus, lachrimis temperare nequiuisse, animóq; consternato tabernaculum ingressus, aliquandiu tacitus sedisse amenti similis. erat tum Zyzimus viginti octo annos natus.

Zyzimi oratio ad Magistrum.

A Rhodijs Turca exceptus in insulam defertur, quem venientem militiæ Magister magna officiorum frequentia excepit. Postridie quam venerat Zyzimus ita Rhodiorum principem est allocutus, vt reddita domesticæ discordiæ causa, dixerit: Se idcirco conatum post patris interitum ad se imperium trahere (etsi fratre minor esset natu) quia ille ex patre nondum rege procreatus esset, ipse verò non solum ex patre rege, sed iam & Græciæ imperio adepto: fuisse tamen sic quoque cessurum se fratri, si in portionem aliquam regni ab eo fuisset receptus. Cæterùm eo consilio se Rhodum venisse, vt per ipsum Rhodiorum Magistrum, cuius fides & summa virtus in multorum ore esset, Romano pontifici & cæteris Christiani nominis ducibus insinuatus, in paternum regnum illorum auxilijs restitueretur. futurum affirmans, vt si aliquando restituicontigisset, omni tempore principum Christiani nominis amicitiam coleret, persanctéq; seruaret, omniáq; illis de se & suo imperio polliceretur. Videtur autem quod Zyzimus eo consilio Rhodum peruenerit & locum exilij delegerit, vt se in proximo sedente, quandocunq; occasio oblata esset, audacius ad res nouas amicorum animi consurgerent, haberétq; eo metu fratrem semper sollicitum, quo vt aliquando solueret sua sponte ad pacem inclinaret. Fuit Zyzimus statura procera, valetudine prospera, cæruleis oculis ac paulum obliquis, aquilo colore, naso aduncо & circa medium prominentiore, obeso ventre, compactis alioqui membris. Erat pronus ad iram, insigníscq; oculorum inconstantia quum animus fluctuaret, in fremitu vox caprinæ similis, sedatus illi seruo compo-

compositus & rarus, cibi appetentissimus, vorare verius quàm mandere, aquam 1487
saccaro infusam patrio ritu potare, caloris, algoris, & inediæ impatiens. mergere se
natandi studio marinis fluctibus enudare sine rubore corpus multis etiam spe-
ctantibus subtristis & cogitabundus videri, nec vllum lætitiæ signum dare, nisi in
Rhodij Magistri congressu. patriæ legis obseruantissimus, ac gentilium literarum
adeò peritus, vt patris historiam conscriberet. Matrem habuit ex regia Dacorum
gente, quam cum duobus filijs Memphis apud Solthanum reliquit.

Interea Baiazethes audiens fratrem ad Rhodios confugisse, vt confugij spem *Induciæ inter Turcas & Rhodios.*
auferat, Rhodiorum generositate allectus pacem cum ijs inire molitur. Missis ita-
que oratoribus (cùm semestres induciæ suasu præsidis Lyciæ statutæ essent) in-
ter quos & Achmatus Bassa fuerat, tamdiu literis Magistrum ad pacem horta
tus est, donec Rhodiorum legati cum Turca haud ignobile fœdus priusq; inaudi-
tum percusserunt: ibi Baiazethus iureiurando pro more Mahumetanæ religio-
nis adactus, sic fatur: Milites gladium ne stringito: clades inferre cauero: nec con
tinenti nec pelago armis locum dato: classem offensam salutato: negociator tuto
mercimonia exerceto: commeatus sumito: seruum profugum si in lege versa-
tur restituito: si extra legem est, viginti nummorum auri exoluito: arx sancti Pe-
tri perfugis patens esto: superstite Baiazetho principe pacem seruato. Hac
forma pace stabilita Baiazethus per legatos Magistrum Rhodi precatur, vt Zy-
zimum fratrem, quo fomes bellorum penitus tollatur, sub alis suis foueat, ac pro-
tegat, pro annuoq; sumptu pollicetur quadraginta quinque millia Ducatorum,
quos quotannis Calendis Augusti Rhodi exoluere bona fide promittit. Eas con-
ditiones Dambussius suorum consilio assumpsit, vt tempori cederet, ac ne dissidij
maior materia oriret. Eo etiam tempore Achmatus Bassa, qui Zyzimo fauere vi-
debatur, & bellum paci præferebat, arcu collum traiectus in conclaui perijt, rege
sic procurante. cum enim potens esset ac auro abundaret, regi semper suspectus
fuit, qui verebatur ne fratrem in regnum introduceret.

Sequenti tempore Zyzimus, quo tutior esset, in Galliam ad Francorum regem *Zyzimus pontifica tra ditus.*
missus fuit, licet veteri constitutione ludęi alienique à fide Christiana regno exclude
rent. Ibi in domo ordinis Ioannitarũ dicta Burgonouit per aliquot annos vixit. Cę
terum vt Baiazethes gratiam Magistri Rhodi maioremq; amicitiam assequeretur,
dextram Ioannis præcursoris Domini dono mittit. Et cum anno sequenti nimirum
1484 in Maio ingentem classem pararet, numerosumque exercitum in Italiam per
Hellespontũ mittendũ suadẽte Magistro Rhodi ac minitante si aliter faceret, fra-
trem contra se emissurum, exercitum dissoluit, iuramento adhibito. Postea multi
tegum & principum à Rhodijs petierunt, magnis muneribus oblatis, vt Zyzimus
eis traderet. Ex his Baiazethes, Mathias rex Vngariæ, & pontifex Romanus e-
rant præcipui. Baiazethes per legatos prætercætera sacrum Christi sepulchrum
cum Hierosolymis, & omni terra quæ sancta dicitur, Christiano nomini se daturũ
pro fratre pollicebat, & pariter lanceam Christi. Rex Hungariæ Mathias indubi-
tatam de Turcis victoriam pollicebatur, & Imperium Constantinopolitanum
Christianis recuperaturum. Innocentius octauus per Leonellum Concordien-
sem præsulem aureos montes promittebato mnibus Christianis, præsertim Rho-
rum ordini, itaq; eius facundia factum, vt Romam perduceretur anno 1488.

Cum Romam venisset, ibi per multos annos mansit, ac semper sub custodia mi- *Turca Vene no sublatus.*
litum Rhodiorum detentus fuit. Sub Alexandro tamen sexto, cũ Carolus 8 Fran
corum rex vrbem cepisset, ei obses datus fuit, cum duce Valentino pontificis filio.
mortuus est autem veneno, pontifice non ignorante, in vrbe Tarracina: cum enim
Alexander in Gallos esset infenso animo, omnia prius maluit, quàm res Caroli per
Zyzimum fieri meliores. Carolus enim Idibus Ianuarij anno 1495 ea conditione
cum pontifice pacem sanxit, vt Zyzimum Baiazethi regis fratrem sibi traderet,
qui in Vaticano à Rhodijs custodiebatur, vt per eum Constantinopolitanum Im-
perium reciperet. Egerat autem Baiazethes initio Gallici tumultus cum pontifice
per lite-

1489 per literas vt fratrem veneno tolleret: tum etiam rex Barbarus magnum auri pondus, si eam sibi operam nauasset, ei fuit pollicitus. Itaque Alexander (vt fert) Zyzimum Gallorum regi veneno potionatum tradidit, vt post triduum mortuus fuerit, anno ætatis 44. Hácq; ratione Turcarum tyrannus metu fratris captiui ne ei per Christianos bellum faceret, penitus liberatus fuit.

Mathias rex Vngariæ Turcas vicit.

Initio verò cùm Baiazethes imperium & paternam hæreditatem adiret, nõ modò domestici sed & externi tumultus vndiq; excitati. Nam & in oris Macedoniq; Ioannes Castriotus Scanderbegi filius, prælio apud Croatiam prosperè commisso, Baiazethi copias suis finibus expulit. Pari etiam successu Ioannes Cernouichius subita rebellione adeò Turcam perculit, vt passus sit eum obtinere, quæ post patris Mahometi obitũ armis receperat, annuo tantùm tributo imperato. Omnium verò prosperrimè rem Christianam Mathias Hungarorum rex in Turcas gessit, vt ijs non minori esset terrori, quàm olim Huniades pater. Cum enim rex declaratus esset ingentem exercitum collegit, atq; hinc inde à Christianis principibus magna auxilia impetrauit: miserat ei quoque Rodolphus comes in Vuerdenberg 19 nouus Ioannitarum per Germaniam Magister aliquot equites sui ordinis. Hisce copijs per Vngariam descendens, Turcas qui Sirmienses agros vastabant, fudit & fugauit, castra quoque ab eis possessis redemit & recuperauit. Valida etiam manu maiorem Seruiq; partem penetrauit, multa felicissimè gessit, & plurima strenui militis opera atq; præclara facinora edidit: Bosnense regnum è Turcarum manibus subtraxit, ac Castrum Iaiza munitissimum vi & armis subegit: finitima loca dedition accepit, atq; captiuos plures cum insigni & nobili triumpho abduxit. Cum etiam deinde à Turcis arx Iaize iterum obsideretur, tam cruento prælio Mathias Barbarum repulit, vt coactus fuerit impedimenta & omnes machinas in præsidam & spolia Christianis relinquere. Ideo Turca hunc regem inter Christianos solum Principis nomine dignabatur. Sabatiam postea arcem munitissimam ad littus fluminis Sauisitam strenuè è faucibus Turcarum eripuit, & licet iterum occupare annixi essent, sunt tamen ab Hungaris denuò repulsi. Quod si potestati Mathiæ traditus fuisset Zyzimus, potuisset omnem Turcarum familiam ex tota Europa ejicere & transmare repellere, id quod vnicè exoptabat.

Mamalucho-rum & Turcarum conflictus.

Baiaztehes interea bellum in Syriam contra Memphiticum Solthanum moliebatur, qui olim fratrem consilio ac donis iuuarat, atq; eius matrem & duos filios hospitio susceperat, opulenta itaque classe parata à Venetis petijt, vt in Cyprum insulam liceret classem appellere. Cum autem Venetis ea petitio suspecta esset, timẽtes ne Turcæ consilia occasione quadam reperta subitò mutarẽtur, publicè denegata fuit. Itaq; & ipsi classem pararunt, ac Franciscum Priuiolum ducem constituerunt, in omnem euentum intentissimi. cohors etiam vna Cretensium sagittariorum in Cyprum missa: postea Franciscus Naxum insulam vsq; adnauigauit, vt ex proximo Turcarum consilia cognosceret, quarum profectione audita & ipse recta nauigatione Cyprum pertendit: tum etiam Rhodij vndiq; suos equites in insulam conuocarant, atq; omnia loca diruta refecerant, ne inopinatò à Barbaris opprimerentur. Hæc cum Baiazethis duces percepissent, Lycię, Pamphiliæ, & Cilicię oras præteruecti in Syriã cum copijs peruenerunt. Solthanus verò instructo exercitu Turcis obuia progressus cum hoste manus conferere instituit: in Ciliciæ finib. ad Tauri iugo biduo est dimicatũ, vbi olim Alexand. Magnus memorabili pugna Darium vicerat. In eo loco primo die erat pugna dubia & acerrima, tum etiam locorum accolę inter pugnæ ardorem Aegyptijs commeatum omnem interceperunt, vt Turcis gratificarentur. Itaq; inopiam veriti si bellum traheretur, sequenti die in planiciem egressi, hostem ad pugnam eliciunt. Erant Turcæ numero multo plures, sed itinere fessi. centum enim millia eo die confluxisse dicuntur: Mamaluchi verò meliores equos & arma habebant. Est hic à prima luce ad noctem vsq; tanta strage vtrinq; decertatum, vt pauci pro numero eorum qui in acie steterant superfuerunt. nam ex Turcis vix tertia pars euaserat. Nec minor clades Aegyptijs contigit,

uigit, cum ex ſeptuaginta millib. qui in eo prelio fuerant, dimidium ſit deſideratum. 1491
tam obſtinatè pugnatum erat, vt neutra pars pro victa prælio ceſſerit.

Sequenti nocte Baiazethi duces per ſilētium in pacatum conceſſerunt, relictis caſtris commeatibus refertis ipſis Aegyptijs, Calumbeius etiam & Cherſeolus Turcarum duces in fuga intercepti fuerūt. Cum etiam claſſis Turcica circa oſtium fluminis Selphici ſtaret, tempeſtate maris fœdè diſiecta, miſerum ſpectaculum hoſtibus præbuit. Tanta quidem conſternatione Baiazethes ſuorum cladem intellexit, vt ignominioſam pacem à Solthano oblatam haud aſpernatus fuerit. Bellum hoc Barbarorum, in annum 1487. incidit, quo etiam Caithbeius ſoldanus obijt, atq; Mahometus filius in regno ſucceſſit. Manſit interea pax Venetis cum Baiazetho terra mariq; incolumis. Circa hæc tempora Ferdinandus quoque rex Hiſpaniarum cum Iſabella coniuge grauiſſimum bellum cum Mauris in regione Bethica (quæ Granata nunc dicitur) geſſit. Occupauerat Barbara illa gens eam terram ante trecentos annos, atque hactenus contemptis Chriſtianorum armis retinuerat. Itaque Ferdinandus qui in reliqua Hiſpania latè imperabat, pluriū annorum bello Maurorum opes oppugnauit & attriuit. Tandem etiam Ioannitarum atque aliorum militarium ordines, qui plurimas poſſeſſiones in Hiſpania habent, in auxilium vocauit, atque gentem illam Saracenicā tota Hiſpania expulit. Mele Maurorum rege cum vrbe regia in poteſtatem redacto 7. die Ianuarij anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo. Hacq́ue ratione occidentalis Europæ pars à Barbara & impia illa gente penitus liberata fuit. *Saraceni ex Hiſpania pulſi.*

Paucis interiectis annis Ottomanica claſſis iterum Helleſpōti faucibus egreſſa, non ſine magno Venetorū & Rhodiorū terrore, præter Græciæ oram vecta haud procul Corcyra tumultuosè conſedit. Baiazethus etiam rex tum ingenti exercitu terreſtri in Epyrū venit. Tota hinc bellica vis in Chimerinos verſa fuit. Tenentij arduum & inacceſſum penè locū in Acroceraunijs, eius loci incolæ ferox & indomitum genus hominum, qui cum aliquandiu Turcis tributum abnegarent, bello petiti ſunt: ſed ij terrificos hoſtium apparatus veriti, metu ſubacti ceſſerunt. Chimerinis itaq; ad imperiū retractis, Baiazethes pacatus retrò abijt, atq; cum Venetis pacem violare noluit. Poſtea maxima clades à Chriſtianis in Liburnia, quæ etiā Croatia dicitur, fuit accepta, atq; 7 millia hominum vno prælio occiſa. Conflixerant in ea pugna nouem millia Hungarorum & Croatorum, quorum regionem Turcæ aſſiduis incurſionibus vexabant, at Turcis vincentibus Chriſtianorum acies magna ex parte cæſa fuit. Vix enim duo millia media ſtrage dilapſi per ſaltus & nemora in pacatum abierunt. Victor hoſtis, vt cæſorum numerus cōmodius iniretur, nares incentium exectas baltheolisque inſertas ſecum abſtulit. Cæterum Baiazethes cum Mahometæ legis violator quotidie mero maderet, in omnemq́ue luxum reſolutus eſſet, nullum inſigne bellum ipſe, ſed tantum per duces geſſit, cum natura eſſet formidoloſus. Maximè tamen regem Francorum verebatur, cum quo Zizimus frater in Galliam redire ſtatuerat. Cum autem is veneno ſublatus eſſet, atque pontifex Alexander, Maximilianus Cæſar, Ferdinandus Hiſpanus, Ludouicus Sfortia, & Veneti nouum fœdus inierant, Carolo Franco excluſo, metu ſolutus, nihil amplius timuit. *Chriſtianorum in Croatia clades.*

Eodem tempore ſub Aegyptijs tota Syria pace fruebatur, multiq; Chriſtianorū in Damaſco alijsq́ue locis Phenicīæ negotiabantur, qui à Rhodijs militibus ſæpius eò deducti ac reducti fuerunt: cum autem domeſtica fraude Mahometes Solthanus penè regia ſede deturbatus perijſſet, omnia immurata deprehēſa ſunt. Nam Campſon quidam Ducum inter Mamaluchos ſplendidiſſimus, factione fautorum ſuorum rex ſalutatus, propemodum regiam occuparat, ſed tandē vrbe Chayro exclusus cum ala equitū Gazā peruenit, eamq; vrbem ſubitò occupare contendit. At præfectus vrbis latroni obuiā factus, cū armatorū preſidio, quod in vrbe habebat, pugnam conſeruit & victor euaſit, Campſone cum alijs 17 ducibus occiſo. Tot illuſtrium virorum cæde Gazę præfectus elatus, ambitioni quàm fidei plus indulgēs, *Motus in Syria.*

1494 regem Mahometē adíjt, victoriā illi gratulaturus, vt præ se ferre videbatur. sed re uera de occupando regno & interimendo Solthano consilium agitabat. Vbi verò de affectati regni se in suspicionē venisse, periculumq; sibi imminere intellexit, statim in Arabiā concessit, ac magnū eius gentis exercitū conflauit. ab alijs etiam nationibus ingētem militum manum coegit, atq; Chayrum cum Solthano obsidione cinxit. Latebant per id tempus in vrbe regia ac per totum Aegyptum viri fortes, qui prius cum Campsono contra Sulthanum conspirauerant, inter eos erat præcipuus Lachimarus vir strenuus & ob res præclarè gestas, magni apud oēs nominis.

Mamalucho rum discordia.

Hunc sub fide accersitum Sulthanus cum præsidiarijs, qui in vrbe & arce erāt, in Diadarum Gazę præfectum mittit, quem Lachimarus statim fudit ac fugauit. Prę fectus igitur cum octingentis equitibus iterum se in Syriam proripuit, atque Archimarem Ptolomaidis præfectum sibi adiunxit. postea in agrum Damascenum hostiliter irrumpit, ipsamq; vrbem obsedit. tum etiam Damascenos ac milites qui in vrbe erant ad deditionem exhortatus fuit. Occurrit ei Caierbeius Damascenus cum sex millibus Mamaluchis, quos illi Mahometes in subsidium misit: quod vbi præsensit Diadarus suis viribus diffidens soluta obsidione Syriæ finib. excessit, & ad Turcas confugit. Damascenus autem hoste reiecto nec ipse in fide permansit, quin vniuersa Syria cum Hierosolymis sibi partim vi partim voluntate adiuncta, ex professo fit Mahometis hostis, in eo verò temperatior quòd rex dici noluerit. Cum hoc in statu res Syriæ essent, Diadarus iterum Turcarum manu collectitia ac voluntaria stipatus, in Syriam reuertit. habebat is auxiliariorum manum ad quindecim millia, quibus fretus Ptolomaidem obsidere cœpit. Interim Sulthanus, Machometes & Lachimarus veneno extinguūtur: mox autem Gilepes Mahometis auunculus rex substitutus fuit.


Sulthani varij in Aegypto.

Is statim inito regno Tomobechum virum in bellis exercitatissimum in Syriam misit, additis illi hominum quinq; millibus, vt Ptolomaidem obsidione liberaret. Pugnatum est multis velitationibus acriter. tandem verò bellum extinctum & Syria pacata fuit, cum Tripolitana prouincia Diadaro permitteretur: qua accepta haud diu superstes fuit, sed mox quoq; veneno perijt. Nec Gilepes vltra biennium Solthanus fuit, sed mortuus lambellametem successorē habuit, hunc Cassaron, qui adhuc Campsono viuente à Mahomete defecerat, statim bello persequitur, ac totam Syriam subegit: vnde ad Cassaronis opes comprimendas Tomumbechus à Soldano mittitur, qui duodecim ducibus sibi consociatis non prius in Syriam venit, quàm cum hoste occultè fœdere inito, redactisq; aliquot ducibus in potestatem, qui ad Damascum Solthanarum partium fuerāt. Cum illi omnes in Damasco conuenissent, Tomumbechus rex constituitur. Inde copijs cōgregatis Memphim ipsam inuadunt, atq; vrbem cum arce capiunt, ipsum Iambellatum Sulthanū in vinculis conijciunt. Cum aūt regni nulla sit fide societas, Tomumbeius arcem intercepit, ac Cassaronem cum Iambellato & duobus millibus fortissimorū Mamalucho rum enecauit. hanc noui regis sæuitiam duces detestati in ipsum conspirant, ac vim illi intentant. Subita ea defectione Tomumbechus consternatus, relicta arce fugā meditatur. attamen in vrbe agnitus interficitur. Eius postea loco Ciaurus Soldanus efficitur, sub cuius auspicijs Syria aliquandiu quieuit. Cum autem Rhodij milites plurima quoq; cum Mamaluchis diuersis locis & temporibus peregerint. de ipsorum origine, progressu, & ordine pauca subijciam.

Mamalucho rum origo.

Mamaluchi lingua Syriaca (quę & Aegyptiaca, Affricana, & Maurica dicit) omniū vulgariū latissima significant ministros aut stipēdiarios, erat aūt species quędam religiosorum qui cęlibes vixerunt, vt etiā ordines militares apud Christianos. In vestimentis ferebāt amictorium ex lino candido & pellucido, oēs hi erant Christiani abnegati, aut filij Christianorum, vt & Ianizari apud Turcas: nullo aūt modo adduci poterant vt in suum sodalitium Turcas, Mauros, aut Iudæos reciperent, sed ferè erant ex Hiberis, Circassis, Colchis, Georgianis, Albanis, Iacobitis, Nestorianis & alijs Christianis ad Phasim fluuium habitantibus. Hos Tartari capiebant & turma-

& turmatim adducebant ac Emyris aut Admiralijs vendebant. Illi emptos educa- 1497
bant ac Mameluchos efficiebant. Erant omnes viri strenui, in armis exercitati, præ
sertim in re equestri, legis Mahometanæ cultores. Sicut etiam magnus Turcarum
princeps à latere suo quatuor Visir Bassas habet, sic Sulthano quatuor Emir Qui-
bir aderant, præterea Comes stabuli quem Diadarum vocant. Semper etiam ad
minimum quatuor millia Mamaluchorum in regia erant, qui ex suo numero Sol-
thanum eligebant ac sæpius quidem ex numero Emyrorum. Hęc secta apud Mem
phiticos cœpit tempore S. Ludouici Regis Francorum: qui ad Damiatam captus
fuerat anno 1220. Qui verò Sulthanus eligebatur, pro fœlici introitu cuiq; Mama-
luchorum centũ ducatos dono dabat. Primus Solthanus Melechsalem fuit, quem
Mamaluchi obtruncarunt, quæ cædes causa fuit vt S. Ludouicus facilius liberare-
tur. Sunt autem Caierbei, Campsoi, Diadari, Tonumbechi, & Bellerbei apud Ma-
maluchos dignitatis vocabula, à præfecturis locorum aut à dignitatibus milita-
ribus viris strenuis indita.



Cum huiusmodi motus in Syria essent, Baiazethus per suos duces excursiões in Carnorum regionem fecit, an. 1498. octo. n. millia Turcarum aperti hostes in Italiã ingressi per Foroiulienſem agrum, cum metu & trepidatiõe agrestium, Liquentiã vsq; prædabundi processerũt: villæ passim direptæ ac incẽsæ, multi mortales capti inq; captiuos sæuitum fuit. transmisso etiam Tiliauento flumena castrametati sunt. Veriti autem ne ab hoste includerentur, aut grauem prædam pertæsi ingentem captiuorum numerum vtriusq; sexus vno in loco fędè trucidarunt, magnãq; vim hominum abduxerunt. Croatia quoq; igne ferróq; consumpta, & crebris incursionib. penè exhausta est. Sed & regnum Polonię à Turcis vastatum, ac 60. millia hominũ inaudita crudelitate abducti fuerunt. Cum autem & Tartari idem regnum inuasissent, Poloni respirantes sese coniunxerunt, & 24. Nouembris ad sexaginta millia Barbarorum trucidarunt. Maritima dehinc classe circa Peloponesum Turca cum Venetis mira fortunæ varietate dimicauit, nunc territus manum conserere fugiẽs, nunc in portu dum aquatum vadit, intercluſus. In eo bello Rhodij milites Venetis egregiam operam præstiterunt. Sed cum naualis pugna exoritur, naues ferreis ma-
chinis conſertæ, insolubilitérq; inter se cohærentes, incendio correpti fuerunt. Eo casu plurimi Turcarum territi, ex sua naue in subiectum mare præcipitati desilue-
runt. suntq; suorum occursu conseruati. Quod si Veneti acrius institissent, de hosti-
bus procul dubio hostiliter triumphassent. sed è manibus fortuna amissa dum Tur-

Turcæ Italiã populantur.

1499. cam, qui Peloponnesi dextrum littus legebat, subsequuntur, circa Naupacti fauces iterum elabi hostem sine pugna fæde permittunt. Deinde Naupactum vrbem vetustissimã (quam hodie Lepãthum vocãt) Venetis ademit, ac regno suo adiecit.

Methone vrbs à Turcis occupata

Sequenti vere Baiazethes terra marique bellum in Peloponeso reparauit, multo validiore quàm antea classe, atq; maiore terrestri exercitu. nam 140. millia armatorum produxerat. Hisce copijs fretus Methonem terra & aquis terribili oppugnatione est adortus, æneis machinis muri disiecti, & tecta vrbis concussa, saxorũ molibus superne petiti, defensa tamẽ vrbs per plures dies fuit Methonensium fide ac virtute, Venetóq; præsidio, bisq; interim qui in vrbe erant oppugnati tãta hostium rabie, vt cateruæ militum muros subeuntium à tergo impulsæ ac in præceps actæ, fossas vrbis sua corporum strage repleuerint: manstit vtroque certamine res Christianis incolumis, repulsusque hostis à mœnibus propugnatorum virtute, ignominia & clade affectus. Interea superuenerunt tres Venetæ triremes commeatu & viris onustæ, quæ ex zazintho mittebantur. nam Veneta classis quæ illic stabat multo erat inferior, quàm vt tutò cum hoste congredi posset. Hi ergo per medias hostium stationes plenis velis ad vrbem contendunt, nec portum subire potuerunt, qui multis molibus ab oppidanis fuerat obstructus, ne eo hostis potiretur. Vi igitur sua sub muralibus vadis impacti in se totam ciuitatem illicò vertunt, ne vadis hærentes ab hostibus interciperentur: metu igitur lætitiaque variantibus, vt commeatum simul & præsidium acciperent non solum ex cæteris vrbis locis, sed ex murorum quoque stationibus ad mare concurritur. Eam hostis occasionem nactus, facto impetu prius muros transcendit, quàm ad subitum clamorem occurri potuerit. pugnatum est nonnihil in vrbe: postremo omnibus amissis cædes fœdissima Græcorum militúmq; est ædita, vrbs direpta, ac magna ex parte à Barbaris accensa fuit.

Cephalenia Venetis cessit.

Methone capta Baiazethes & Iunco deditione potitur, mox & Corone. Vbi de terrifico hostium apparatu literis & nũcijs Venetijs fuit auditum, Benedictus Pisaurius confestim cum noua classe contra Turcas missus. Huic etiam Rhodiorum auxilia addita. Eo tempore victor barbarus terra mariq; Nauplijs imminebat. Cæterũ audito noui ducis ad Zazinthum appulsu, & quod studio classem contraheret, trierarchis ex circũiectis stationibus nauarchisque ad signa reuocatis, proposito mutato domum proficiscitur. Pisaurius classem abeuntem è vestigio secutus in Hellespontum vsque extremum agmen carpendo, morataram que aliquam aut ordine aberrantium intercipiendo persecutus est: ademitque interim Barbaro hosti biremes & alia nauigia viginti & amplius, mox retrò reuersus, complures ex hoste insulas locaque maritima populatus est, ac insulam Aeginam recepit. inde Zazinthum præda onustus repetit, vbi Consalem cum Hispanorum classe à socio rege missum inuenit, an. 1500. inde Pisauri⁹ duarũ classium opib. fretus, Cephaleniã superiore anno frustra ab alijs oppugnatã multa vi iterũ est adortus. laboratũ vtrinque nõ mediocriter, magnumq; cum hoste certamen plures dies tenuit. Ad postremum dissiectis mœnibus oppidóq; vi capto, Venetus vniuersa insula potitus est.

Lesbus insula frustra oppugnata.

Paulò pòst regia quoq; Gallorũ classis ex Neapoli (quo admota fuerat) profecta oramq; Italiæ circumacta cum Rhodijs socijs per Ionium in Melum Insulam processit. Pisauri⁹ sociam classem breui assecutus, consilium cum ducibus capit, Lesbũ insulam inuadendi: huc etiam prospera nauigatione delati Mytilenem vetustissimã insulę vrbem subita oppugnatione adoriuntur, est que breui pars murorũ ima bombardis discussa. Sed dum muri disturbant, Pisaurius Tenedũ insulam adnauigauit cum aliq̃t triremib. maius quoddã negociũ secutus: breui. n. Turcarũ classis Hellespõto exitura ferebat, vt suis laborantib. suppetias ferret. hos rumores Galli duces de industria dissipandos curarant, vt per Veneti absentiã oppidum oppugnarent, traherentq; ad se omne decus captæ vrbis, cũ præda, si capi contigisset. Pisaurio igit absente signũ dat Gallis ad hostẽ inuadendũ, etsi Paul. Valatesius Veneti⁹ plurimũ rogaret amicę classis p̃fectũ, vt hãc oppugnationẽ ad Pisaurij reditũ differet. Audire hęc

sed nihilominus vrbem inuadit, atrociter Mytileneos adortus muros intrepi- 1500
dè subijt: fuit vtrinq; magnum & cruentũ certamen, ac post vulnera cædémq; mul-
torum vrbs validè ab hoste defensa est. tum Gallus spe sua frustratus soluta obsidio
ne omnẽ bellicum apparatũ imperat ad naues deferri, in altum abiturus. Superue-
nit nouo consilio Pisaurius, multúmq; hortando suadendóq; egrè tenuit, vt in obsi-
dendo hoste perseuerarẽt: ex captiuis interim cognitũ est, esse in vrbe centũ tantũ
& viginti præsidiarios milites, oppidanos 300. Christiani nominis: sunt inde per ali
quot dies muri multo validius disiecti: & iam de vrbe iterũ oppugnãda inter duces
agitabãt, quum repentè afferẽt vnam hostiũ cohortẽ aduentare Myteleneis auxilio
missam. Hos insidijs acceptos classiarij partim ferro trucidãt, partim medijs fluctib.
obruunt: qui cædi superfuerunt in deuia & deserta loca insulæ dispalati abierunt.

Recens inde oppugnatio est Mytileneos adorta, Gallis pugnam spectantib. Ve- *Rhodiorum*
neti munitiões hostiũ ferociter subeũt, estq; tãto ardore in hos itũ, vt bis miles mu- *classis auxi-*
rum ascenderit. Ceciderunt ea pugna plericq; viri fortes, plures vulnerati: defensum *lio Venetis*
& tũ quoq; oppidũ, sed dum id certamẽ adhuc hæreret, adfuit Liburnica Rhodiorũ *fuit.*
vna, quæ significabat magistrũ Rhodiæ militiæ breui cũ classe adfuturũ. Placuit du-
cib. vtriusq; classis in eius aduentũ obsidionẽ trahere: verum postridie Gallus mu-
tato consilio in altũ repentè vela fecit, Chiúmq; decreto petijt, inde digressus in fœ
dam incidit tempestatem. prætoria nauis cum duabus alijs sæuitia maris fluctibus
absorpta est. Perierunt eo naufragio 800 viri fortes, ipse classis præfectus cum 40
alijs, præter spẽ periculo seruatus est. Venetus sociæ classis auxilio destitutus, quia
nec Rhodia ad diẽ constitutũ adfuit, soluta obsidione ex Lesbo in Chiũ, ex Chio in
Parũ insulã trãsmisit, vbi classem Rhodiã offendit: hic Pisaurius apud sacræ militiæ
magistrũ multũ de Gallorũ inconstantia q̃stus est, per quos stetisse|laiebat, |quo mi-
nus Mytilene caperet, nec inde amplius cõmoratus: iam. n. bruma appetebat, ex Pa
ro in Melum insulã cursum contendit, ibi Rhichium hostium archipyratam inue-
nit, quem vi tẽpestatis in Melicum littus deiectum, insulani subitò incursu oppres-
serant. Pisaurius quia truculentus prædo plusquam hostiliter in Christianos sæui-
ret palo defixum lento igni, vt supplicium longius traheretur, torreri iussit: ex Me
lo inde profectus Corcyram in hyberna concessit.

Percrepuit interim fama nouũ in Persia Prophetã (quem Sophi dixerunt) exti- *Veneti &*
tisse, qui nõ sermone miraculisve, sed armis omnia impleret. Perculit motus ille to- *Turcæ pacẽ*
tum Orientẽ, & iam occidens quoq; longinqui belli fama personabat, Italiáq; cogi- *sanciunt.*
tare cœperat de nouo eius fauore conciliando, præsertim cũ is hostiliter Turcarum
finib. immineret. Tum etiã Nerithus insula à Venetis occupata & accepta: oppido
etiam capto fugatisq; Turcis ac plurimis interfectis & vulneratis, ingens pecunia
acquisita fuit. Fregit Sophi fama, deinde hæc insulę expugnatio haud parũ Turca-
rum ferociam: itaq; Baiazethes ad pacis cõditiones animũ flexit, atq; cũ Venetis
omnes cõtentiones finire statuit, præsertim cũ etiã populi Mediterranei ob maris
cõmercia diu propter continuũ bellũ intermissa, ad extremã omniũ rerum inopiã
redacti pacem longioris belli tædio efflagitabant. Hæc aũt ea forma fuit cõposita:
vt Venetus Nerithũ relinqueret: Baiazethes res Venetis negotiatorib. ab initio
belli adẽptas restitueret: vt Põtica nauigatio his vt antea pateret: essetq; Veneti no-
minis magistratus Bizantij qui antea fuit, suis hominib. ius dicturus: & vt res Ve-
tæ ditionis certis finib. à Turcarũ rebus discernerent. Andreas Grittus Baiaze-
thi perquã notus & familiaris ad sanciendam pacem à Venetis est Cõstantinopo-
lim missus, paxq; confecta ac subsecuta est. Similiter quoq; Turca ob Persarũ irru-
ptionem pacẽ cum Vngaris firmauit, quib. hactenus multæ victoriæ contigerant.

Prima enim huius noui seculi anno apud Persas Ismael enituit, qui Sophi & Pro- *Ismael So-*
pheta appellari voluit. Ferunt quidã ex bubulco illum prognatum, alij ex Cassani *phus Persiã*
longi sorore genitum. Is primum religione Persarum animos sibi deuinxerat. nam *occupat.*
rubro galero capite opertus, amictu rubeo incedebat: faciemq; semper tectam ha-
bebat: is more Mosis populum audiebat, ac interrogantib. respõsa dabat: iustitia &

1502 pietate multos allíciebat,adeò vt à plebe in modum terreſtris alícuius Dei veneraretur.Iubebat ís reuereri Deum immortalem quí mundum creaſſet,cuius opera viſibília eſſent ſol,luna,ſtellæ,omníſq; cæli & terræ ornatus. deuouebat Mahometũ, & ſeruum emptítium vocabat,líbros Alcorani vbiq; incendebat & deſtruebat,dícens, ſeſe verum interpretem eorundem exiſtere.Nec ignobile tantum vulgus ſed pleriq; natalib.& diutíjs clari,ſemel capti nouitate religionis, eum in ſummam virtutis & dignitatis exiſtimationem euexerant.His auſpicíjs haud dubiè in magnam ſpem rerũ gerendarum erectus,auunculo Iacuppo veneficę vxoris fraude ſublato, paternos agros & modicum illud imperiũ,quod dotale matris fuerat, repetere cogitauit,armatíſq; ſuæ ſectæ promptioríb. ingreſſus Armeniam breui paternã dítionẽ occupauit. Mox eo ſucceſſu firmior factus adauctis copíjs ad vrbẽ Símmachiã quæ in finíb.Mediæ eſt,duxit,atq; eam vi captam hoſtíliter díripuit. Inde non iam vrbes ſed Perſarum imperium animo voluens ad Tauríſiũ, nobiliſſimam maioris Armeniæ vrbẽ cõtendit,quę Perſarũ regia erat,anno 1499.Ibí portæ vrbis Iſmaeli ſtatim apertæ,expulſo Aluante Iacuppi filio:eundẽ quoq; perſecutus prælio ſuperauit,& caſtris exuit.Pari quoque fortuna vrbem Scyras in poteſtatem redegit. Mox etiam Suſſam & Sulthaníam in fidem recepit,atq; ſuam religionem vi aut beneuolentia omnibus inculcauit,inde Tygri ſuperato in Meſopotamíam tranſit,ac omnem prouínciam per deditionem accepit,Morathcamo rege excluſo.

Techellis Perſa Turciam vaſtat.

Eodem quoq; tempore Techellis(qui à rubro pileo Cuſeibas dicebat) ſeſe nouum prophetam iactitabat,atq; Hiſmaelis Sophi religionem omníb.cõmendabat. quod ſi etiam alíqui in Mahometão errore perſeuerebant eos bello proſequebat. hac ratione & Lycaoniæ & Cappadocíæ vrbes infeſtabat, atq; Turcarũ arma prouocabat,magna cõmoditate Venetorum, Vngarorũ, & Rhodíorum,quib.Baiazethes nequaquã pacem daturus vídebat,níſi Aſiatico tumultu reuocatus fuiſſet. Erat ís natione Perſa regia família prognatus,quem vitæ íntegrítas, & noua de religione doctrina illuſtriorẽ reddebant: is Iſmaelis auxílio íngentem exercitũ ex ſuæ diſciplínæ hominib.conflauit,& Turcarum fines inuaſit. Edictũ eius nomine plurib locís propoſitum erat,quo díuina humanáq; præmia his omníb. oſtedebant, qui continuò in partes trãſirent, & vulgatam antea Perſarũ religionem ſequerent. Quod ſi qui pertinacius in errore perſiſterent, eos quum gladium ſemel eduxerit, facéſq; ſuccenderit,nullum poſtea veniæ aut ſaluti locum inuẽturos. Techellis primo ad Iconium celebertimam Lycaoniæ vrbem peruenit,ac totam regionẽ popu-
latus eſt.Quib.de rebus Orchanes & Machometes Baiazethis nepotes moti coactis copíjs in aciẽ deſcenderunt:ſed illí à hoſte fuſi fugatíq; ſunt. Techellis inde per Galatiam infeſto exercitu in Bithyniam contendit,atque non longè à Sangarío flumine Bellerbechum Aſiæq; prefectum cum inſtructis copíjs obuium habuit.Erat in Turcarum exercitu incondita peditum multitudo ex Paphlagonia, Galatia, Bithynia,& Ponto ignari militiæ, & magna ex parte inermes,vt ferè ſunt qui imperati vrbib.& oppidis inuíti militant,atq; vno nomine Aſappi à Turcis nuncupantur. Virtuti aũt veteranorum equitum ſummopere confidebant, quorũ opera ſi aduerſi quicquam accíderet ſe ceſſurum prælio,& ſigna ſeruaturum arbitrabatur.

● *Turcæ à Perſis prælio victi.*

Ex aduerſo Techellis, cui robur totũ in pedite erat,nihil ſpei in fuga habere, ſed in ſuorum virtute victoriam collocare. Admonebat etiam milites, forti animo eſſent: quod ſi enim res ſucceſſura ſit, mox & Venetos, & Rhodíos alioſq́ue Chriſtiani nominis príncipes contra communes hoſtes Turcas arma ſumpturos, vt tota Europa pellerentur, idq; ei promiſerunt,atque clam armis & pecunia præſenti tempore ſubſidia tranſmiſerint. Hæc quum diceret, tota acie horrendus clamor ſublatus eſt,ſtatímq; concurſum.Bellerbechus peditatum in medio, equites in cornibus collocauit,quibus hoſtilem aciem circumueniret. Techellis autem vno corpore atq; vno impetu quadratã ſuorum aciem induxit,& equites (quos Iſmael paucís antè dieb.miſerat)in ſubſidio reliquit.Nõ tulere Aſappi impetum neq; aſpectũ Techellini exercitus, nanq; in fronte quiq; optimè armati conſtiterant, & pileata acies

acies vno colore rubro conspicua, quòd tota cruore conspersa videbatur, tyronibus & imperitis hominibus formidinem intenderat. Ita quum vix horæ dimidium Asappi prælium sustinere potuissent, tota media acies cæsa fugatáq; est. Equites Turcę qui in latera hostium vtrinq; magno impetu incurrerant, tametsi multos sagittis lanceisq; confixerant, atq; ordines aliquantum turbarant, quod pedites loco excedere & procurrere cogebantur, nihilominus quum deuictis Asappis Techelli ni in cohortes atq; manipulos sese diduxissent, & cominus prælongis hastis equos petere cœpissent, & ipsi continuò in fugam conuersi sunt. Persæ equites, qui spectatores pugnę fuerāt, è subsidijs in fugientes turbatósq; inuecti, multos protriuerunt, longiúsq; progressi Bellerbechum sistentem fugam circumuenerunt, cepissentque ni á fortissimis stipatoribus periculo exemptus fuisset. Equites paucis amissis sibi fuga consuluerunt. Asappi supra septem millia interfecti, præterea omnia pedítum signa, & vis ingens commeatus intercepta. 1504

Techellis quietè vnius diei militibus data, ad vrbem Cutheiam (quæ ad Hormi nium est) exercitū duxit. Ea vrbs totius minoris Asiæ vmbilicū tenet, Anatolięque Magistri equitum sedes est, sicuti in Europa (quæ Romania dicit) apud Sophiam Mœsiæ vrbem alterum Bellerbechum considere videmus. Fama enim erat magnas opes propter munitionis opinionem, eò à finitimis vrbibus in ipso terrore belli fuisse comportatas. & cognouerat Bellerbechum se ex fuga in eam vrbē cum nobilissimis equitum contulisse. Igitur Techellis dignam eam vrbem ratus quæ aliquo periculo peteretur, tormenta minora quæ bello ceperat & sagittarios idoneis in locis collocat, vt propugnatores destinatis ictibus è muro pellerentur. Deinde comportari scalas, & tota acie pronunciari iubet, omnem prædam militum fore, his verò qui primi conscenderent sese maiora præmia tributurum. Ea spe mutorum subeunt, nulla vi hostium, nulla telorum multitudine, nulla mortis metu deterrentur, quin certatim scalas aut conscendant, aut per confragosa muri alij alio rum innixi humeris connitantur. Superne verò ingentia saxa, ardentes faces, & toto passim muro feruentis aquæ, calcis, ac harenæ vis ingens in subiectos continuè voluebanť. Nec in tanta certaminis iniquitate, quum multi ipso molarium pondere comminutis scalis, laceri, exanimes, atq; omnibus denicq; incōmodis conflictati è muro præcipitarenť, quisquā tamen in eo periculo tot ingruentibus telis pedem referebat, ignauiæ enim virtutisq; militum testes spectatoresq; aderāt Bellerbechus atq; Techellis. hic ne irrito incœpto abscederet ira ac pudore accensus: ille vt dignitatem, salutē, ac omnes denicq; fortunas suas in eo discrimine tueretť, pari animo ducis atq; optimi militis officia implebat. Tandem fessis & magna parte saucijs propugnatoribus quum Techellis integros milites, qui prælium exciperent ac vulneratos reuocarent, continuè submitteret, facto impetu duobus simul locis per aceruos cæsorum in vrbem peruaserunt, obtruncatisque propugnatoribus, ac refracta porta omnem exercitum introduxerunt. Inde per omnes domos miserabilis Turcarum cædes ædita, expugnatumq; eodem impetu prætorium, quò se cum famillia Bellerbechus receperat. Dux ipse cum vxoribus captus, & prætorium secto marmore & nobili structura insigne concrematum.

Cutheia vrbs expugnata.

Cutheia capta & Turcarum spolijs ornato exercitu, Techellis in animum reduxit expugnari posse Prusiam Bithyniæ caput, si priusquā hostiū vires coalescerēt, aut ciues perterritis omnibus aliquid consilij pro tuēda patriā capere possent, ipse confestim eò contēderet, & in ea fortuna studio atq; ardore militū vteretť. quamobrem indicta profectionis die militib. imperauit, vt corpora curarēt, scalas, arma telaq; pararent, quibus opulentissimam vrbem nec mœnibus tutam, nec vllo præsidio firmatā, hostium opinione celerius aggrederenť. Hęc parantē nouus Turcarū exercitus, qui nuper ab Gallipoli per Hellespontū in Asiam traiecerat, à proposito oppugnandæ vrbis auertit. Namq; Baiazethes multū antea ad Techellis nomen, & ad Persicę religiōis famā excitatus, filijs, nepotibus, ac Bellerbecho Asię prefecto scripserat, vt pararent arma, & nouæ superstitionis initia opprimerēt, darentq;

Turcarum apparatus contra Techellem.

1506 operam ne quid detrimenti in ea prouincia caperetur. Postquam verò Thechellim ex heremita imperatorem factum, innitíq; eum haud obscurè Persarum viribus, & audere bello Asiam vidit, Halybassam cum Europeis copijs eò emisit. Erat Halybassa genere Macedo tametsi Eunuchus, virtute tamen fortissimis hominibus comparandus, qui sub Mahomete multis fortibus factis militarem gloriam, atque optimi ducis nomen adeptus fuerat. Is deducto flore equitum ex Epiro, Macedonia, Mæsia, Illyrico, & Thracia, ac adiunctis sibi prætorianorum lanizerorum septem millib. ex Chersoneso in Phrygiam profectus est. in itinere Corchuto & Achomati Baiazethis filijs scripsit, omnibúsq; equitum præfectis, quos Sanzacos dicunt, vt quam maxima possent celeritate copias compararent, & in Galatiam progrederentur.

Techellis retro cedit.

At Techellis de aduentu hostium certior factus, excedendum Ponto, ac sibi omnino multis de causis in pacatam regionem redeundum existimauit, ne coeuntibus vndiq; Turcarum copijs circumuenirentur, néue cogeretur iniquissima belli conditione dimicare. Namq; nec tutum iri, nec pacatum quicquam, si vel paruam aliquam moram traheret, se habiturum arbitrabatur, quum tantum terrarũ à tergo relinqueret, tot hostiles vrbes, tot flumina, tot infestos populos, quæ omnia paulò antè primus hominum fauor victoriæq́ celeritas aperuissent. Igitur re ad consilium delata, quod præfecti omnes tantulis copijs sine iusto equitatu cum eo hoste, qui & locorum notitia & genere ac numero militum longè superior erat, prælio decertare summę dementiæ, aut extremæ necessitatis consilium esse censebant, collecta præciosiore præda ab Horminio per Galatiam citatiore itinere regredi cœpit. At Halybassa, cui vt statim in Asiam ventum singulis propè horis à prouincialibus de abcessu itinerèq; hostium literæ pernicibus tabellarijs afferebantur. cognita eorum profectione Sangarium flumen superat ac transuersis itineribus rectà iter Cutheiam & Ancyram, qua transituros hostes coniectura iudicabat, pergit. Inde cum minimum tempus aut naturæ desiderio, aut lassitudini militum tribueret, quintis castris ad Caraassar in plana Galatiæ peruenit, & nouissimos agminis hostium fessos vulneribus debilitatos interfecit. Ibi Techellis vt hostes atroci spectaculo ædito aut demoraretur, aut à persequendo deterreret, Bellerbechum quẽ vinctum trahebat, media in via sequentibus spectandum palo infixit. Nec Halybassa horrendo clarissimi viri interitu permotus, quicquam tamen de celeritate sibi remittendum existimauit, quin milites consolatus vt æquo animo itineris molestiam ferrent, ac paululum annitterentur, vt supplicium sumerent de immanissimis latronibus, qui euastata prouincia, nec impuberibus quidem, aut deorum templis pepercissent, sequente die in Ancyreorum agrum descendit. eo ipso die Achomates quoque cum decem millibus virorum vt vires iungeret, superuenit.

Persarum & Turcarũ conflictus.

Quamobrem Halybassa, qui nec continuo quidem cursu magnis itineribus antecedentem toto exercitu consequi poterat, iniquo animo ferens sæuissimum hostem è manibus elabi, insistere ijsdem fugientium vestigijs cum expedito equitatu constituit. Itaq; relictis pedestribus copijs, & Achomati commissa exercitus cura, cum octo millibus equitum abeuntes citatissimo cursu persecutus, extremum eorum agmen ad Olygam montem qui ab Amyra parum distat lacessere, & inito acri prælio perturbare cœpit. Techellis qui in ædito idoneum locum castris paulò antè ceperat, tametsi lassitudine & æstu torrentis solis exanimatos esse milites intelligebat, nihilominus cum æquissimo in loco cum solis equitibus sibi rem futurã sciret, cõuerso agmine ac constitutis pro natura loci & temporis exiguitate suorum ordinibus, Turcarum impetum egregiè excepit. Inuectos equites prælongis hastis sagittisq́ summouit, apparebátque hastatum peditem phalange facta, insultãte equitatu, nec cessurũ loco, nec indignũ quicquã superiore victoria cõmissurum, nisi Halybassa mille amplius sclopetarios equites induxisset, qui per vices alij alijs turmatim miro ordine succedentes plumbeas glandes in confertissimos hostes spargerent. Qua procella cum magnus eorum numerus sterneretur, neces-

necesse fuit phalangem soluí. Inde hastati equites, qua dissipatis cęsisq; militibus densa & stabilis ea acies laxabatur, vehementiore illati impetu cedendo sternendóq; totam prope primam aciẽ deleuerunt. Techellis in media suorũ strage vbiq; conspicuus, quod vnum in tantis malis remedium relinquebatur, ex promptissimis & optimè armatis nouam aciem facit, eámq; à nouissimo agmine in frontem ductam, equitatui opponit, & iubet pronunciari vt milites pleno gradu pugnando in colles sese recipiant, eo consilio, vt milites timore adducti, non metu ipso sed iussu Imperatoris id facere viderentur. Ita existimare naturę loci diffisos hostes vrgendi insequendiq; finem esse facturos. 1507

Halybassa primo prælij successu ferox, haud dubiè iam inclinata victoria equites cohortatus, ne spacium euadendi in montem fugientibus relinquerent, premendo, vrgendóque instarent, ac breuissimi laboris operam, qua bellum vel vno eo prælio finiretur sibi ac Baiazethi imperatori præstarent. Hęc proclamans cum globo equitum per mediam hostium aciem perequitauit, vt cæteros accenderet, ac sibi non deesse virilem animum insigni virtutis facinore ædito testaretur. quod quum speciosius quàm pro disciplina iterum eodem ardore fieri posse confideret, intercluśus & in medio circumuentus interficitur. Cæso Halybassa puncto temporis prælij fortuna commutata est. Nam Turcę qui dudum pulsis stratisque hostibus acerrimè prælíabantur, ducis morte perterriti remittere pugnandi ardorem, sensim cedere, ac demum conuersis equis pugnæ loco excedere cœperunt. Ex aduerso Techellini qui plus spei in loci munitione ac montibus quàm in armis atque virtute posuerant, auctis noua spe animis, & in segni iam pugna collectis viribus procurrere, truci vlulatu victoriam conclamare, & hostem in fugam vertere. Ira fortissimi equites pugnę atque itineris labore confecti, quum fessis & fluentibus sudore equis persistere non possent, insignem certámque victoriam, quam dux ipse virtute partam morte postea temeritatéque corruperat, reliquerunt. Techellis tametsi nec refici equos nec in patentibus campis tutò consistere hostem posse, si vestigijs insisteret, sperabat, orbatus tamen suorum promptissimis, atque vniuerso exercitu inedia, vigilijs & vulneribus affecto, in Olyga monte conquiescere statuit. Inde paucos post dies trans Halym flumẽ ductis copijs ad Tasciã & in Rubra demum saxa se recepit, non procul ab vrbe Celenis quã Marsya amnis medíam interluit, hodiéque Maras Aladoli principis regia vocatur. Turcæ verò vlti magis iniurias, quàm plenam adepti victoriam ad Achomatem, vbi signa & prætoriani milites Ianizari erant, redierunt. *Turcarum strages.*

Nec multò pòst Iunusbassa summæ virtutis Epyrota qui magnum in militia vsum habere dicebatur à Baiazethe delectus, cum imperio ad exercitum venit. Is statim, quum sibi copias omnes Achomates tradidisset, in Cappadociam profectus, dextrorsum ad Antitaurum iter flectens paucis diebus ad Tasciam peruenit, vrendóque ac vastando passim vniuersum agrum, sub montis radicibus castra posuit. Habebat Iunusbassa supra quadraginta millia equitum & peditum. præterea magnum numerum currulium tormentorum, ingentémque vim omnis generis commeatus. Quo apparatu territus Techellis, quòd nulla auxilia ab Hismaele aut Christianis mittebantur, quòd nullam tormentorum copiam haberet, quòd clade ad Olygam accepta saucios consternatósque metu milites, tantæ multitudini hostium obijcere miserrimum putabat, montibus ac syluis se tenere constituit, sperans, si munito in loco cunctaretur aut ventura interim Persarum auxilia aut temeritate hostium non omnino iniquam pugnandi occasionem aliquando hinc sibi defuturum. Interea singulis diebus haud satis digna memoratu prælia varijs in locis conserebantur. Nánque Turcæ explorando quæritandóque faciles aditus circumuecti montes, sæpius acclíuis collibus ad hostes perueniebant. Techellini contrà syluis euolabant, & è præruptis locis, quæ ipsi in castellorum speciem communiuerant, acerrimè *Copiæ Turcarum auctæ*

depu-

1508 depugnabant. Tandem quum diu quotidiana consuetudine veluti per lusum leuibus prælijs vtrinq; vires tentarentur, animaduertere nonnulli milites itinera duo, non omnino difficilia, per quæ haud anguſtis callibus exercitus sub signis duci posset. Iunis bassa loci naturam contemplatus eodem tempore hinc Asappos, illinc Ianizaros cohortatus erigere aciem in colles non dubitauit, qui perardua leni gradu prætentis scutis aduersus hostium missilia subeuntes magno animo ingentem telorum multitudinem sustinuerunt.

Techellis fuga in Armeniam.

Hostes autem occupatis æditioribus locis veluti è propugnaculis tela omnis generis proijciebant, & maiores lapides prouoluebant. Sed directis in eũ locum minoribus tormentis ab ea munitione deturbati celerrimè locum reliquerunt, quum signa scutatósque valida sclopetariorum manus sequeretur, & veluti grandine effusa tota acies obrueretur: móxque Techello receptui canente in interiores nec munitiores syluas se condiderunt. Sequenti nocte Techellis non ignarus quantum sibi authoritatis ac virium ex aduerso certamine decessisset, extinctis ignibus cum magno silentio saleti excessit, & per aduersos montes in minorem Armeniam descendit. Nec prius illorum fugam Turcæ senserunt quàm albescente iam cælo, exploratores qui saltum ingressi, impedimenta & paucos semianimos inuenerant, renunciauere euasisse hostes, eósque præcipiti fuga petere minorem Armeniam. Quod quum Iunisbassa ex captiuis etiam cognouisset impotenti ira gemens frendénsque, quod non statim ab victoria saltum omnem indagine clausisset, equitatum qui abeuntes sectaretur plurimis itineribus emisit. nequicquam tamen persequuti hostes, quod Techillis notis tramitibus rectà in Armeniã properabat, paucis in itinere captis ad ducem redierunt. Pulso Techelle Iunisbassa per omnes minoris Asiæ vrbes intensissima exquisitione habita quos Persicæ regionis cultores inuenit, omnibus tormentis excruciatos interfecit. his verò qui bello minimè interfuissent, neq; arma tractassent, inussit frontem, vt stigmate defectionis titulum præferrent, quos protinus cum affinibus atq; propinquis eorum, qui secuti Techillim fuerant, in Europam traduxit, sparsitq́ue per Macedoniã, Epyrum & Peloponnesi oram, ne si Techillis, qui ad Hysmaelem in finibus Scytharum bellum gerentem confugerat, copias comparare alias & bellum renouare vellet, coirent rursus, & nouas res noua defectione molirentur.

Terræmotus Constantinopoli.

Cum Baiazethes hostem ex minori Asia deturbasset, iterum consilia inire cœpit de Rhodo insula inuadenda, quæ suis copijs maria infestabant, atq; Turcarum hostibus oblata occasione auxilia ferebant. sed Dei mirabili consilio res aliter euenit. nam 14 septembris anno 1509 grauissimus terræmotus Turcarum vires plurimum prostrauit. is octodecim continuis diebus murum Constantinopolitanæ vrbis, qua parte mare spectat, cum omnibus adiacentibus ædificijs disiecit, fossatum ruderibus impleuit ac terræ æquauit. Arcem in qua Gazophylacium imperatoris quam in viuario nutriuntur, destruxit. Cuniculos qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in vrbem euehunt, maximis & laboribus & impensis fabricatos ita concussit, vt ingenti thesauro reparari vix potuerint. huius autem maris intra Constantinopolim & Perã violentia terræmotus adeò infremuit, vt in vtramque ciuitatem mare vltra muros aquam inijceret. Domus verò tributaria iuxta muros Constantinopolis tota in mare decidit, vt nullum ibi vestigium maneret maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruit, in Calliopoli munitissima arx penitus rupta est, nec vlla domus illic integra permansit. totámque Græciam ad Danubium vsque sic terræmotus longè latéque peruagatus est, ita vt calamitas illa ad Insulam Rhodum quoque pertingeret. Feruntur Constantinopoli tredecim millia hominum tum obruta crudeliter perijsse. Ex familia primi Consiliarij, qui Mustapha dicitur, trecenti & sexaginta homines cum equis interierunt. Gaia alter Bassa fertur innumerabiles homines equos & iumenta amisisse. Sic & Albæ

Bassæ

Bassæ domus cum iumentis coquis ac hominibus fulmine & terræmotu cum omnibus bonis absorpta est. 1509


Terræmotum hunc maxima quoque pestis subsecuta, quæ Bizantium ruinis fœdatum etiam funeribus impleuit. Hisce periculis Baizethes territus belli consilia omisit atq; à Calligero monacho Græco sene admonitus, ab pestilenti maris ora in saluberrima Thraciæ loca concessit, egitq; complures menses sub Rhodope monte apud Hadrianopolim, vbi quum minime prospera valetudine vteretur, nec dolore pedum & senecta inualidus munia Imperij obiret, de successore deligendo cum purpuratis & familiaribus agere cœpit, diffisus maximè filiorũ ingenijs, quos præpotentes ferocésq; de imperio dimicaturos arbitrabatur, nisi sese superstite in principatum vnus ascisceretur, qui conciliato fauore militum opportunas regni arces, pecuniam publicam, classes & exercitus obtineret. Vnde etiam grauissimũ intestinum bellum inter patrem & filios, & postea quoque inter fratres exortum, quo durante Rhodijs & alijs Christianis pax concessa, vt suo loco ordine explicabiť. Illud etiam hoc loco notandum quòd eo terræmotu Christianorum templa ac in primis Sophiæ ingens ædes illæsa permanserunt. præterea calx & cæmentum quo beatorum imagines post captiuitatem vrbis à Turcis coopertæ fuerant, ita seorsim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte noua iam primũ suo splendori essent redditæ. Paulò prius antequam hæc fierent magna mutatio in Hispania facta. Nam Philippus Maximiliani filius Ferdinandi regis Hispaniarum vxorem duxit, & omnia soceri regna obtinuit. is verò 17 septembris anno 1506 immatura morte obijt & Carolum ac Ferdinandum filios multorum regnorum hæredes reliquit. *Rhodiorum quies vnde.*

QVINTI LIBRI FINIS.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MARIque fortiter gestarum,

Liber Sextus.



Octo linguarũ Priores apud Rhodios.



VM hoc modo Barbari in Asia inuicem infestis animis decertarent, Rhodij equites domi alta pace viuebant, atq; in omnem occasionem intẽti, aliquoties Turcarum naues pyraticas intercipiebant. quin etiam in varijs Europæ prouincijs per idoneos sui ordinis equites domos suas administrabant, atq; magnas opes cumulabant, vt aliquando neruus belli superesset, si Turca pacem cum Barbaris conficeret, & Rhodum inuadere proponeret. Accidit autem eodẽ tempore vt Guido de Blanchefort (qui Emerico Damboisse successerat) sacræ militiæ ordinis princeps, magno omnium luctu moreretur. Itaq; funere peracto comitia indicta de nouo Magistro constituendo. Sunt autem huius ordinis octo linguæ iuxta varias Europæ nationes constitutæ, quarum singulæ magistrum habent, quem eius

eius linguæ Priorẽ nominãt. Inter has Gallica prouincionalis est prima. hęc habet 1510
Priorem cui commendatores Prouinciæ & finitimarum regionum subsunt. secun
da est Auernorum. tertia Francorum qui in Francia Occidentali circa Lutetiam
habitant. quarta Italorum omnium maxima, vt sola ad 300 circiter equites habeat.
quinta Hispanorum ex Arragonia. sexta Anglorum. septima Alemãnorum: cui &
Bohemi, Vngari, Croati & Dalmatæ sunt coniuncti. licet enim illi quoque prio-
res Maiori cruce vtentes habeant, tamen Alemãnię priorem nunc Imperij Roma-
ni principem respiciunt. Octaua est Hispanorũ ex Castilia. Hi priores prouincijs
suis pręsunt, & iuxta linguarum ordinem totius ordinis principem priore mortuo
eligunt. Præter hos sunt & alij priores passim in Christianorum prouincijs constitu
ti, vt pote Tolosæ, Rupelli, in Lombardia, Romę, Venetijs, Pisis, Capuę, Messinę,
in Catalonia, in Castilia, in Nauarra, & in Portugalia, qui ordinis Commendatori-
bus in suis prouincijs pręsunt. Sunt etiam aliqui officijs conspicui, vt Marischalcus,
Hospitalarius, Admiralius, Bailiuus, Thesaurarius, & Cancellarius. Hi ex suis
prouincijs subinde nouos aliquot adolescentes nobiles ferè 20 annos natos ad Or
dinis supremum Magistrum transmittunt, quorum virtus à suis Commendatori-
bus in publicis conuentibus iam antea approbata fuit, id quod etiam suis literis
demonstrant. Illi Rhodum (aut postea Melitam) venientes & crucem petentes
in numerum equitum Ioannitarum recipiuntur, præstito iuramento, quod Casti-
tatem seruare, obedientiam præstare, paupertatem amare, contra infideles semper
pugnare, atq; ordinis & Reipublicæ Christianæ vtilitatem promouere cupiant &
velint. Ibi postea per quinque annos agentes & circiter 50 ducatos stipendia ex
publico ærario habentes munia iniuncta strenuè perficiunt. ac tandem in patriam
reuertentes Domui alicui ex sententia summi Magistri præficiunt. Eius loci pro-
uentu annuo viuunt, sed sortem aut substantiam dissipare non licet. Quod si e-
tiam Prior alicuius prouinciæ discesserit, ferè ætate proximus (quem Bailiuum di
cunt) authoritate summi principis & aliorum priorum & ordinis equitum substi-
tuitur. Is rebus in sua prouincia præest, atq; aliquoties suorum conuentu habito or
dine de singulis inquirit, quid omnibus in locis factu opus sit. In primis verò pro-
uidet, vt certa pars prouentuum per publicum Receptorem in Insulam ad Ordinis
principem transmittatur.

Comitiorum ergo die præsente ex omnibus prouincijs Priores & alij huius or- *Fabritius Carretanus ordinis princeps electus.*
dinis equites magno numero Rhodi conuenerunt, inter quos etiam Ioannes ab
Hatstein 21 Alemãnię prior fuerat, qui nuper Ioanni Heckenzer officio succesſe-
rat. Vetere autem Rhodiorũ more vbi æqualia sunt suffragia in potestate primi ma
ximiq; equitis est, qui ad id eligitur, renunciare, vtrum ex duobus maluerit. De-
liberatione ergo habita Fabritius Carretanus pluribus suffragijs 42 Magister &
princeps Rhodiorum magna omnium gratulatione electus & renunciatus fuit.
Is autem ratione voti nulli præsulum pręterquam Romano pontifici subiectus est:
sed ratione dominiorum & possessionum etiam Romanorum Imperatorem atq;
Hispaniæ aut alios reges, in quorum regno degunt vt protectores honoribus pro-
sequuntur, sic etiam Rhodij equites suis Magistris obedientiam præstant. Prædi-
xerat autem iam prius Dambussius, cum Fabritij in oppugnatione Rhodiana vir-
tutem conspiceret, futurum aliquando vt rerum apud Rhodios potiretur. Itaque Fa
britius principatu adepto socios hortatus est, vt sese armis, & commeatu munirẽt.
sibi enim non dubium, Turcarum rabiem tantam esse, vt in ea propinquitate vix
laturi sint, quod quieta possessione huius insulæ vtantur, fruantur, idq; ipsos quam
primùm re sensuros, cum Baiazethes aut eius filij externis armis aut etiam mutuis
& intestinis bellis non impedirentur. Quod se attineret nihil omissurum, quod ad
patriæ defensionem facere videretur, omnémq; operam impensurum, vt Turcarũ
arma ad alios Barbaros diuertantur, aut vt in mutuam perniciem miserè ruãt. Tum
etiam quisq; suam operam fidelem sunt pollicti. Rebus postea ordinatis & com-
positis, multa gratulatione quisq; in suam prouinciam redijt.

1511 Eodem tẽpore supererant Baiazethis tres filij, Achomates, Corchutus, atq; Selymus, quorũ qlibet regnũ post patris obitũ ad se trahere exoptabat. Achomates ætatis prærogatiua bellis & pacis artib. Asiæ populos, principes aulę, & patris animum occuparat. Corchutus ob mite ingeniũ, sapientię studia, & q̃d ante 30. annos in regiũ soliũ collocatus, patri Imperium tradidisset, idem à patre promissum repetebat. Fecerat. n. Corchutus idem nolentib. ijs qui ei sceptrum obtulerant. vnde etiam liberalitate patris mox Lycia, Caria, atq; Ionia cũ nobilissima Asiæ ora ab Attalico sinu Phoceam vsq; cesserunt. Porro Selymus maiores spiritus gerens, quàm vt priuatam vitã duceret, liberalitate, astu, comitate, bonis malisq; artib. ad imperium contendebat: nec etiam maximum bellum & paternũ regnum affectanti sturdia lanizerorum deerant, qui cuncta bellico tumultu misceri malebant, vnde opes & honores consequerent, quàm sub sedato principe otiosam vitam transigere. Is rumor cum ad Baiazethẽ peruenisset, qui Achomatem sibi successorem nominare destinarat, filios pari ambitione ad imperium festinãtes suis sedibus ad se vocauit. Primus omniũ Selymus classe in Ponto cõparata ab Trapezõte vrbe Theodosiam adnauigauit, adijtq; in eadẽ Chersoneso Mahometẽ Tartarorũ regem, cuius filiam iam antea inuito Baiazete vxorem duxerat. Eum detectis suis consilijs obsecrat, ne sibi genero in summa rerũ occasione deesse velit: docétq; quanta sibi spes adipiscẽdi imperij ab amicis prætorianisq; militib. proponat, si propius accedat, patrémq; de trãsferendo imperio cogitantem aut arte conciliet, aut ducto in Græciam exercitu armis deterreat. Tartarus collaudatis eius consilijs ex, suis regionibus, quæ ad Tanaim fluuium existunt, copias cogi & classem parari iussit: tum quindecim millia equitum armata & Selymo tradita.

Filiorũ Baiazetis ambitio.

Selymus cõtra patrẽ exercitum ducit.

His properè confectis, Selymus Boristhene superato per Vvalachiã profectus, apud Cheliam vrbẽ equitatũ omnem Danubium traducit. Classem verò ad Varnæ portã conuenire iubet. Ipse alias ex itinere copias conscribẽs, simulando aliud, expeditionẽ in Pannoniã edicit. Hæc cũ Baiazethes percepisset, timere cœpit, ne hęc omnia contra se pararent. Enimuero inquieti turbidiq; hominis ingeniũ callidus pater perspectum habebat, vel ex eo maximè q̃ se inscio insolenter vxorem sibi è Tartaris ducendam iudicasset, ac summa demũ arrogantia exercitũ terra & mari comparasset. Attamen eius ferociam dissimulatione magis leniendam quàm eo tẽpore contumelijs exagitandam existimans, oratores ad eum mittit, qui doceant, quanto cum periculo Turcæ superiorib. annis ea bella tractauerint, vt Machometes auus exemplo esse possit. Ad hæc Selymus respondit, se Achomatis iniurijs extimulatũ Asiam reliquisse, atq; in Europam transiisse, vt amplioris ditionis prefecturam, pro angusta & sterili & tum ex Inducijs pacata, ex hostili prouincia sibi armis vindicaret. Quod verò Hungaros tanquam insuperabiles bello minimè lacessendos dicerent, iam omnia apud illos esse mutata, cum Vladislaus dispar ingenio & virtute Mathiæ successerit. Legati postea patris nomine munera addebant, quibus ferox animus molliretur. nam Samandriam (quam Hungari Scanderouiam vocant) validam Mysorum vrbem, & complura oppida eius regionis veteri eius imperio adijciunt, & sexaginta aureorum millia ei numerãt. præterea lanceas addunt & sericas vestes mille numero, magnamq́ue vim commeatus, quibus rebus contractos milites donaret ac aleret, ne spe prædæ domo excíti grauiter ferrent, si absque munere dimitterentur. Selymus muneribus acceptis ambiguo responso suspensos legatos ad patrem remisit.

Baiazetes frustra conatur Achomatem regem constituere.

Interea Baiazethes hisce causis permotus, ad id q̃ multo antea proposuerat descendit, atq; regem & successorẽ se dicturũ profitetur qui (se annis confecto) tãto imperio præesse posset. Ea cum per quatuor Bassas, qui bello pacéq; proximũ regi locum obtinẽt, prætorianis militib. deferrentur, extẽplò ab omnib. ordinib. reclamatum est, se nullum alium q̃ Baiazethẽ regem velle, cuius auspicijs amplius 30 annos meruissent. Intolerandum quoque cunctis videri, quod præmijs per interregnum dari solitis, ex ipsa externæ religionis hominum prædas odioso eius insoliti facti

facti prę iudicio. milites fraudent̃. Namq; mos est vt defuncto statim principe Iudęi 1512
& Christiani expositi Turcarum iniurijs, qui Bizantij, Peræ, Hadrianopoli Thes-
salonicæ, Prusiæve mercaturæ causa degunt, à prætorianis per tumultum mercimo
nijs omniq; substantia spolientur, prędæq; habeantur. Neq; prius milites sacramen
to rogati in verba noui principis iurant, quàm is omnem prædam donatiui nomi-
ne concesserit, & per caput suum (quod maximum apud Turcas iusiurandum exi-
stimatur) affirmarit, se nullam ex sontibus petiturum pœnam, atque omnem eius
maleficij memoriam abolituru. Baiazethes postquam omnibus suis consilijs mi-
lites aduersari vidit, quinquaginta aureorum millia prætorianis se diuisurum polli-
citus est, si Achomati fauerent, neque ius dicendi noui regis impedirent. Illi autem
pertinaciter negabant, ac vberiora prędmia sperabant, si pro temperato principe pa
cis impatiens ad Imperium eueheretur.

Selymus ab amicis certior factus quanto studio prętoriani patris conatib. obsti- *Selymus fru*
tissent relictis Pānoniæ finibus exercitúq; in Thraciā ducto, non longè ab Hadria- *stra cum pa-*
nopoli loco edito consedit, vnde castrorum fremitus exaudiri, & tētoria è summis *tre collo-*
vrbis tectis conspici poterāt. Inde ad patrem Selymus nuntiū mittit, cum per mul- *quium petit*
tos annos patrem non viderit, se desiderare in eius cōplexum venire antequā Tra-
pezontem petiturus mare trajiceret, statueret ergo colloquij diē. Baiazethes per-
spectis eius cōsilijs aliquot Sāzacos cum delecto equitatu è proxima Græcia præ-
sidio acciuerat, & custodias in vrbe disposuerat, timens ne milites è filio deprauati
ab se penitus abalienarent̃, spem omnē colloquij tollēdam indicauit. grauiter ergo
Selymum incusauit, quod alienam prouinciam introductis copijs occupasset, & ar
matus colloquiū petijsset, proinde eum rectè facturū, si Thracia Europáq; excede-
ret, & dimisso exercitu in Pontum reuerteretur: si faceret, eum patris gratiam habi-
turū, si in incœpto pergeret, se eum non pro filio sed hoste declaraturū. Legatis di-
missis Baiazethes sequenti nocte cognoscit Selymū motis castris recta Byzantiū
petiturū. his cognitis Bizantio Imperij sede timens, prima luce & ipse eò proficisci
statuit, discedēte Baiazethe Selymus vrbē Hadrianopolim ingredit̃, recreatóq; ex-
ercitu, maioribus itineribus Byzantiū contēdit, vt patrē antecederet. Vix dū Baiaze
thes ad vicum (cui nomē Chiurlus) peruenerat, quū à suis conclamat̃ adesse hostiū
antecursores, eósq; nouissimas ordines carpere, & iā lacessendo postremū agmē de-
morari. Pater noua re pturbatus, ne q̄d fugę simile profectio videret̃, statim signa &
exercitum consistere iubet, eo proposito si filius acrius instaret, vt acie decertaret.

Duces qui aderāt, Selymo callide fauētes, non pbare consiliū imperatoris, quod *Baiazethes*
leuitate filij adeò permoueret̃, vt prælio rem cōmittēdam existimaret, funestissimā *prælio de-*
enim victoriam fore, si filiū superaret, si verò pater succūberet, miserrimā conditio- *certare sta-*
nem cū vniuerso exercitu subiturū. Huius sententiæ erat Mustaphas & Bostanges *tuit.*
ex purpuratis pręcipui, qui Bassæuisir dicebant̃, q etiā Ianizaros ad suas partes tra-
xerant. Vnus omniū Cherseoglis Bassa Imperatori socero fidelis Selymi impoten-
tiam, supra fas & æquū insolescentis, retundendū vi armisq; censebat. Huic Cherse-
chius Illyricus pater spōsam adamatā præripuerat, atq; occasionē dederat, vt ad Ba
iazethē Byzantiū perfugerit, qui illū ob virtutes suscepit, inter Bassas euexit, & fi-
liam vxorem dedit. Huius igit̃ viri adhortatione Baiazethes cōfirmatus, è taberna
culo prodit, atq; ad Prætorianos circūfusos orationē habuit, plenā animi pristinęq;
virtutis. qua ratione permoti ex Ianizerorū ordine gregarij milites conclamare cœ
perunt, ne dubitaret prælij cōmittere, & suam fidem experiri, idq; tanta alacritate
vt voce, manibus, & telorum crepitu, se fortissimā operam pręstaturos significaret.
Hos cæteri eodē clamore insecuti sunt, qui prius animo in Selymū inclinarant. Vn
de etiam Mustaphas & Bostanges è prætorio discedunt, ad cohortandos milites &
aciem instruendā, vt & ipsi suū studiū erga Imperatorē simularent. Baiazethes ve-
tō ob pedum dolorem curru vectus, sic aciem Cherseoglo consilio constituit. San-
zacorum equitū sex millia præcedere, prætorianas verò nobilium alas, quas Spa-
chioglanorū vocant, à dextra Lævaq; prætoriæ phalangis Ianizarorum (vbi ipse

1512 erat)latera ſtipare iubet,præſidio autem impedimẽtis quatuor equitum millia reliquit.Ex aduerſo Selymus Tartaris in vtroq; cornu, Turcis autem in medio collocatis, lunata acie paternas copias ferè vndiq; circumplexus impetum fecit.Tartari quum ad hoſtẽ intra ſemiſtadij ſpaciũ peruenirent, agminatim more ſuo in gyros magnos orbéſq; introrſus vacuos coronæ modo decurrẽtes(vt aduerſi auerſiq; pariter ſagittarent)magnã vim ſagittarũ vniuerſę prope aciei ſuperfuderũt,cũ inſigni vtiq; Turcarũ equitũ & equorũ maximè detrimẽto,quũ Tartari,q; introrſus à prima ipſorũ acie ſunt,non rectà in hoſtẽ,ſed in cœlum ſagittent,vt ſagittæ grauiore impetu ponderéq; decidentes, inermia capita & nudos equorũ clunes ex alto feriãt. Sed veterani equites Sanzacorum vſu edocti elatis ſupra capita ſcutis veluti in cohęrentẽ teſtudinẽ conſtipati,eum ſagittarũ imbrẽ conſtantiſſimè pertulerũt,cõcitatiſq; eqs & intẽtis haſtis ad cõgreſſum manumq; venire properarũt. Neq; Prętoria nus eques occaſioni defuit,quin in mediã Selymi aciẽ vbi Turcæ equites erãt inueheret,atq; ita repẽtè factũ eſt, vt tria prędia trib. in locis vno tẽpore ſim ularderent.

Baiazethis de filio victoria.

Pugnatum eſt à meridie ad occaſum ſolis Selymo multis in locis prælium reſtituente longéq; omnium acerrimè fortiſſiméque pugnante.Sed quum fugę initium iam ortum eſſet ab his Tartaris qui ſclopetariorum procellam & crepitum (pauefcentibus præſertim ipſorum equis & retrò vel inuiti s ſeſſoribus cedentibus) ſuſtinere nequiuerant,reliquæ acies quin fugæ ſe darent, neque imperio neque minis inflictis etiam vulneribus contineri potuerunt,atque ita pedites ferè omnes, quos Selymus Ianizerorum cultu armauerat,ab equitatu victore vndiq; circunuenti trucidatiq; ſunt.Selymus vbi fuſas proſtratáſq; copias videt,quod vulnere accepto tardabatur in recentem equum illatus ereptúſq; periculo à turmis Turcarum ſuorum, quæ ſuperfuerant, Tartarorum ante abeuntium veſtigijs inſtitit.Nec multo pòſt victores ſcilicet ſubſequi & iam adeſſe ratus, cũ paucis incitato perniciſſimi equi curſu Varnam perfugit. Equus is atri coloris Carabulo dicebatur.Huic poſtea Selymus tanquam emerito vacationem dedit,ac ſine ſeſſore ſola ex textili auro ſtragula tectum ſecum in varias regiones circumduxit, atq; tandem mortuo ad Mẽphim ſepulchrum condidit.Selymi copiæ media ex parte deletæ fuerunt, Baiazethes verò tantùm ſexcentos deſiderauit, ſed ſcythicis ſagittis amplius tria millia hominũ vulnerata reperit.hoc autem detrimentum mox ſumma crudelitate expiatum fuit: omnes enim captiui in medium producti eo iubente trucidantur. Ab hac memorabili pugna Chiurleus pagus antea obſcurus nobilis factus eſt, præſertim cum paucos poſt annos Selymus quoq; ibidem peſtifero morbo correptus deceſſerit.

Achomates à patre hoſtis iudicatus.

Victoria illa parta Baiazethes Byzantiũ rediit ac primò militib. munera diſtribuit:poſtea coactis ad opus circiter 15 millibus ſeruorum mœnia vrbis terręmotu multis in locis collapſa reſtituit,deditq; operam miteſcente peſte,vt incolis reuocatis priſtina deſertæ vrbi frequentia redderetur: interea Achomates ſenior filius cũ 20 millibus armatorum per Galatiam ac Bithyniam Scutarium venit, atq; poſitis contra Byzantium ad littus caſtris, expectabat quid pater à tanta victoria conſilij caperet.frequentes etiam nuntios in vrbem mittebat ac patrem ſummis precibus rogabat,vt maturè quod deſtinarat imperium traderet. Baiazethes etiam facile eò inclinabat:protinus quoq; patefacto conſilio triremes exornari iubet, quibus Achomates Bizantium adueheretur. Sed milites & Selymi fautores iterum refragari, ac Baiazetem ſe ſolum imperatorem agnoſcere dicebant. Hac militum conſternatione Baiazethes ſpe ſua deiectus Achomatem monuit, vt in prouinciam ſuam rediret, donec melior conficiendæ rei occaſio præberetur. Achomates ſpe ac opinione fraudatus nouis precibus minas addit, atque ſeſe dignitatem ſuam armis vindicaturum patri denuntiat. Tandem tamen ira ac dolore inflammatus diſceſſit, & Amaſiam rediit:ibi verò magis ac magis repulſæ ignominia extimulatus minorẽ Aſiã occupare ſtatuit. Itaq; filijs ſuis Amurathe & Aladino ſibi coniũctis totam prouinciam inſtructo exercitu percurrit,& ſeſe Aſiæ regem declarauit. Si qui etiam ſeſe non ſtatim dederent bello crudeli perſecutus eſt. Inde progreſſus in

Lycaoniæ

Lycaoniæ & Cilicię fines Mahometem fratris filiũ per literas hortatur, vt sibi auxi- 1512
lio esse velit. Mahometes verò id quod petebat negare, nisi aui Baiazethis literis
id facere iubeatur, ad quem summa imperij respiciat. Itaq; Achomates exercitum
in fines eius duxit, regionem vastauit ac Mahometem viuum in potestatem rede-
git, consiliarios verò eius interfecit.

Cum Baiazethes hæc percepisset, Legatos ad Achomatẽ misit, ac bello desistere *Selymus cũ*
& captiuum liberare iussit, si secus fecerit, bellum indicauit. Verùm is ira æstuans *patre in gra-*
legatum in conspectu iugulare iussit, & patris amicos ante vesperam castris exce- *tiam redijt.*
dere voluit. Ea res maxime Baiazethis animum exulcerauit, atque omnibus Præ-
torianis consentiẽtibus Achomatem hostem pronunciauit. At quum belli dux in-
signis eligẽdus esset atq; ea cura maximè ad Bassas pertinere videretur, cœpere o-
mnes illum honorem aspernari, atq; indignum testari, vt seruí auspicijs Imperato-
ris filius oppugnaretur, milites quoq; nihil se aduersus regiam prolem ausuros prę-
dicabant, nisi aliquis ex Ottomãnorum domo copijs præficeret. Aderat tum quo-
que Corchutus Baiazethis medius filius Byzantij, qui philosophico studio operã
dabat, atq; artes militares negligebat. Itaq; solus Selymus supererat, q in tãta patris
ætate Achomati obijci, & bello præfici posse omnes clamitabant. Vnde proceres
Imperatori suadent filium ad se reuocet & huic bello præficiat, vt tandem pax in
regno constituatur. His artibus mali consultores seni persuaserunt, vt sua manu ad
Selymum scriberet literas, quibus priorem ei gratiam polliceretur, deferretqúe co-
piarum imperium si Bizantium quàmprimum veniret, & aduersus Achomatem
in Asiam proficisceretur. Selymus nullam profectioni moram fecit & modico e-
quitum comitatu Bizantium peruenit, à Corchuto fratre & primoribus aulæ ma-
gna pompa exceptus. postera die in Prætoriam venit supplexqúe pedes patris ex-
osculatus temeritatis suæ veniam postulauit, ac à mitì patre impetrauit: nec multo
post militare concilium indicitur de Imperatore contra Achomatem deligendo.

Selymus statim multis imperatoriũ nomen deferentibus, summo astu reluctrai, *Selymus Im-*
cœpit, negare se Corchuto fratri qui ætatis honore prudentiáque præstaret ante- *perator Tur-*
ponendum, se postquam paternam gratiam recuperarit minimo quoque loco *carum.*
contentum fore. Corchuti etiam familiares, qui omnem spem suam in Selymi &
Prætorianorum discessu collocauerant, eum rursus hortari & orare, vt eas partes
susciperet, quæ sibi strenuò ac rei militaris peritissimo absque vlla fratris contu-
melia deferrentur. Extemplò tum nonnulli milites magnis acclamationibus non
ducem eum modò sed regem Imperatorémque salutant, & properè arma corri-
piunt, quibus perfidiam suam tuerentur si meliores dissentire vellent. Selymus de-
precanti similis, quasi delatum imperium abnueret & patris reuerentia permoue-
retur, modò se commendare militibus donatiuumque polliceri, modò duces ora-
te vt ad patrem pergerent, curaréntque vt postquam ea mens exercitus foret, im-
perium sibi sine turba & tumultu libenti animo traderet. Mustaphas etiam ad pa-
trem legatus constitutus: is Imperator, inquit, milites tui Selymum & ducem &
Imperatorem in concilio salutarũt, postulántq; vt id ratum habeas, facturi mox im-
petum in regiam, vt te méque trucident, nisi imperio cesseris. Baiazethes metu &
ira perturbatus, respõdit: Siccine perfidissimi me tandem proditis? habetote prin-
cipem parricidam, daturi mox vindice Deo perfidiæ pœnas. Mustaphas reuersus
ad prætorianos, nulla de Baiazethis iracundia mentione facta, dixit: Baiazethes
imperio cedit, & Selymum sibi successorem decernit. Ea vox omnium auribus ex-
cepta & approbata fuit: mox etiam Selymus in equum sublatus per celeberrimas
vrbis regiones deducitur, & rex ac imperator acclamantibus cunctis salutatur. Eo
etiam die milites sacramento adacti in verba Selymi præeuntibus ducibus iuraue-
runt. Tum verò Corchutus solutis occultè triremibus Phoceam rediit.

Baiazethes quoque consilium secedendi cepit, & cum familiaribus Byzantio *Baiazethes*
excessit, precioſiore suppellectile collecta, petiturus Dimetoceã Thraciæ vrbem, *veneno sub-*
latus.

1513 amœnitate hortorum cælicq; temperie exilio opportunam. Sed quum acerbissimis curis agitatus animus eum deficeret, & affectæ corporis vires dilaberẽtur medio itinere statui tabernaculum iussit, vt valetudinem quietè curaret. Ibi septuagesimo sexto ætatis suæ anno ab Hammone Iudæo medico, qui iussu Selymi salutiferæ potioni venenum miscuerat, interficitur. hac ratione Selymus sibi imperium confirmauit, atq; patris thesauros ingentes in potestatem redegit. Is ergo paterno funere in vrbem Byzantium delato, sub pietatis specie iusta persoluit, & sepulchrum cælati operis erexit, ne cui imperium & vitam inuiderat supremos quoque honores inuidisse videretur. Inde pecuniam quæ in ærario erat recognouit, diuisitque militibus pro donatiuo vicies centena millia aureorum, & quo magnitudinem animi perpetua liberalitate testaretur, ad veterem stipendij summam in singulos dies equiti quatuor, pediti duos argenteos addidit. Nec multo post ad bellum Asianum sese præparauit, vt Achomatem fratrem imperio deturbaret. progressus etiã ad Ancyram vrbem ea æstate nihil memorabile gessit. Achomates enim viribus suis diffidens in Armeniam minorem & montana Cappadociæ concesserat, passim fidem populorum implorans, milites, arma, & pecuniam comparabat.

Turcarum cum Christianis inducię.

Exacta æstate Selymus in Bithyniam redijt, dimisso q́ue equitatu ad loca maritima Europæ, & Prætorianis Byzantium reuerti iussis, ipse cum cæteris Prusiæ hyemare constituit. quo tempore quum totus in Achomatem imperij æmulum atroci animo deferretur, ne sibi in Asia bellum gerenti quicquam hostile ab Europa timendum foret, cum Venetis pacem ijsdem legibus quibus eam Baiazethes pater sanciuerat confirmauit, & cum Vladislao Pannoniæ ac Sigismundo Polonię regibus veteres inducias ad aliquot annos extendit. Egit etiam cum Rhodijs equitibus vt quiescerent, neque suos hostes aliquo modo sustentarent, partim minis partim promissis petitioni additis. Nec multo pòst Selymus, quum nullam pro firmando imperio suspicionem etiam de pueris superfluam existimaret, quinque egregiæ indolis adolescentes fratrum filios necare iussit, inter quos Mahomethes erat quem paulò antè ad Larandam captum Achomathes audita morte Baiazethis dimiserat. Postea de Osarne Alensciaci & Zilibo Mahumeti, duobúsq; adhuc tenellis, pariter supplicium sumptum. Nec tot propinquis vno furore absumptis immitis animus ab crudeli rabie conquieuit. nanq; vt Othomannorum sobole extincta vacuam sæuitiæ suæ domum faceret, reliquos ex omnibus Baiazethis nepotibus Amurathem & Aladunum per insidias interficere cogitauit. Recesserant illi nuper Amasiam, qua vrbe à Selymo superiore æstate pulsi fuerant: itaque ad eos opprimendos validam equitum manum delegit, qui magnis itinerib. Amasiam contenderent, adolescentésq; imparatos comprehenderent. sed Mustaphas consilij particeps, tot insontium puerorum cæde permotus, per celeres tabellarios eos de aduentu equitum certiores fecit. hinc factum vt equites illi in insidias præcipitati facile trucidati & capti fuerint. ea postea Selymus ex liberatis captiuis intellexit, ac Mustapham inauditum interfici, & cadauer nudum in publicũ abijci iussit. Eadem immanitate etiam Corchutũ fratrẽ Magnesiæ philosophiæ studio incumbentem tollere statuit. Verùm Corchutus ab amico de periculo certior factus relicta familia cum duob. seruis ad mare tendit, vt aliquod nauigiũ in littore nactus in Cretam adueherẽt, aut certè vel piscatoria naucula Rhodum perfugeret. Cæterùm Selymus improuiso suo aduentu omnes exitus ei præclusit, & fratrem nullo resistente cepit, atq; Prusiam perductum laqueo strangulauit.

Selymus parricida suis inuisus.

Vere appetente Achomates magno exercitu comparato ab Amasia mouit, atque Prusiam contẽdit, vt Selymum solis suorum cędib. intentũ in hybernis opprimeret, præsertim cũ is Prętorianis ob parricidia inuisus esse cœpisset. Itaq; peditatu subsequi iusso, ipse cum quindecim millib. equitum in Galatiam peruenit: adierant etiam Ismaelis Persarum regis magna auxilia. Cum autem amici ipsum vocassent vt celeriter Prusiam aduolaret, antequam Selymi copiæ vndique conuenirent,

rent, literę eorum interceptæ fuerunt, ex ijs Turca & fratris aduentum & suorum 1513
perfidiam mirabili fortuna cognouit. Vnde necatis ijs qui literas conscripserant, gemma eorũ ad obsignãdas epistolas vtit, scribitq; interfectorũ nomine ad Achomatem, vt maturaret, pficisci, peditatúmq; relinqueret, modica enim equitũ manu Selymum opprimi posse, si se celeriter amicis conspiciendũ daret. Achomates fide literis adhibita celeriter equitatu Horminium peruenit, & in ripa Parthemij amnis castra fecit: tum etiã Selymus Prusia egredit, & Sinambassam cũ valida equitũ manu pręmittit, ad cognoscẽdas & tentandas hostiũ vires. Illi verò matutina caligine decepti, in iniquũ locum delati sunt, vbi Achomates, pspere cũ ijs conflixit, ac ad mille equites occidit, cæteróscq; præcipites in fugã cõuertit. Nec tamẽ Selymus eo detrimento perturbat, sed protinus ad Elatam flumẽ castra promouit. idem etiam Achomathes victoria lætus præstitit. Intererat flumen inter bina castra & à speculatoribus vtrinq; certus hostium numerus referebatur, neq; tamen Achomates cõ specta magnitudine periculi, vt saluti suæ maturè consuleret fatali insania correptus adduci potuit, ita vt fortuna eum obijcere periculis videretur.

Inclinante sole Selymus exercitum Elatam traducit, ac milites corpora curare, & in sequentem diem arma ad pugnam parare iubet. Prima etiam luce aciẽ instruit in cornibus omnem equitatum collocauit, ita vt in dextro hastati omnes, in læuo sagittarij & sclopetarij essent, in media verò acie Ianizaros & Asappos constituit. Ex aduerso Achomates duo tantũ agmina posuit, & primos in dextrum hostium cornu procurrere iussit. Eorum primũ impetum Selymiani magna constantia exceperunt. sed quum ad gladios ventum esset, pulsi turbatiq; cedere & in suos ruere cœperunt, id Selymus statim conspicatus læuum cornu inducit, & sclopetarios in locum hastatorum succedere iubet: ipse quoq; prætorias cohortes producit, quarum aspectu totum hostium agmẽ terga dare coactum est. Achomates desperatis rebus aufugiens dum saluti serò consulit, in fossam quam pridiani imbres aquis cænóq; compleuerãt, labente equo præcipitat. Ibi agnitus à militibus & comprehensus vt se statim interficerẽt impetrare non potuit, quẽ Selymus iam antè neci destinatum sequẽti nocte ijsdem carnificibus, qui Corchuthum cęteróscq; necauerũt, tradidit. chorda arcus elisis ceruicibus interfici iussit. Amurathes in itinere à Persis de fortuna patris & prælij euentu edoctus, Amasiam redijt, atq; inito de fuga consilio cum Aladino fratre, ipse cum equitibus Persis traiecto Euphrate ad Ismaelem confugit. Aladinus verò in Cilicia Amano monte superato, vt ad Campsonẽ Gaurum Aegypti regem se conferret, in Syriam profectus est. at Selymus secundum eam pugnam breui omnem minorem Asiam in potestatem redegit. Mox reuersus Bizantium paucis post diebus, quod ibi pestis recrudesceret Hadrianopolim concessit, vbi reliquum æstatis atq; hyemem venationib. intentus cum suis transegit.

Achomates victus & occisus.

Interea Sophus Hismael à Persico oceano ad Seruanorũ fines atq; ipsum Caucasum montẽ & per Hircani maris Meridionalem oram, ad Coraxenos omni regione perdomita, Zagathaisq; Tartaris (qui olim fuére Bactriani & Sogdiani ad Oxum Iaxartẽmq; flumina pertinentes) sæpe per tres annos acie superatis in Armeniam reuersus est. Ibi Amurathem Turcã apud Taurisium obuium habuit, auxilia aduersus patruum implorans. Hismael dignum fama sua ratus, si adolescentẽ ad se profugum reciperet, bono animo eum esse iussit, & vt ampliore spe confirmaret filiam ei in matrimonium collocauit. Postea primo statim vere Amurathem cum decem millibus equitum ad Harsengam superare Euphratem, & in Cappadociam peruadere iubet, vt cognitis prouincialium animis atq; exploratis hostium viribus, de tota belli mole certiora consilia sumerent. Vstaoglum verò apud Persas clarissimum ducem cum valida parte exercitus Amurathem vnius diei itineris interuallo subsequi imperat. Ipse in Armenia cum maiorib. copijs substitit, ne rei frumentariæ angustia laboraret, quũ per loca sterilia incultáq; amplissimus exercitus ducẽdus foret. Amurathes quidẽ ex improuiso per minorẽ Armeniã Cappadocię fines ingressus quũ tentatis amicorũ voluntatib. quędã oppida recepisset, quędam

Persici belli cum Turcis occasio.

1514 igne ferróq; vastasset, magnum toti prouinciæ terrorem intulit: quo metu iniecto deficientibus passim populis Amasiam vsq; peruasurus esse videbatur, nisi Chendemus vir bello egregius, quem Asiæ præsidio Selymus reliquerat, Persis cuncta bellico tumultu miscentibus, ad Sebastam cum magnis copijs occurrisset.

Selymi de bello deliberatio.

At Selymus qui toto eo anno egregium ac maximum bellum dignãq; ausibus suis expeditionẽ ingenti animo secũ ipse volutarat, diu incertus Pannoniam, aut Rhodum vnicum fortunę suę obstaculũ, an ipsam Italiã discordia labantẽ afflictãq; tot bellorum incommodis terra mariq; inuaderet. Nàm Iulius 2 pontifex ingẽs ibi bellum excitarat, ac ad Rauennam 27 die Martij anno 1512 ingenti prælio á Gallis superatus erat. Verum Turca oblata occasione Persici belli ad Orientem secon uertit. Scripserat enim Chendemus ad Selymum antea de apparatu aduentúq; hostium, quum eos Euphratem superasse per exploratores cognouisset. Vnde Selymus ab Hadrianopoli in Asiam profectus, magno metu Christianos præsertim verò Rhodios equites liberauit, qui indies Tyranni oppugnationẽ expectabãt, ob varios belli apparatꝰ & militũ delectus hinc inde habitos. Is omnes copias Prusiæ conuenire iusserat, habitisq; summa celeritate lustrationibus, supra quadraginta millia Asapporum peditum armauerat. Postea & equitatum maximum & legiones Ianizarorum coniunxit, ac tricesimis castris Argsengam peruenit. ibi iunctis cum Chendemo castris, in maiorem Armeniam penetrare constituit, præsertim cum Amurathes ad Vstaoglum regressus esset. Cum autem maximæ difficultates essent, quæ hanc expeditionem impedire viderentur, præsertim Aladuli potentia, qui viarum angustias in singulos aditus forti militũ manu occuparat, Chendemus suadere cœpit Selymo, vt in Cappadocia subsisteret, exercitũ reficeret, atq; ibi hostium aduentum opperiretur. Verum Selymus ira commotus cuncta suis consilijs administrari volebat, atq; per pacata & infesta properare contendebat. Hanc suam sententiam cum Prętoriani approbarent ac senem Chendemum veluti ignauum reprehenderent, tanq; à Persis pecunia corruptum, ipse præpostera crudelitate præceps Chendemum inauditum & vera monentem interfici iussit, vt cæteros ab simili dicendi libertate deterreret.

Aladuli regnum.

Postea promotis castris in fines Armeniorum & Aladulorum peruenit, vbi per legatos earum gentium reges (qui tum in armis erant) hortatus est, vt communi secum consilio bellum aduersus Persas susciperent. se enim perfecto bello ipsis omnem agrum & proximã regionẽ quam de hoste cœpissent, in præmiũ nauatæ operæ concessurum. Reges qui Hismaeli pariter ac Selymo infensi erant, propter finium iniurias, respõderunt: quas ipsi copias contraxissent ad sui prędidiũ comparasse. nec se tanti esse vt sui iudicij putarent discernere, quis nam iustiorẽ belli causam sequeretur. Cæterum si absq; maleficio duceretur exercitus, & munita itinera, & commeatus ingresso maiorem Armeniam præbituros. Selymus sua spe deiectus dissimulandũ in præsens existimauit, ne ambigue fidei reges in tergo pro hostibus esset habiturus. Igit Selymus è Scordiscis profectus octauo die ad Moschios monte peruenit, ita in Orientem itinere directo, vt à læua Minor Armenia, Aladuli verò regis fines iuxtáq; decurrens Euphrates à dextra relinqueret, quousq; ad Periardem montem peruentum fuit. Ibi Selymus ad fluminis Araxis fontem castra fecit, ac velocissimos equites exploratum vndiq; emisit, qui aliquos intercíperent, ac vbi Hysmaelis exercitus consedisset intelligerẽt. Verum ibi omnia desolata offendentes, post biduũ absq; rerũ cognitione reuersi sunt. Itaq; Selymus ingenti cura anxius suspectare insidias, timere inediã, horrere solitudinẽ, & memoria volutare quæ senex Chendemus prædixerat. sed tñ vultum alacrẽ impauidúmq; militib. ostentare, q̃ constãtia ꝓsperos rerũ successus militũ animis pollicebat: mox etiã coactis vię ducib. supra Choim oppidũ exercitũ ꝑ Araxim fluuiũ in Armeniã deduxit.

Selymi & Hismaelis cõgressus.

Vix Selymus exercitu traducto castra posuerat, quum Vstaoglus, qui cum Amurathe in loco idoneo substiterat, ad hostẽ profectus est, ne hostis eo oppido potitus confectum fame exercitũ, omnium rerũ copia recrearet. Nec etiam Sophus, quan-

quanquam maiorem copiarũ partem aduersus Coraxenos Hyrcani maris accolas tumultuantes paulo antè prẽmiserat, vt qui Turcas despiceret, nec eos in Armeniã venturos arbitrarẽt, audito Selymi aduentu, in castra venire cunctatus est. Fortè tum Vstaoglus cõtra oppidũ castra locauerat, quum sub aduentũ Hysmaelis Turcarum exploratores conspecta pulueris nube, auditísq; equorũ hinnitib. adesse hostem senserũt, idq; cum suis indicassent, magna lętitia passim in castris exorta, cum omnes indubitatã victoriã sibi pollicerent, præsertim cum vulgato morbo ex pomorum aggrestiũ succis ventres fluerent, atq; milites timerẽt, ꝙ ne viso hoste ipsis moriendum esset. Hismael vt in hostiũ conspectũ venit, suorũ virtuti & fortunę cõfisus, ad Selymũ caduceatorẽ & legatos misit, ac nunciauit Armeniã non esse ambigui iuris, sed sibi pertinere. ꝓinde mirari cur infesto exercitu in prouinciã venerit. quod si fortè tantũ soli terrarũq; iure suum futurũ existimet, quantũ sibi ꝓmotis armis victoria pepererit, arma pararet & in crastinũ diem suas atq; alienas vires periclitareꝫ. Selymus ad ea respõdit, extare recentẽ iniuriarũ memoriã qua iuste ab Othomannis aduersus Persas arma sumerentꝫ, in primis verò cum Amurathẽ fratrem hostem & Cappadocię prędatorẽ susceperit, quem si amicè sibi traderet, fore vt in proprios fines cum copijs reuertereꝫ. si verò id facere negligeret, ferro igneq; Armeniam & Persidem vastaturũ: dimisso caduceatore vterq; se suis castris cõtinuit. 1515

Sequenti die Selymus suorum hortatu copias in patentem locum eduxit, instructáq; acie ad hostem contendit, qui duobus millibus passuum inde aberat, existimans Hismaelem nullam moram esse facturum, quin prælio decertaret, qui verò Persarum numerus, quod equitum genus, quæ arma, quæ tela gestarent facile reperire non poterat. nullus enim Persarum inuentus qui ad Turcarum castra transfugerit, quum multi quotidie á Turcis ad Persas transirẽt. Selymus qui octuaginta millia equitũ eo die habuit, in dextro cornu Cassembassam Europei equitatus pręfectum, in læuo Sinambassam Eunuchum cum Asiatico equitatu cõstituit, antecedentibus Acanzis (qui sunt volũtarię militiæ equites) ex vario gentiũ genere, spe prædæ ad bellum excitis: media acies Asappis peditibus data, quorũ vilis semermisq; turba (tanquam nullius propè iacturę) hebetandis hostiũ gladijs primo sem per cõgressui obijcit. Post Asappos tormẽta recta frõte dispositа sunt, additis præsidio quatuor millib. equitũ. Ipse in subsidijs cum lectissimo equite prætoriano omnibúsq; Ianizaris, paulò editiore in loco constitit, duplici corona tormentorum atq; impedimentorũ circumuallatus: nam camelos clitellatos, longa cathenę serie inter se nexos, ita in orbẽ sibi de more circumdederat, vt speciẽ validæ munitionis ęquarent, quo veluti vallo septus & laborantib. suis opẽ ferre, & si quid durius accideret veluti ab arce cum flore militũ omnem hostiũ impetũ sustinere posset. Monuitq; Asappos, vt quum primũ hostiũ equitatus appropinquare cœpisset, diducta acie celeriter in vtranq; partẽ secederẽt, vt spaciũ emittẽdis tormẽtis relinquereꝫ. *Turcarum acies ordinata.*

Ex aduerso Ismael, qui per transfugas cuncta hostiũ consilia explorata habebat, vocatis ad se ducibus, docuit nullius prope negotij esse victoriam, modò ꝓcellam tormentorũ effugerẽt. Quod se facile consecuturũ pollicebaꝫ, si equites, quũ scindi Asapporũ aciẽ vidissent, vt ipsi intenti paratíq; soluto statim ordine in duas alas abscederẽt. Itaq; duo maiora vexilla ꝓposuit, alterum prętoriũ, quod certo in loco cum robore equitũ statuerat, alterũ quod cum reliquo exercitu Vstaoglo attribuit. Habebat Hismael ad triginta millia equitũ absq; vllo pedestri subsidio, in qbus fuê re supra decẽ millia cataphracti, viri fortes, bello exercitati, & nobilitate illustres. Iis insignes equi erãt operoso chalybe tecti, & cassides ad ornatũ terrorẽq; cristatę: prętерea acinaces & more nostro clauæ ferreæ, atq; hastę solidiores. Cętери apertis ac longis galeis & ferreis thoracibus muniti, vel maiore arcu vel lanceis fraxineis (more Hispanico) ad mediã hastam comprehensis vtebanꝫ. Cæterũ apud eos nullus tormentorũ apparat⁹, quo certè vno Turcis impares erãt. Sed tantũ spiritus tantúmq; virtutis Persarũ animis inerat, vt despecta hostiũ multitudine & cõtẽpto tormentorũ ꝑiculo, pręliũ cõmittere nõ dubitarẽt. Hismael ergo dato signo vniuersũ *Hismaelis exercitus.*

agmen

1516 agmen promouit, milites cohortatus, vt diu ante partam rei militaris laudem memoria retinere vellent, ac se imperatorem suum, quem pluribus secundissimis prę-liis maximũ oriẽtis regem constituissent, in hostes vadẽtem imitarent: occursuros in acie inermes Turcas leui tantũ hasta & scutis vtẽtes, quorũ equi statura humiles, strigosi & fame enecti ne primum quidem impetũ cataphractorũ essent toleraturi.



Horrendum Barbarorũ prælium.

Ab altera parte Selymus puluerem aduentantis hostilis exercitus conspicatus, per duces præfectósque tota acie pronunciari iussit instare prælium: quo si egregiè dimicarent, victis gentium victoribus, Otomannicum imperium à Perlico Oceano ad Caucasum montem essent prolaturi. Quod si quid ex pristina virtute remisissent, putarent nullam effugij spem superesse in ea vastitate camporum immensisque desertis. Aut enim fœdè moriendum, aut perpetuò Persarum fœminis cum ignominia seruiendum. quando post tot terrarum spacia, & rapidus Euphrates & Tauri iuga, & infidus Aladulus occupatis angustijs omnem spem redeundi in Cappadociam victis abstulissent. Cum appropinquasset Hismael, & ad propositum signum Asappi ordines aperiret, subindéque falcones medio interuallo disploderentur, diducto statim equitatu in dextrum cornu impetũ fecit, tanto suorũ ardore, vt quũ asperrimum inter semiermes Turcas & armatos egregiè Persas cõtractum esset certamen, obtruncato ante alios Cassembassa primis cælis, ac mox alijs fusis profligatisque, totum id cornu vsque ad subsidia vbi substiterat Selymus propulerint: parte alia Vstaoglus non paruo à tormentis accepto incommodo, quod tardius ab eo periculo sese atque alias suas explicarat, Asiaticos inuasit, ibi acri cõmissa pugna magnam cędem hostium edidit, sed non eadem fęlicitate qua Hismael. namque dum inter primos acerrimè pugnaret, sclopeto ictus occubuit, quo casu Turcarum animis redditus vigor, ita vt qui iam pulsi loco supra tertiam partẽ suorũ amiserãt, redintegrato certamine, cataphractos egregiè sustinuerint, & oppositis sclopetarijs, quibus maximè Persarum equi terrebant, eos vno agmine in Asappos pręcipites egerint. Persę sine necessitate compulsi, quod detrimento accepto ducem amiserant, atque equos tormentorum fragore & tonitru territos regere non poterant, si-

ue quod

ue quod apertum latus Asapporum meliorẽ rei gerendę facultatẽ ostendebat, con 1516
uersis turmis per transuersos pedites perruperũt, quibus magna strage cæsis protritisq; ad tormenta peruentum: ibi eorũ magistros libratoresq;, qui (vt in magna rerum perturbatione) displosis temere tormentis fædissimã cladem suis æquè hostibusq; intulerant, circumuentos trucidarunt, continentiq; cursu in dextrum cornu hostium, vbi Hismael cum Europeis depugnabat, tanquã victores peruenerũt.

Hisce de rebus Europei Turcæ qui iam antea amisso duce repulsi confectiq; vul *Turcarum*
neribus se ad subsidia receperãt, quum nouo ab latere oblato prælio impressionem *strages.*
ægrè sustinerent, opem vti extremo discrimine à subsidiarijs implorare cœperũt. In ea prælij iniquitate Selymus soluto curruũ nexu vallum duobus in locis patefecit, partémq; prætoriani equitatus illicò emisit: mox ad Ianizaros cõuersus, vestrę, inquit, virtuti atq; operæ hodierna victoria reseruatur, macti virtute milites mei: agite dam eruptione facta fessos hostes integros viribus aggredimini. Fluunt sudore equorum corpora, ipsiq; equites sub tanto armorũ pondere fatiscunt: hæc dicenti Selymo Ianizari haud promptè obtemperabant, quippe qui in tanta rerũ desperatione libenter suis se munitionibus continerent. Itaq; dum cunctantius signa efferunt, Persæ in medio ardore victoriæ Europeis circumfusi, eos, spectante Selymo ac frustra auxiliũ ferre properante, occidione deleuerũt. Scripsit ad Leonem pontificem Fabritius Rhodię militię Magister, ad quẽ omnia hæc diligentissimè perferebant, Ianizaros Selymo audientes non fuisse neq; eius adhortatione aut precib. adduci potuisse, vt laborantib. Europeis auxiliũ ferrẽt, vt qui summę rei diffidẽtes expectare euentũ, quàm se manifesto periculo equestri hostium procellæ, quę cæteros pedites obtriuerat, obiectare malebant. Iam Persæ ab omni parte Selymum intra subsidia morantem inuaserant, quum Sinambassa, tametsi cornu lacerũ ac vehementer attenuatum trahebat, per medios Asapporum aceruos hostes insecutus, in tempore superuenit, accitúsq; subinde & inductis aliquot recẽtibus turmis, quæ ab Vstaogli impetu integræ euaserãt, pugna est restituta, duorum maximè fratrum Malcociorum præcellẽti virtute, Turabei & Mahometis, qui Turcica ex gente nobilitate generis ipsi Othomannæ familiæ pares erant.

In ea calamitate Selymus quoque minimè animum despondẽs, sed in spem erectus, id quod supremo discriminis reseruarat, omnia tormẽta dirigi in hostẽ iubet, *Persæ prælio discedunt*
quæ tantã equorũ atq; hominũ stragem suis pariter atq; hostibus inter se cõmixtis ediderũt, vt cũ viri, puluere, fumo tormentorũ & crepitu vsum oculorũ & aurium amisissent, & subinde eq ad insolitũ fragorẽ metu consternati, contẽptis frenis sessore in diuersum adueherẽt, incerta adhuc victoria prælij sit diremptũ. Hismael sclopeti ictu sub læuum humerũ vulnere accepto præteruectus eã procellã, vt vulnus inspiceret, hortãtibus amicis prælio excessit. Quę res haud dubiè Selymo suisq; omnibus salutẽ attulit: namq; Hismaelẽ eiúsq; vexillũ Persę continuò subsecuti non dubiam partámq; magna ex parte omniũ opinione victoriã reliquerũt. Verum letali nec profundo vulnere inuẽto, quod plumbea glans eam armorũ partẽ ob singularem temperaturã altius penetrare nequiuerat, in prælij redire constituit. Sed audita morte Vstaogli, cui propter eximiã rei bellicę peritiã plurimũ fidebat, suadentib. etiam amicis, ne plagam adhuc calentẽ despiceret, salutíq; cõsuleret, quadrato agmine & lento gradu, vt nihil fugæ simile discessus habere videretur, recipere se cœpit: præteruectúsq; Taurisium monitis vrbis primoribus, vt portas Turcis aperirent præsidiúmq; acciperẽt, ne quid detrimẽti ex vana constantia paterent, in Medorum fines concessit. At Turcę tot incõmodis cõflictati, quũ neq; præ timore animos neq; præ lassitudine vires ad insequendũ haberẽt, ad Persarũ castra delati, nullo defendente ceperũt. Inuentæ sunt præter tabernacula picta acu, & serico ac auro intexta aliámq; præciosam supellectilẽ, complures nobilissimæ mulieres, quę *Fœminæ inter militum cadauera repertæ.*
viros secutæ fuerant, quas Selymus intactas sine precio remisit.

Retulerunt qui huic prælio interfuerunt nonnullas fæminas inter cęsorum acer uos repertas, quæ thoraces galeásq; indutæ & secutæ viros vnà cum eis strenuè pugnando

1517 gnando ceciderant. Hoc maximè euentu Calderanis in campis ad Choin est pugnatum septimo calend. septembris, anno salutis 1514, magna Rhodiorum & totius Christianæ reipublicæ commodo. Nam Selymus eo prælio supra triginta millia militum amisit, in quibus præter Cassembassam Græciæ Bellerbechum, septem Sanzacos & in his ipsos Malcocios fratres, dum alter alteri circumuēto opē ferre conatur, cadentibus equis, interfecti, sed præter Asapporum inconditam multitudinem obiectam cędi, equites Illyrici, Macedones, Triballi, Epyrotę, Thessali, Thraciæque haud dubiè flos & robur exercitus, qui in dextro cornu fuerant magna parte cæsi, aut vulneribus debilitati fuerunt. Selymus confessione hostiū victor quum ab Choi cæteriscq; vicinis vrbibus & ab Taurisio legationes in castra venissent, quæ se commeatum affatim dare, & imperata facere paratas dicerent, ad Taurisium profectus est studio visendæ & obtinendæ Persarum regiæ. Ea vrbs à Choi itinere biduj distat. Ciues aduentantibus Turcis præstò fuerunt, & magnam vim commeatus extra portā conuexerunt, vbi occupatis suburbanis ædificijs, Turcæ castra posuerant, quum in maxima & frequentissima ciuitate pernoctare parū tutum existimarent. portas tamen tradentibus Persis impositio prælidio tenuerunt. Ferunt Selymum qui salutem suam Persis temerè non committebat, nunquam ingressum vrbem nisi gregarij equitis habitu. Vix autem decem dies Taurilij moratus cum in Armenia contra voluntatem prætorianorum hyemare statuerat, ad frequentes de hoste nuntios consilium mutauit, quod Hismael accita valida manu Iberorum & Albanorum equitum, cum Parthis ac his equitibus qui pugnæ interfuerant, aduentare denuò ferebantur.

Turcarum discessus fugæ similis.

Quibus de causis Selymus qui supra centum & quinquaginta armatorum millibus in acie constitutis, ęgrè se triginta Persarum millia sustinuisse, & casu magis artificiōq; tormentorum quàm vera virtute eos superasse meminerat, ęstimatisq; Taurisiorum viribus, quorum fidem & multitudinem suspectam habebat, in Cappadociam redire constituit. Itaq; abductis plurimis fabrorum excellentiūmq; opifi- cum familijs, eorum maximè qui arma telaq; elaborati operis fabricabant, & magna vi serici & commeatus inde exportata, per Hobordenam & Balisenam regiones longiore aliquanto itinere ad Euphratem contendit. ne enim appropinquantibus Iberis obuius fieret, redire ad Araxem & Periardis montes circumire nolebat. Hysmael cognita eius profectione quanta & ipse potuit maxima celeritate eum subsecutus magis ac magis cursum intēdere, & prę festinatiōe impedimēta passim ac milites vulneribus & valetudine debilitatos relinqui coegit. neq; prius extremum Turcarum agmen consecutus est, quàm ad Euphratem peruenit. Ibi Selymus biduum moratus aliquot effectis ratibus peditatum transmittebat, quę cum tantę multitudini non sufficerent, plures inflatis vtribus innixi flumen tranabant: alij effractis dedita opera curribus eorum materia ad natandum vtebantur. Ipse imperator lintre vectus, quū vniuersus equitatus ad perfringendā vim fluminis vnoagmine ingressus profluenti se opposuisset, in vlteriorē ripam euasit. Quæ res pedi tibus periculum minuit & molliorē transitum currulibus tormentis, camelisque & cæteris sarcinarijs iumentis præbuit. Periēre tamen quum in conspectu Iberorum essent, atq; ob eum timorem excitato tumultu tota ripa trepidaretur, circiter duo millia hominum, hęserántq; limoso in vado aliquot falcones, & impedimentorum quoque partem vorticosus amnis abripuit.

Aladulus Turcas persequitur.

Iberi qui recentioribus equis Persas anteceserant, contenti ijs quæ relicta erāt insequendi finem fecerunt. Nam tormentorum currus inter se vi vndarum implicati bonam partem sarcinarum retinuerant, multáque alia ripis & vadis hæserant, quæ haud magno labore funibus extrahebantur, læto plurimum Ismaele, quod tormenta, quibus maximè tantam cladē acceperat, eiecto ac fugato hoste cepisset. Porrò Selymus è manibus Persarum fuga elapsus, longè infestiora itinera ad Antitaurum inuenit. Namq; Aladulus despecta eius fortuna ad prædandi occasionem sibi oblatam, angustias dispositis passim montanis hominibus insederat, qui

qui more latronum noctu maximè in Turcas impetum faciebant, & quum viæ ad- 1517
modum syluestres & confragosæ fessum agmen exciperent, à tergo & à lateribus incursabant, direptisq; impedimentis in nemora & notas rupes reuertebantur. Aladulus cuius hæc arte fiebant, interdiu excusare se nihil sua voluntate fieri, homines agrestes latrociniis asuetos proprio consilio atq; audacia ea damna inferre, eos tamen pœnas daturos, si eius maleficij authores compræhendissent. Interim in speciem amicitiæ datis aliquot dierum cibarijs, noctu infestas latronum manus, quæ opportunis in locis transeuntibus occurreret, immittebat. Quibus malis neque consilio Selymus, neque virtute milites prouidere poterant. Tandem quod dissimulata iniuria hominis perfidiam alio tempore vindicandam arbitrabatur, Trapezuntem atq; inde Amasiam Cappadociæ peruenit, vbi reparandis copijs intentus hyemem egit, primo statim vere aduersus Aladulum & montanos homines, qui tantum detrimenti & pauoris intulerant, aut si occasio detur contra Rhodios bellum gesturus.

Eum belli apparatum cum Fabritius sacræ militiæ apud Rhodios Magister singulis ferè diebus cognosceret, ipse quoque arma parare atque singulis rebus diligenter prouidere, quæ ad diuturnam obsidionem ferendam necessaria fore videbantur. In primis autem Leonem Romanum pontificem atque reliquos Christianorum principes nuntijs & literis admonebat, vt pacem constituerent, & se contra crudelem & potentem Turcam pecunia, armis, milite, machinis, & annona munirent. Cum enim is ex Persia victor domum reuersus sit, procul dubio maximum bellum vel contra se & Christianos, vel contra Solthanum Aegypti meditari, id quod Selymi mirabiles terra mariq; apparatus certò significent. verùm hæc omnia à pio principe frustra dicebantur. Maximilianus enim Cæsar bellum grauissimum & diuturnum contra Venetos vario Marte in Italiæ finibus gerebat: Ludouicus Galliæ rex Mediolanensem ducatum inuaserat atque Sfortiam ducem auito principatu expulerat, quem tũ Heluetij magnis viribus restituerant. Quin & Anglí ac Scoti funesta prælia exercebãt, ita vt Iacobo Scotorũ rege occiso, eius quoque nobilitas ad internecionem sit deleta. Cum etiam Ludouicus 2 Gallus interperantibus complexibus sponsæ Mariæ regis Anglorum Heinrici sororis indulgens mortuus esset, ac Franciscus gener in regno successisset, nulla pax subsecuta, sed omnia bellorum tumultu & Christiani sanguinis effusione repleta fuerunt. In Vngaria quoque bella intestina prouinciam debilitabant. Hoc modo factum, vt Selymus qui per exploratores hæc omnia intelligebat, longè latèq; Imperij sui fines dilatarit, ac tandem totam Syriam & Aegyptum in potestatem redegerit. Cum autem Fabritius Rhodius aliud nihil posset, tamen per amicos Selymi consiliarios aliquot monuit, vt Imperatori suo authores essent, quo victoriam in Persas cœptam continuaret, atq; bellum cõtra Christianos in alia tempera reijceret, id quod etiam factum est.

Rhodiorum Magister Christianos ad pacẽ hortatur.

Cum enim Selymus per totam hyemem in Cappadocia commoratus esset, delectibus per præfectos in Bithynia, Ponto, Phrygia, Ciliciáq; habitis atq; accitis in supplementum è Græcia atq; Illyrico nouis militibus, tanta celeritate atq; diligentia attritas copias reparauit, vt primo statim vere ampliorem quàm antea exercitum in Persarum fines adduxerit. In primis verò Ciamassum oppidum in vlteriore Euphratis ripa positum, ac Persarum præsidio munitum magna celeritate obsedit, & summis viribus oppugnauit, penè priusquam ab hoste sentiretur. Ciamassini omni spe auxiliorum destituti, diu ad murum se hosti opposuerũt, ac tandem sclopetariorum & sagittariorum multitudine depulsi, in forum se receperunt. ibi aliquandiu hostium vim pertinaci constantia sustinuerũt, & vt in supremo vrbis casu pro fortunis ac salute omnium debebant, egregiè dimicantes ad vnum omnes interierunt. Etsi verò Selymus eo successu ferocior esset, non tamen prius interiorem Armeniam bello sibi tentandam existimauit, quàm Aladulum regem saltibus illis ac montibus expulisset. Is enim feris hominibus repẽtè coactis magnas

Turcarum expeditio cõtra Aladulũ.

1517 copias parauerat, quibus seſe ac fines defenderet. Itaq; ad Ciãmassum relicto præsidio, cis Euphratẽ ad Antitaurũ regressus, vbi hostẽ consedisse cognouerat, cũ expedito exercitu deflexit. Mons ille à Scordiscis iugis & finib. Cappadociæ ad Amanum vsq; & vltimos Ciliciæ terminos extenditur. præcipua verò Aladoli vrbs Maras dicitur, nec longè ab eius finibus Edessa sita est, quæ hodie Orpha dicitur.

Aladolus Turcis restitit.

Aladolus postquam Selymum infesto exercitu fines ingressum appropinquare videt, 15 millia equitũ è montib. in conuallem iustæ magnitudinis deducit, ac pedites à dextra læuáq; montes occupare iussit, ibiq; loco opportuno hostis aduentum expectare statuit. Porrò Selymus, quanquã locorum iniquitate perspecta, victoriã multo suorũ sanguine parandã videret, iniquã tñ pugnandi conditionẽ subire non dubitauit. Itaq; Sinambassam Eunuchum quadrato agmine hostẽ inuadere, & primam eorũ frontẽ perrũpere iubet, ipse verò cum exercitu reliquo subsequutus seſe pugnantib. ostendit. Nec Aladolitæ regi suo defuerũt, nanq; emissis statim sagittis Turcarũ impetũ egregiè sustinuerunt, cominúsq; districtis gladijs tanta vi subeuntes propulerunt, vt veteranus equitatus sua multitudine nihil proficere posse videretur. Selymus vbi videt Aladolum fortiter resistere, sclopetariorum aciem laborantibus subsidio mittit, & lectissimos Ianizarorũ montem conscendere iubet. hinc factum, vt hostes in fugam conuersi montes suos & syluas petierint, atq; Turcarum conatus impedierint. Postea Aladolus cum se tanto hosti inferiorem intelligeret, bellum ducendum & trahendum iudicauit: itaq; in alios ac alios montes refugere, nullam pugnandi occasionẽ præbere, ac asperitatib. locorũ se tutari. vnde Selymus ne in insidias prolaberet, 7 die insequendi finem fecit, ac Sinãbassam cum expetita exercitus parte cedentium vestigijs insistere præcepit. Quum aũt ex captiuis quereret quæ nam vires Aladulo superessent, reperiebat eum lectissimos quosq; milites secum duxisse, cæterámq; agrestium turbam decedere pagis iussisse, vt solitudinem hosti faceret, nec prius totis viribus decertare velle, quàm hostem ad insuperabiles locorum angustias deduxisset. Eius consilij eam esse causam, quod Saxouarogli equitum præfecti sui consanguinei perfidiam timeret, quod ipse patrem eius quondam propter affectati regni suspicionem per insidias interfecisset.

Proditionis vsus.

Selymus his reb. cognitis captiuis cathenas detrahit, eos donis & pollicitationibus onerat ac dimittit, vt Aladoli præfectũ adeãt, & secretò redditis ei literis atq; muneribus hominẽ moneant, vt in ea rerum occasione paternã cædem vlcisci velit. Id si aliquo insigni facinore perficiat, eum summum gratiæ locum apud se, & regnum Aladoli adepturum. Agrestes eius rei cõsilio cum Sinambassa cõmunicato, paucos post dies mandata perficiunt, breuiq; præfectus spe regni, quæ vindictæ cupiditatem exacuebat, ad amicitiam Turcarũ pellectus fuit. cum autem suspectanti insidias Aladulo aliter nocere non posset, cum magna parte equitũ ad Sinambassam transfugit, à quo postea alij atq; alij qui remanserant propositis præmijs ad defectionem sollicitati sunt. Circumuentis his malis Aladolus reliquam spem salutis in fuga posuit. Sed illum paulo pòst fugientem p̃ asperos montes antris nemoribusq; se occultãtem, Sinambassa & Saxouaroglis persecuti specu abditum monstrantib. indigenis eruerũt. Ille ad Selymũ perductus in custodia paucos post dies interficit, caputq; eius, vt omnib. ludibrio foret, per totam Asiã circumlatũ, ac mox quoq; in testimoniũ partæ victoriæ Venetias ad senatũ fœda ostẽtatione trãsmissum est. Occiso Aladulo Selymus eius regnũ in pruincię formã redegit, diuisitq; in tres præfecturas, q̃ totidẽ Sãgiachis Turcarũ more tribuerent, sic tñ vt Saxouaroglis omnib. præesset, cui cuncta præter regiũ nomen concesserat, ipse relicto Sinãbassa, qui reliquum æstatis in his locis moraretur, modico comitatu Byzantium reuersus est.

Rhodij bello liberati.

Dum Selymus Hismaelis & Aladoli bello in minori Asia implicitus esset, audierat à Pannonijs finitimã Mæsi pruinciæ partẽ incursionib. vastari. Vnde ne Samandriam amitteret, quod situm ad Danubij ripas Mæsiæ Thraciæq; propugnaculum, 8 millia equitũ instruxit, qui duce Iunus bassa Illyricę Bosniæq; præfecto Sauũ flumẽ transirent, & in Croatiam ad Cetinum vsque penetrarent. Aliam verò Turcarum manum

manum improuiſo Danubium ratibus tranſuectam vlterioris Pannoniæ fines po- 1517
pulari iuſſit, vt vno tempore Pannonij ancipiti belli periculo diſtracti, rebus ſuis ti-
mere cogerentur, ac ſimul doceret quæ in res ad bellandum Turcis forent, vtpote
qui magni intereſſe ad perterrendos Chriſtianorum animos putaret ſi tot tantoſq;
exercitus expeditè alere, & diuerſis terrarum locis grauiſſima bella ſe gerere poſſe



oſtendiſſet, quum etiam Pãnonios duplici incurſione re-
preſſiſſet, proximam hyemen maioribus quàm vnquam
antea apparatib. belli intentus Hadrianopoli & Byzan-
tij tranſegit: audierat enim Maximilianum Cæſarem, V-
ladiſlaum Vngarum, & Sigiſmundum Polonum Vvien-
næ conuentum celebraſſe, ac bellum contra ſeſe decreuiſ
ſe. Cum autem per certos exploratores cognouiſſet, ibi-
dem præter ſumptuoſa cõuiuia, & magnifica, conciones
nihil apparuiſſe, uano ſolutus metu rurſus ſe ad Oriẽtem
conuertit. nihilominus tamen finitimas (Chriſtianis &
Rhodijs præſertim) prouincias validiſſimo præſidio fir-
mauit, ne ſe abſentẽ aliquid incommodi acciperent. Soly
mannum etiam filium cum iuſto exercitu, vt Græciã Mæ
ſiãmq; tueatur, Hadrianopoli reliquit, Pyrrũbaſſem quo-
que magni conſilij ducem Byzanthij præeſſe iuſſit, Cherſeoglim verò cum copijs
ad Pruſiam in Bithynia collocauit, atq; claſſem inſtructiſſimam Zaffero Enuncho
attribuit. Hácq; ratione Rhodij bello liberati, nihilominus rebus ſuis prouidere co
gebantur, ne à diuerſis copijs ex improuiſo opprimerentur.

Poſtea Selymus paucos dies Conſtantinopoli moratus (vt tyrones qui in Præ- *Selymi legati ad Solthanum.*
torianos legebantur inſpiceret) ab vrbe diſceſſit, & in Lycaoniam ad veteres exer-
citus peruenit. Ibi cognouit Campſonem Gaurium magnis copijs tota Aegypto
ludæaq; deductis in Syriam deſcendiſſe, eúmq; profiteri ſe præſidio Perſicis rebus
futurum & infeſto exercitu in Ciliciam peruaſurũ, ſi Sophus Hiſmael amicus & ſo-
cius Turcarum armis oppugnaretur. Quibus rebus Selymus commotus, ne ſi ipſe
ad Euphratem progrederetur, propè iniquus hoſtis à tergo nudatã præſidijs Aſiã
per Amanum irrumperet, Iconij ſubſtitit, & protinus legatos cum muneribus ad
Campſonem miſit. Per illos Aegyptium orabat ne ſibi nocere vel impedimento eſ
ſe vellet, quo minus Iſmaelem perſequeretur bello, qui tot calamitates Aſiæ intuliſ-
ſet, & nouis ſuperſtitionib. inductis Mahometanæ religionis leges deprauare con-
tenderet. At Cãpſon ob nefandam crudelitatẽ Selymũ oderat, atq; multis de cauſis
hanc expeditionẽ neceſſariam exiſtimabat, præſertim cum Turca Tauriſio capto,
Perſis acie victis, & Aladulo occiſo, ſibi etiã formidoloſus eſſe cęperat. Timebat. n.
ne Syria ad eundẽ deficeret, q̃ ſuperbo Mamaluchorũ imperio oppreſſa Aegypti
reges odio proſequebatur. Vnde etiam iam antea cum Iſmaele fœdus & amicitiam
firmarat. Mouebat etiã Aladini Achomatis filij calamitate, qui ad Cãpſonẽ profu-
giens in Memphitica aula ſualore miſerabilis per 3 annos verſatus fuerat, ac omniũ
animos contra Selymum patruum concitarat. Peropportunè etiam Aladoli filius
regno exutus Memphim peruenerat, ac Mamaluchos ira ita inflãmarat, vt vltrò
Campſonem adirent & obſecrarent, vt bellum contra Turcas ſuſciperet.

Turcici legati Iachis & Cadeleſcher ad Orontẽ amnem Cãpſonem deprehendẽ *Solthani ſuperbum reſponſum.*
runt, atq; principis ſui mandata humiliter expoſuerunt, quib⁹ in hanc ſententiã re-
ſponſum fuit: Veterẽ eſſe Sulthanorum conſuetudinem, q̃ principẽ in religiõe lo-
cum obtineant, Mahumetanos reges populóſq; omnes in pace continere, proinde
ſe in Syriam prouinciam ſuam armatum veniſſe, vt pacem Selymo perſuadeat. q̃ ſi
Iſmaelem ſocium ſuum oppugnare pergat, ſe non paſſurum vlterius, vt vnius ambi-
tioſi hominis libidine omnia permiſceãtur, nouiſſe ſe Selymi ingenium, qui patrẽ,
fratres, nepotes, & præclaros duces ſuſtulerit, atq; immanitati nullum finem impo-
ſuerit. Itaq; vnam & extremam pacis conditionem eſſe, vt Selymus à Iſmaelis pro-

1517 uincijs abstineat, & Aladoli filio regnum paternũ restituat, quod in Sulthanorum clientela semper fuisset. Legati etsi intelligebant Selymum incœpto non destiturũ, tñ quo maturius dimitterent, & de repentino Cãpsonis aduentu nuncium perferrent, dixerunt sibi pacem maximopere placere, sperarécꝫ se iustis adhortationibus animum Selymi ad eam flexuros. Ita cum munerib. dimissi continuato noctu diécꝫ itinere ad Selymum qui Cęsareã peruenerat redierunt. Cãpson quocꝫ promotis ab Oronte castris in Comagenẽ venit & ad Aleppum celeberrimã vrbem cõsedit. At Selymus cum ex legatis suis omnia intellexisset, alia ratione quàm instituerat bellũ sibi gerendum existimauit, atqꝫ Persis relictis Campsonẽ summa vi aggredi statuit. itaqꝫ Taurũ montem transcendere, & celeri in Comagenẽ irruptione hostes imparatos adoriri proposuit. Cum etiã suum consilium Prætorianis explicasset, atqꝫ maximas Mamaluchorũ opes declarasset, alacri fremitu inter ordines suborto omnes acclamarunt, duceret ac raperet quo vellet, se cunctas forti audacia peruasuros locorum asperitates omnésqꝫ labores & belli incommoda equissimè toleraturos.

Turcarũ aduersus Mamaluchos expeditio.

Ergo Selymus exploratis per montanos homines itineribus confragosa & inæqualia viarum per idoneos seruos repurgari iussit, & tormenta omnis generis per iuga & conualles traduci mandauit, ac simul vt milites ad laborem accenderentur donatiuum illis polliceẽ, qui in eo extraordinariã operam nauassent. Factũ est incredibili eorũ studio, qui nouo bello aperiri sibi ad prædam opulentissimas prouincias videbant, vt quinqꝫtãtum diebus in eo labore absumptis, omnis exercitus cum impedimentis & curribus superato Tauri dorso, in Comagenæ cãpos descenderit. postea Saxouaroglis Aladoli proditor cum valida equitum suorũ manu omnẽ regionem, quæ ad Amani Tauriqꝫ radices pertinet, celeri cursu percurrit, vt simul ex captiuis cognosceret, vbi Campson cum exercitu constitisset, atque obsessis itinerib. prohiberet ne de Selymi aduentu ad hostes fama perferretur. At Campson, q̃ vanitate & superbia ductus sola authoritate terreri Selymum posse putauerat, non prius adduci potuit vt Tauri culmina transmisisse hostes crederet, quàm eorum castra in quibus supra 100. millia armatorum erant, bidui tãtum itinere abesse nunciatum est. ita ignarus belli improuiso metu territus, in ipso tanti discriminis negocio consilium capere coactus fuit. Erant è ducib. qui tuta consilia specioſis anteferrẽt, & ante alios lãburdus Gazelles vir fortis & militari prudentia insignis, qui Amani Apamięqꝫ præerat. Is sicuti cum numeroso veterécꝫ hostium exercitu tantulis copijs confligere calamitosum arbitrabat, ita expedito agmine retrocedendum & belli sedem ad Damascum deligendam esse disserebat. quando pedestris & curruũ impedimentis tardus ad insequendum Turcarum exercitus tutum & facilem receptum daret. Interea accitis in supplementum cæteris Mamaluchis, proximisqꝫ Arabibus mercede conductis, in hyemem trahi bellum posse, venturáqꝫ subinde è Mesopotamia Persarum auxilia, ipsumqꝫ Ismaelem in minorem Asiam irrupturum, nec defuturos Christianos, qui è Cypro Rhodóqꝫ insulis, aduersus communem hostem æranea tormenta subministrarent. si legationib. adirentur: Mouerat Campsonem graui sententia Gazelles, sed quo minus vera audirent militaris fremitus & stulta Mamaluchorum alacritas officiebat. Sed in primis Cayerbeius, Alepi & Comagenæ prouinciæ præfectus, qui postea perfidiæ meritis ad summos honores euectus est, salubberrimi consilij rationes euertit: is enim Campsoni erat infensus, quod ipsius fratrem aliquot ante annos veneno sustulerat. Cum etiam Campson Cayerbeio infidias strueret, is clam ad Selymum nuncios transmittit, qui pollicerent se ex occasione in eius fidem concessurum, traditurum arma, & proprij equitatus vires, vt fraternam necem vlciscereturad parãdam victoriam esse collocaturũ. Adhortabatur etiam vt subitò accederet, & manus conferere maturaret. simul & Campsonis consilia qualésqꝫ eius & quantæ copiæ essent edocet. Selymus hisce postulatis annuit, ac proditoris voto subscripsit: itaque Campson spreto Gazellis consilio Cayerbei proditoris sententiam probauit, ac quum Selymus appropinquare diceretur prælio decertare constituit.

Posita

Posita erant Campsonis castra idoneo in loco ad Singam amnem duobus fermè ab vrbe miliarib. ea ratiõe vt milites propinquitate amnis vterentʳ, & semoti ab vrbis delicijs nihilominus ciuium facultatib. iuuari facilè possint. Mamaluchi 12. milium numerum vix attingebant: verũ singulos (vt quisq; eorum maiorib. stipendijs atq; opibus eminebat) plures serui armis & equis liberaliter instructi sequebantur. Decora certè & insuperabilis acies, si vera virtute certaretur. Viri prolixa barba & minacibus oculis truces, ipso toto corpore lacertoso & flexibiles tanta arte pugnã ineunt, vt post primos statim hastarum ictus modò sagittis, clypeo in tergum reiecto, modò ferrea claua, interdum falcato ense, vt locus postularit, admirabili quadã agilitate depugnent. Equi eorum validi & acres, qui tanta ingenij docilitate in primis præstant, vt ad nutum & certas sessorum voces hastam sagittámque mordicus terra subleuatam porrigere, hostem agnoscere, atq; dentib. appetere, calcib. cuncta circumsternere natura consuetudinéq; didicerint. His frena argentea, ephippia aurata & squamosi operis ferrea colli & pectoris tegumẽta conspiciuntur. Eques lorica vel thorace ferreis laminis conserto, contentus est. Primorũ ordinum equites & quisq; diuitijs clarus galeas ferũt. Cæteris linteo capitis tegumẽto, quod plurib. implicatum spiris ad elegantiã intorqueʳ, se satis munitos aduersus cælim ferientes existimant: gregarij aũt equites villosis purpureisq; pileis, qui graui gladiorum ictu discindi nequeunt, vtebãtur. Campson ex omnib. copijs quinq; acies instituit: prima Cayerbeio data q; in eius prouincia bellum gerebaʳ; secunda Sybeio, cui à corporis agilitate Baluano, cognomentum fuit, qui Damasco præerat: hos Gazelles cum tertia acie sequebaʳ, his vbi res posceret auxilio futurus: quartam ipse Campson auratis armis fulgentẽ (veluti subsidiaria) interuallo duodecim stadiorũ addu cebat: vltima ad præsidium castrorum relicta. Selymus autem sic instruxerat aciem vt more suo Asiaticum in dextro, in læuo Europeum equitatum, prætorianos verò pedites cum tormentis in medio collocatos habebat. sed ante peditatum ornatissimi & fortissimi prætorianorum equitum medio in sinu frontem obtinebant, in quibus ipse Selymus eo die præter consuetudinem esse voluit.

1518 *Mamalucho rũ fortitudo*

Cayerbeius vt statim appropinquatũ est, in speciem egregij animi acri impetu facto, Europeos adortus est: mox veluti circumuenire eorum aciẽ vellet, in terga lõgo circuitu deflexit, vbi nouissimum lixarum agmẽ impedimentáq; magno terrore & multa cæde cõturbauit, vt fortis proditor decori simul & perfidiæ satisfacere videretur. In diuersa aũt parte Damascenus, vt ab latere aperto hostes inuaderet, omissa fronte & circũactis in læuam turmis in transuersos incurrit. tantóq; ardore à Mamaluchis dimicatum est, vt ingenti Asiaticorum strage edita, ad vexilla quæ in medio collocata erant in morem rapidissimi torrentis penetrarint. Nec prostratis primis Mustaphas Bellerbechus & Imbracorbassa quin diffugerẽt diutius se sustinere potuerant. Ita victor Damascenus hostiũ cornu in duas partes discisso, quũ ex obliquo ad pedites peruasisset cuncta prope in media acie cædib. terróreq; compleuit. Erat res posita in summo discrimine, quũ Sinambassa laborantib. Turcis: auxilio superuenit. eius aduentu audacia Mamaluchorum retardata, ac hostib. victoria erepta, præsertim quũ Selymi iussu in aduersos tormenta disploderentʳ. Horum insolito fragore Mamaluchi consternatos equos nec regere poterant, nec ipsi singulari sua virtute vndiq; circumuenti quicquam proficiebant. In ea tñ rerũ asperita te nequaquã fracti animo, neq; consilio nec virtute sibi defuerũt. Nam vniuersi dẽsato agmine conglobati cum strage Europeorũ oppositam aciem perruperunt, & continenti cursu castra & vrbem petere cœperunt: tum demum omnes in fugã acti persequente Sinambassa cum recẽtissimis equitum. Eos enim Selymus vt victoriæ insisterent huc atq; illuc volitans adhortatus fuerat, qui ea die in summo æstu patientia corporis & vigore animi se ipso maior apparuit.

Cayerbeius Mamaluchos prodidit.

Iam Campson vrgentib. fatis aciem promouerat, vt vel suis subsidio foret, aut victoriæ, si Turcæ vincerentur, interesset, quum in itinere à fugientib. intellexit defecisse Cayerbeium, fusas esse copias, nec iam omnium fugam sisti posse: tantam esse

Campsonis interitus

1518 tormentorum vim, tantámq; hostium multitudinem vt diutius sustinere nequeāt, quo nūcio superbus senex supremo animi dolore cōcepto penè cōcidit. Nec multo pòst superueniēte suorū atq; insequentium hostiū turba, qui ipso cursus impetu concitati obuios quosq; promiscuè proterebant, quū annis & ingentis herniæ pōdere grauaretur, & æstu mœorēq; deficeret, in eo puluere exanimatus est. Damascenus quoq; & Tripolitanus dum effusè omnes castra ac Hieropolim peterent, ac à nouissimo agmine irruentium impetum sustinere conarentur, interiêre. at Gazel Ioles & cęteri Mamaluchi ab Hierapoli ad Damascū citato itinere profecti sunt. Postero die Selymus castra hostium militib. diripienda concessit, ac inde ad vrbē progressus ciues duce Cayerbeio se dedentes in fidem recepit. Periere in ea pugna nō amplius quā mille Mamaluchi, sed plures ex eorū seruis, maiorq; cędes in fuga quā in prælio facta, quū equis sudore & siti fessis, ac emorientib⁹ destituti in pedes ab ignauissimo equite facile opprimerent. pugnatū est ad 7 calend. Septemb. eo ipso die quo ante biennium in Calderanis campis Turcæ victoriā de Persis obtinuerāt. In partibus autem Selymi supra tria millia equitum cæsa referuntur. Campsonis cadauer biduo post absq; vllo vulneris vestigio repertum, Selymus palam omnib. ostentari iussit, vt homines in fide contineret. Nec multo pòst cum fœtore diffluere apud vetustum vrbis templum mediocri funere tumulatum est.

Syria Turcis cessit.

Hierapoli in fidem recepta Selymus lunūbassam cum expedito equitatu, q̄ vestigijs fugientiū insisteret, Damascum præmisit, quo & ipse paucos post dies (quū hostes fuga Mēphim petiuisse cognouisset) cum omnib. copijs, profectus est, statimq; ei Damasceni ne fortunas suas in discrimen ponerent, portas aperuerunt. Horum exemplo permotæ maritimę ciuitates, & in primis Tripolis, Berytus, Sydon, atq; Ptolomais, missis legationib. acceptisq; Turcarū prę sidijs similiter deditionē fecerunt. Nec multis inde diebus Selymus celeberrimū conuentū in castris habuit, ne quę tæ & frequentissimæ vrbis status intromissa militū multitudine turbarent. Ibi euocatis omniū ciuitatū legationib. insignes Syrorū cōtrouersias audiuit & finiuit: tum etiam præfectos prouincijs & vrbib. dedit, ac vectigaliū rationes recognouit. nonnulla quoq; ex vetere iuris Sulthanici formula, quę iniqua vel onerosa populis videbant, antiquauit. His rebus constitutis, quin satis quietis & spacij ad recreāda iumēta exercitui datum arbitraretur, atq; ipse omnib. consilijs & viribus Aegypto immineret Synambassam cum 15 millibus equitum, adiuncta his valida manu sclopetariorum, quæ ex ordine Ianizarorum & Asapporum delecta fuit, in Iudæā prę misit, qui cuncta passim eius regionis loca exploraret, atq; iter ad Gazā, quod propter Arabes impeditissimum fore putabat, aperiret. Ea vrbs olim sacræ militiæ ordinibus parebat, atq; nunc ad mare & Aegypti fines pertinebat, propinqua arenesis solitudinibus, per quas difficili periculosoq; itinere ab Syria Aegyptus vlterior ac ipsa Memphis adeuntur.

Tomūbeius rex Aegypti.

Interea Mamaluchi, qui duce Gazelle Memphim accesserant, cæteriq; omnes q̄ ex cunctis regni prouincijs eò peruenerant, consilio habito Tomūbeium natione Circassium sibi regē elegerunt. Is tum magnus Diadarius erat, q̄ magistratus post regem primū honorē & potentię locū habebat. Erat ei tantū vigoris & industrię, vt solus omniū Mamaluchorū esse videbat, q̄ labantē imperij fortunā erigere posset. Quamprimū is Sulthani nomē adeptus est, singulari studio arma, tela, eąs vndiq; cōquirere, tormenta cōflare, ex seruis q̄ militiæ idonei videbant turmas cohortesq; que instruere, & ab finitimis Afris & Arabib. auxilia mercede cōparare cœpit. Prę terea peritos regionum ad Ismaelem, & ad Rhodiorum equitum magistrum illicò cum literis mittit, qui petant ac orent, vt contra communem hostem arma sumant, ac minorem Asiam inuadant, & in primis Comagenem discessus hostiū prę sidiis nudatam. Selymum enim, qui tum in Iudęæ finibus esset, duobus exercitibus facile intercludi & commeatu prohiberi posse, quando littora nullis Turcarum classibus tenerentur, quæ terrestribus copiis succurrere aut auehere possent. id si facerent Aegypti rebus prodesse & tot insignes iniurias, quas ab hoste accepissent,

pissent, nullo negotio vindicaturos. Dum hæc à Tomumbeio administrantur. 1518
Sinambassa pluribus Arabum turmis, quæ vias obsederant facile pulsis, pate-
facto itinere Gazam peruenit. Eum Gazenses quod sine præsidio essent deditio-
ne facta protinus recipiunt. Vrbis etiam copijs exercitum iuuant, ac simul gratias
agunt, quod acerbissimæ seruitutis iugum depulissent, secq; omni tempore in Sely-
mi fide mansuros ob eius rei memoriam pollicentur. Sinambassa collaudato eorũ
studio cætera quæ sibi vsui erant eis imperat, ac sub mœnibus ad teli iactum inter
hortorum munimẽta castra locat, eo in loco Selymi aduentũ expectare constituit.

Eratis multis militiæ experimentis eruditus, itaq; operam dat, vt regionem quæ *Sinambassæ*
passim infrequentia ædificiorum & aquæ penuria aspera & inculta est, ac arenosi *militaris ex-*
præsertim eius itineris naturam cognoscat. Incolas etiam donis pellicit, qui pro- *perientia.*
ximos Arabum duces oblatis amicitiæ conditionibus sibi concilient, & quod Ma
maluchi ad Memphim parent, diligenter explorent, & protinus ad se reuertantur.
Gazenses interea, qui à presenti exercitu rerum suarum detrimenta sentire cœpe
rant, clam Tomumbeium de Sinambassę aduentu certiorem reddunt, docentes eã
Turcarum partem antequam Selymus adueniat, facile posse opprimi & deleri, si
valida Mamaluchorum manus cum peritis ducibus ad se transmittantur, ipsos e-
tiam intempesta nocte eruptione facta castra hostium quoq; aggressuros. Consi-
lium Mamaluchi probant, mittiturqúe Gazelles cum sex millia armatorum equi-
tum & magna Arabum multitudine. nam Gazelles ad summam bellicæ virtutis
opinionem peruenerat. Sed vix dum eò profecto, Sinambassæ per Syros explora-
tores defertur, Mamaluchos à Memphi per deserta ad se opprimendum iter ingres
sos esse, atq; eos ante biduum adfuturos. Hic nuncius Turcarum exercitui salutem
attulit, & postea ad summam totius belli victoriam momento fuit. At Sinambassa
quanquam de Gazensium perfidia nihil cognouerat, tamen Mamaluchis occur-
rere & prelij fortunam experiri statuit, ne fortè sibi cum duplici hoste negotium fo
ret. Ergo de secunda vigilia castris silentio egressus, ad tertium miliare germani-
cum via Memphitica prouehitur: erat in proximo humilis pagus, quo viatores
pro hospitali diuersorio ob perennis fontis opportunitatem vtebantur, ibi fortè &
Sinambassa subsistere voluit, & Gazelles aliquot horis conquiescere ac suos re-
creare, vt noctu recentibus equis Gazam peruolaret, pari consilio cogitarat. Vn-
de vno ferme tempore ab antecursoribus eleuari ingentem puluerem, & mox ad-
uentare, copias vtrinq; duci nunciatur.

Gazelles improuisa re perturbatus, quod se deiectum consilio atq; hosti impa- *Mamaluchi*
rem futurum si congredi vellet, fessis præsertim equis intelligebat, tamen animo *repulsi.*
non deficit, sed suos hortatur vt arma expediant, & negotium quod per insidias
perficere nequiuerint, vera virtute in aperto conficiunt. Ex aduerso Sinambassa
aliquanto celerius acie instructa alacriter apud cunctos suorum ordines concio-
natus est, sed finis eius orationis fuit: vt fugæ obliuiscerentur, postquam om nia
circumclausa atq; infesta nisi victoribus futura essent. illudq; in primis persuasum
habere vellent, neminem ea die periturum nisi quem fata exitio destinasset. nam
pari periculo fortes in medio hostium salutem, & timidos in fuga mortem inuen-
turos. Erant sclopetarij in cornibus, quæ rara acie in longum porrigebantur, vt li-
berius sclopetis vti, & latiore spacio circumuenire hostes possent. hastati verò me-
dium tenebant locum, vt Mamaluchorum impressionem sustinerent. Gazelles
autem appropinquans Arabum turmas ad distuibanda cornua præmisit, & qua-
drato agmine in mediam aciem inuectus est. Fuit prælium atrox & diu anceps,
quoniam Turcæ etiam numero superiores vim armatorum equitum ferre non po-
terant, iámq; pulsi loco fugam oculis atq; animis circumspectabant, quum sclope-
tarij Arabas depulerant, & reductis cornibus vniuersa hostium aciem circumue-
nerant. Tum verò viri pariter ac equi eminus mortiferis glandibus sternebantur,
nullúsq; in medio circumuentis virtuti locus relinquebatur. Gazelles cum defati-
gatos equos cerneret, nec dilabentibus Arabibus quicquam auxilij sibi amplius

1518 sperandum esse arbitraretur, multíq; iam ex fortissimis suorum cecidissent aut vulnerati essent, ipséq; prælatum vulnus ceruice recepisset, cum reliquis ferro sibi iter aperiens, amissis omnibus signis militaribus Memphim profugit. Periêre in ea pugna Alexandrinus præfectus, & Orcanas Memphiticus prætor, prætérq; eos magnus Arabum numerus, & mille noti equites. Nec Sinambassa incruentam victoriam adeptus est: nam supra duo millia equitum & aliquot magni nominis præfectos desiderauit.

Arabes Turcas persequũtur.


Turcæ quum à meridie ad occasum solis protracta pugna atque obid exanimatis cursu equis fugiẽtes persequi non possent, ipsíq; inedia & labore deficerent, eodem in loco iuxta fontem castra posuerunt. Sequenti die cæsorum spolia toto campo per ocium lecta, capitáque hostium, quæ ab ipso barbæ habitu (quod Turcæ cunctas corporis partes præter labrum superius radant) facile dignoscebantur, palmarum arboribus affixerunt, vt impigrè nauatam ab se operam testarentur. Interim Gazenses, quum exoriente sole vacua hostium castra vidissent, rati Sinambassam cognito Mamaluchorum aduentu timore adductum, inde retro in pacatiora loca refugisse, nonnullos Turcas ex numero ægrorum relicto, vt luce facta sequerentur, impetu in eos facto occiderunt. & paulo pòst circiter duo millia Turcarum equitum, qui ad augẽdas Sinambassæ copias à Selymo submittebantur hostiliter adorti, omnibus impedimentis exuerunt, & in fugam coniecerunt. Hi postea, quum Sinambassam dum vniuersis copijs hostium fraude perijsse putarẽt, cum trepida fuga regrederẽtur, ab Arabibus in itinere trucidati sunt. Nec vnus eorum omnino incolumis euasisset, nisi Iuleppo Achaiæ Sangiacho ad Ramam vrbem occurrissent. Is enim pariter à Selymo missus cum valida manu Græcorum equitum ad Sinambassam contendebat, cuius aduentu audacia Arabum repressa est. Cæterum Arabes euocatis ad prædam alijs atq; alijs suorum ducibus, qui proximos montes incolebant, ac ingenti conflato exercitu, Turcas ad Carasbaram vicum consecuti sunt, pugnatúmq; est Turcis iniquissimo loco, quoniam Arabes præoccupatis quibusdam angustijs, quæ ad extremum spacioſq; vallis iter coarctabant, à tergo simul à fronte & à lateribus se ostendebant.

Tormentorum vsus.

Arabum arma erant præter sagittas longissimę hastę vtrinq; ferro præfixę, quas ad medium agili manu comprehendunt. his summa peritia in pernicibus equis vtebantur, & aduersi pariter & fugientes hostem lætifera cuspide feriebant. Quamobrem Turcæ procurrere non poterant, circumuentíq; in orbem pugnare ac simul iter facere cogebantur. erátq; res in magnum periculum adducta, nisi Iuleppus productis quatuor tormentis currulibus, quæ præsidij causa secum adduxerat, eos qui fauces occuparant, vti erant editiore in loco cum multa strage deiecisset, apertóq; itinere inde celeriter suos eduxisset: quibus angustijs superatis, patentiores nactus campos meliore aliquanto conditione iter facere cœpit. Nam per sclopetarios & sagittarios eminus rem gerebat, & quum hostes appropinquabant, aperta acie confertas hastatorum turmas emittebat. Vbi verò densior atq; amplior Arabum globus sese offerebat, in eos tormenta certis ictibus emittebantur. Contra Arabes dispersi circumuolitare, nouissimo abeuntium agmini instare, subsequi ne queuntes & vulneribus retardatos opprimere. Hic dies Turcis longè grauissimus fuit: nam plures eorum siti, vulneribus, & cursus labore conflictati ceciderant. nullúmq; iam subsidium extremis eorum rebus, ab numerosa ac pertinaci hostiũ multitudine relinquebatur, quum magnus Turcarum numerus medio ferme itinere laborantibus ac perditis seperuenit. Selymus enim castra Damasco promouerat, & vt rei frumentariæ consuleret seperata suorum agmina singulis quoque diebus præmittebat. Ita Iuleppus eo periculo liberatus, sequenti die Selymo occurrit, & omnia ordine ea quæ acciderunt exposuit.

Eo nun-

1518



Eo nuncio Selymus in ſummam animi ſolicitudinem adductus eſt: quod niſi exploratis Sinambaſſæ rebus minime ſibi procedendum eſſe arbitraretᵉ. Sed ea cura anxio paulò pòſt Syri ſpeculatores ſuperuenerunt, qui rem, vti à Sinambaſſa geſta fuerat, retulerunt. Hiſce rebus cognitis incredibili lætitia affectus eſt: quoniam ea victoria & apertam ſibi Aegyptum, & bellum celerius opinione prope confectum eſſe prouidebat. Poſtero die exercitus Ramam ductus, proxmáq; Arabum domicilia cum vxoribus & liberis eorum concremata: inde prę̃miſſis pedeſtribus copijs, quæ Gazam contenderet, ipſe ad læuam Hieroſolymas deflexit, vt vrbem vetuſtate originis, ac Hebraicę religionis fama totius orientis celeberrimã, inuiſeret. Ea tunc miſerabili ſacrarum ruinarum deformitate inculta ac deſerta, non à Iudeis veterib. incolis, qui tunc toto orbe extorres vi admiſſi ſceleris pœnã, nec ſedẽ nec patriã habebant, ſed à paucis Chriſtianis incolebaᵗ. Illi cum ignominia & grauiſſimo admodum contumelia Chriſtiani nominis, ob conceſſam venerandi ſepulchri poſſeſſionem, graue tributum regibus Aegyptijs perſoluunt, nec florentes ætate opibus Europę principes, vllis verę virtutis ſtimulis ad vindicandam iniuriam excitantur, cum religionis cauſam tanti non ducant, & inteſtinis bellis vel infami otio abſumi id demum regium arbitrentur. Selymus veterum prophetarum monumenta ſuppliciter veneratus Mahometo in primis ſacrificauit, & Chriſtianis ſacerdotib. loci præſidibus (tanquã piſprobiſq; hominibus) pecuniã in alauentum ſex menſium largitus eſt, atq; inde vnam tantum Hieroſolymis moratus noctem, Gazam ad exercitum quartis caſtris peruenit. quo itinere diu noctúq; cum Arabibus continenter dimicatum eſt. Tandem tamen Turcæ in aduerſos montes euaſerunt & hoſtes ſuos loco deturbarunt.

Hieroſolyma Selymo ceſſit.

At Sinambaſſa qui Gazenſes necatis defectionis authoribus boniſq; eorũ direptis pecũia publicè impara, meritas pfidię pœnas dare coegerat, cognito Selymi aduẽtu victrices copias hoſtiũ ſpolijs exornatas eduxit, atq; obuiam eſt pgreſſus. Hîc Selymᵘˢ multo cũ honore verborũ cõmendauit, & munerib. ſericę veſtis ſignatéq; pecũię fortiſſimos q̃ſq; pſecutᵘˢ eſt. Exinde caſtra 4 dies Gazę habita (q̃d nullum

Turcæ Memphas accedunt.

1518 nullũ perterritis hostibus morę ſpaciũ dandum putabat) vrbem reliquit, & mediocri præſidio confirmauit. Etſi autem omnia ſummam proficiſcendi celeritatem in Aegyptum efflagitabant, tamen exercitus reficiendus, & magna vtrium multitudo inſtituenda, quibus per vaſtas & fontium penuria deſertas ſolitudines ingentẽ aquæ vim toto itinere Camelorum ſubuectionibus comportarent. Verùm illis debus præteritos imbes tanta cœli tranquillitas cõſecuta eſt, vt nihil ad ſummã tra ducendi exercitus fœlicitatem Selymo defuerit. Nanq; aër nullis turbatus procellis, quæ harenas excirent, atq; officerent oculis, perpetua ſerenitate conquieuit, ac ſimul tanta vis aquæ omnibus ferè locis reperta eſt, quos pluuialis humor harenis imbibitus fodientibus puteos ad depreſſionẽ duorũ pedum occurrebat, vt fruſtra comportari vtres ac ſitim timeri vulgo milites exiſtimarent. Non defuerunt tamẽ Arabes qui toto itinere ad prædam vndiq; confluerent, nec quenquam hoſtiũ excedere agmine vel remiſſius ſequi paterent, cui vno malo facile duces occurrebãt. nam toto exercitu diſtributa erant tormenta, quæ à turmarũ præfectis (vt quiſq; periculo ꝓximus erat) in hoſtes emittebant. Valida quoq; ſclopetariorũ munus tuni iniurię erãt, egregiè ſe defendebant. Eo modo ne quicquam laceſſente Arabũ turba prope Memphis octauis caſtris peruentum, præcedente Sinambaſſa, qui cũ Europeis vnius tantum diei itineris ſpacio Imperatorem ſemper anteibat.

Tomumbei magnanimitas.

Erat pagus ad ſextum lapidem ab vrbe Memphi, qui Matharea dicit, Balſami fęcunditate memorabilis. In eum locũ Tomumbeius omnẽ nouũ ac veterẽ tormẽtorum apparatũ cõtulerat, foſſas tranſuerſas toto campo & publica via, quæ leuibus ratibus & terra inæquabant, perduxerat. Ipſeq; cum duodecim millib. Mamaluchis magnóq; Arabũ equitatu opportuno in loco conſtiterat, eo cõſilio, vt Turcarum copiæ cum appropinquare inciperẽt, priuſq; ad teli iactum acceſſum foret, improuiſa tormentorũ multitudine ſternerent, ipſeq; protinus cum perturbatis & inſidias prolapſis vndiq; tota viriũ multitudine circumfuſus, æquiſſima cõditione decertaret. Magna procul dubio Turcis calamitas imminebat, niſi fortè paucorum perfidia operoſis Mamaluchorũ conatibus occurriſſet. Erant in Soltham exercitu quatuor equites Epirotæ, qui ſpe præmiorũ adducti ad Sinambaſſam ducẽ ſuæ nationis hominẽ transfugerũt. ab his Turcæ edocti cuncta hoſtium conſilia cognouerunt, ac in primis quales inſidias Tomumbeius ſumma arte tetendiſſet, in quas neceſſe foret incidere, niſi ab vna publica deflecterent. quamobrem ijſdem profugis ducib. in læuam magno circuitu (antequã diluceſceret) in ſolitũ iter ingrediunt, atq; inſtructa acie, ꝓductiſq; tormentis, ne quid morę ad committendã pugnam intereſſet, euitata caſtrorũ fronte auerſis hoſtibus ſe oſtendũt. Ea re animaduerſa Tomumbeius ex hoſtiũ itinere cõiectura iudicãs inſidias ſuorũ proditione fuiſſe detectas, nihilominus vt erat egregiè fortis ad conſiliũ priſtinúmq; vigorẽ ſenſus omnes extemplò reuocat, accitiſq; ad ſe omnib. ꝓfectis qd fieri vellet celeriter edocet.

Turcarum & Mamaluchorum congreſſus.

Tomumbeio in tanta rerum anguſtia conſtituto omnia vno tempore erãt agenda, ſignum proponendũ quo milites eques cõſcendere & arma capere iubent, conuertendus caſtrorũ ordo, inſtruenda acies, milites confirmandi, & tormenta vti caſus poſtulabat in contrariam partem traducenda, quæ res ſicuti ægrè vnus adminiſtrare poterat, ita peruersè à pluribus ſimul agebant. ſed illud in primis omnia retardabat, magna omnium concurſatio ad traducenda tormenta. Verùm his difficultatibus ſubſidio erant militum alacritas, & conſtantia ſingularis. non enim (vt in repentinis caſibus accidit) vllo timore concepto ſpe animiſq; decidẽrãt. Siquidem bis acie victi maiorem fiduciam maioréſq; ſemper ſpiritus ſibi deſumpſerant, quum non virtutem pugnandiq; peritiã, ſed fortunam ſibi defuiſſe indicarent. Igit Tomumbeius inſtructa acie & militibus magno ardore prælij ſignũ depoſcentib. omnem Arabum multitudinẽ à tergo aduerſariorum cornua circumuenire, & tumultuario prælio laceſſere iubet, vt Turcæ equites penè priuſq; ipſe inductis ſuorũ turmis procurreret, ancipiti pugnæ periculo turbarent. Mox tormenta, quæ iam

dedu-

deducta & directa in hostes fuerant, displodi imperat, idem continuò fecerunt 1518
Turcæ. nam iusto ab spacio maiora minoráq; semel emiserunt, ac rursus omnibus celeriter impletis, eorum currus ad sagittæ iactum promouerunt. certatum diu est hinc inde solis ac frequentibus tormentis, dum acies appropinquarent. Qua contentione Aegyptij librarores fermè omnes interfecti, pluráq; eorum tormenta in pilarum hostilium curribus excussa perfractàq; sunt. Nam Turcæ plures tormentariæ artis peritissimos magnis præmijs ex Italia & Germania in castris habebant. ac multos in primis ex illa iudæorum colluuie, quæ à rege Ferdinando ex Hispanijs pulsa, in contumeliam nostram toto Orienti huiusmodi mortiferas artes importarunt. His omnibus pręerat Iacobus è Regio Lepidi horum operũ artifex, qui iam pridem deserto Christi cultu ad Mahometi sacra defecerat.

Turcarum periculum.

Quum iam prælium vtrinq; ad manus adducerẽt, Mamaluchi trucem atq; horribilem clamorem tollunt, & tripartito magna vi Turcas adoriuntur. Selymus enim sic incedebat vt lunata acie aduersis hostibus appropinquaret. Pręerat Asiaticis in dextro cornu Mustaphas, in sinistro Iunusbassa, ipse mediam aciem (vbi prætoria phalanx Ianizarorum erat.) cum magna tormentorum multitudine obtinebat. Sinambassa autem toti summæ certaminis præesse iussus, ad incertos pugnę euentus certam sibi aciem ex fortissimis equitum ex vnaquaq; ala detractis delegerat: hisce etiam quingentos Ianizaros sclopetarios adiunxerat, vt ab omni pugnæ loco ei suorum parti subsidio foret, quæ ab hostibus maximè premeretur. Ita vno ferme tempore, quum Tomumbeius in medio contra Selymum constitisset, & iam Mamaluchorũ alæ cum cornibus pari fronte concurrissent, ac in tergis Arabes vti imperatum fuerat impigrè dimicarẽt, quatuor simul prælia distinctis in locis exarsere. Narrant qui huic prælio interfuerũt, clamore militũ, & tympanorũ tubarúmq; sonitu fragore tormentorũ, pulueris nube, & armorum strepitu adeò omniũ mentes attonitas confusasq; fuisse, vt cuncti promiscuè cæci furore & vecordi audacia proruẽtes, quũ nec voces tessarę q; dignosci, nec videri signa, nec ducũ imperia exaudiri possent, magnã suorũ pariter atq; hostiũ stragẽ p mutuum errorẽ ediderint. Nunquam enim antea maioribus accensæ odijs inter se concurrerant, dum quælibet pars nullam sibi reliquam spem, nisi quam victoria peperisset fore intelligebat.

Europęi Turcæ cæsi.

Iam Gazelles decoris atq; vindictę studio incensus, vt Europeis parem Gazelli cladẽ redderet, Iunusbassam magno impetu adortus, primas ac resistentes turmas obtriuerat, vexilla prostrauerat, ac Arabibus à tergo prementib. illas omniũ bellorum victrices copias, vbi Thracum, Thessalorũ, ac Macedonũ robora erant terga dare coegerat, quũ Sinambassa cum recenti ac valida suorũ manu in latus hostium aduolauit, & inclinatã ac fædè dissectam aciẽ reparauit. Verùm paulo pòst ipse Sinambassa, qui victoriã interpellarat, cõuertentib. sese in nouũ hostẽ Mamaluchis, Bidone duce ante alios egregiè pugnãte, obtruncat. Eius quoq; eqtes exanimem humo tollere ac seruare conati, Gazelle turmas explicante, vt rari liberius gladijs rem gererent, magna ex parte cedunt & fugantur, egregiáq; illa prętoria cohors tota in medio cõtrita & pcisa est: in altera autem parte Mustaphas cum omni suo equitatu vehemẽter inuectus, sinistrã Aegyptiorũ alam acerrimè purgebat: ij paulò antè tormentis insigne detrimentũ acceperãt, q̃ fortè à media Selymi acie obliquis campi spacijs emittebant. Ea re animaduersa Mustaphas semel perturbatis acriter instare, lassatósq; fundere & prosternere. Asiaticos quoque adhortari, vt veteris militię decus (q̃ in Hierapolitanis campis nuper amisissent) illa die recuperarent. Eodẽ quoq; tempore Tomumbeius perrupta media equitũ acie ad pedestre tum peruenerat, pluráq; ipse præclara facinora curuato ense (vt erat corpore & viribus ingens) ediderat: atq; Arabes exteriora Turcarũ agmina corona præcinxerant, eósq; auersa & duplici acie pluribus in locis pugnare coegerãt: quũ Selymus phalangem pmouit, cuius impetũ neq; equi, neq; viri victores ferre poterant.

Mamaluchorum fuga.

Ibi pars militum per interualla sclopetis vtebant, pars prætentis cuspidib. frontẽ hastarum sylua ita pręsepserant, vt obuia quæq; sternerent. Pugnatum tamen est vario

1519 vario vtrinq; euentu ab hora quarta ad occasum solis vsq;, nec vlla copiarum pars extitit, quæ diuersas pugnæ vices alterna sorte non tulerit. adeo enim victi victo-réscq; peruicacib. animis decertabant, cum Mamaluchi ab his eripi victoriam quos tam latè cecidissent, Turcæ verò tam diu sibi resistere bis prius ab se superatos indignarentur, vt languidæ etiam manus, & fessa corpora suffectura continuis cædibus in alteram lucem videri possent, nisi mox ipsa tantæ cladi finem attulisset. Prior Tomumbeius summæ rei diffidens receptui canere iussit, vt sui non pulsi, sed reducti viderentur, quod ad confirmandum militum animos, & ad authoritatem retinendam plurimum pertinere arbitrabatur. Hoc modo prælio interuentu noctis dirempto, Turcę potiti hostiũ tormentis atq; tentoriis, Mamaluchos qui iter Memphim intendebant, ad multam noctem persecuti sunt. pugnatum est die Iouis nono calend. Februarij, anno salutis 1517. Captus est in fuga Diadorius & Bidon prę-cipui duces. Hos Selymus altero die mactari iussit, vt Sinambassæ manibus dignioribus victimis parentaret. Eo tempore quarta pars Turcarum copiarum vaietudine & vulneribus erat confecta, magnúsq; equorum numerus eius diei laboribus fatigatus, quibus de causis Selymus aliquid de sua festinandi consuetudine remittere cogebatur. Nondum enim Memphiticorum voluntates cognoscebat, nec etiam quibus in locis Tomumbeius consisteret, sciebat. Igitur ijsdem in castris quadriduo moratus, saucios cum cura reficit, ac suorum cadauera sepeliri iussit, hostium verò auibus & feris lanianda relinquit. indéq; promotis castris, vt commodius aquaretur, in planitiem inter Cayrum vetus & Bulachum contendit.

Proditores Turcis vtiles

Interea Tomumbeius nihil tot asperis rerum successibus fractus, collectis vndiq; Mamaluchis, loco inter Memphim nouam & Nilum amnem idoneo castra posuerat, & ad octo millia seruorum Aethiopum armauerat: præterea Mamaluchorum filijs, Mauris, Iudæis, ac Arabibus arma telaq; ex armamentario tradiderat, & bellum priore maius aduersus Turcas moliebatur. sed quoniam aperto in campo nihil vera virtute proficeret, ad bellicos astus totus vertebat. Itaq; noctu Turcarum castra adoriri ac incendere constituit, vt prius ipse aliquid audacter per tenebras conaretur, quàm hostes paucitatem copiarum eius deprehenderent, vtque tormenta noctis beneficio deuitaret. Verùm hos conatus similis transfugarũ perfidia euertit. Nanq; Selymus (prodentibus aliquot Mamaluchis) cognito insidiarum ordine, exercitum arma expedire, & excitatis passim magnis ignibus intentiore cura excubare iusserat. Qua diligentia sequenti nocte factum, vt Tomumbeius ad castra delatus, non mediocri iactura repelleretur, supremámq; inde cladem nocte accepisset, nisi flammarum totis castris collucentium insolito splendore admonitus, festinãtia agmina continuisset. Eo autem consilio Tomumbeius depulsus, omnium suorum hortatu Memphim ingressus est. nanq; Mamaluchi, quum aliam gerendi belli rationem ineundam sibi esse censerent, vt vrbem occupatis opportunioribus locis totius exercitus præsidio firmaret, atq; ingressu hostẽ prohiberet, suadebant, vt qui in tanta rerum acerbitate postquam pro focis vxoribus & liberis certandum foret, in eorum conspectu, ac in ipsis domorũ vestibulis pugnantes occumbere, decorum & pristinæ virtutis gloria dignum arbitrarentur.

Memphis præsidio munita.

Vnde singuli equites domos suas digressi, familiam omnem, & summa tectorũ vario genere telorũ instruũt, & Aegyptios suæ quisq; vicinię orant, vt arma aduersus communes & crudeles hostes capere velint, nec se trucidari, vxores verò & liberos in seruitutem abstrahi patiant, quando nec ipsis parsurus esset immanis Turca, si bello victor euaderet. Erãt plerique ex ditioribus Aegyptijs, qui sicuti Imperij commutationem mercaturæ & fortunæ detrimentosam fore prouidebant, ita studio atq; opera Mamaluchis non deerant. Contrà plerique è media classe ciuium, & è plebe ingẽs multitudo (quæ periculi expers semper in alieno damno lucrũ facit) quod se per trecẽtos prope annos in luctuosa & miserabili seruitute omnia extrema perpessos esse meminerat, intenti in supremi certaminis euentũ foribus suis se continebant, & tacitè lętabant, quod non sine Deorum cura tempus aduenisset, quo ne-

quo nefarij impotentéſq; domini tantorum ſcelerum pœnas darent, ac vindicta a- 1519
lieno ſanguine peteretur, vnde mox ipſi oculos optatiſſimo ſpectaculo ſatiarent. Dum hæc fierent Tomumbeius ſummo ſtudio ac labore portas aditúsque omnes communire, ſingulos duces ſingulis plateis præponere, per omnia fora concionari, nihil remiſſum in opere eſſe pati, ac demum magnam ſpem intrepido vultu præferre. Ipſi verò equites æmulatione incitati impigrè officia ducis exequebantur. Nam quiſq; notioríb. vicis ſuis foſſas tranſuerſas ac trabes ingentes perducebant: alij præacutos ſtipites occultis in ſcrobib. defigebant, quibus incauti hoſtes inducerentur: alij in triuijs feneſtras tormentis inſtruebant. Etſi autem vrbs ampliſſima nullis mœnib. cingeretur, tamen erant certæ portæ certíq; aditus qui in vrbem ferebant, quorum vnus latioribus viarum ſpacijs ab orientali porta ad arcem mediámq; vrbem pertinebat. In hunc maximè Tomumbeius iuſtas vires contulerat, quod neceſſariò ab ea parte irrupturos hoſtes propter vicorũ amplitudinem intelligebat, reliquas regiones vrbis præſidijs mediocrib. tuebatur. Interiora verò (vbi auxerat) à validiſſima copiarum parte tenebantur, vt quò vis hoſtium clamórq; & periculum milites auocaſſet, intenti ad opem ferendam celerius accurrere poſſent. nam vrbs maxima ab exteriore circuitu parua manu defendi non poterat.

Memphis vaſto ambitu tres ingentes vrbes cõplectitur: ſed hæ raris inter ſe iunctæ ædificijs vnam efficiunt, quarum frequentiſſimam hodie nouum Cayrum vocant. Ea in longitudinem ſex miliarium ſecundum Nilum protenditur, & ab Nilo paſſus mille paribus ſemper interuallis diſtat: latitudo eius decem ſtadia non excedit, media in vrbe arx eſt molli tumulo impoſita: cuius amplitudinem & elegãtiam potius quàm munitionem noſtri admirantur: ſunt enim in ea nobiles horti, platea ingens cum immenſis porticib. atq; triclinia in omnes cœli regiones obuerſa. Exteriora verò turribus ac propugnaculis, eximijq; operis pinnarum corona præcinguntur, vnde circumquaq; ſubiectæ vrbis ſpacia, Nilus præterfluens, ipſæq; pyramides conſpici poſſunt. Ibi etiam tria Chriſtianorum templa, quorũ vnum alijs venerabilius propter Cryptæ famam, vbi Maria virgo fœuitiem Herodis fugiẽs, cum infante Chriſto deo latuerit: alia Barbaræ virgini, & Georgio equiti ſacrata. Cayrũ nouum continuatis ferè ædificijs Bulachum ſequitur, id oppidum in vrbis effigiẽ altioribus tectis ſuperbum Nilo adiacet, & à Mamaluchis æſtiuo tempore frequẽtatur, vt increſcentis Nili exundationes proſpiciant. Eò cuncta nauigia quę aduerſo amne ſubuehuntur applicant, paulò ſuprà Bulachum vetus Cayrum ſequitur, quod pariter nouo Cayro intercedentib. ædificijs interuallo viginti ſtadiorum annectit, & præterfluẽti Nilo imminet: plurima mediocris ſtructuræ ædificia vtranq; ripam obtinent. Contrà eſt inſula medio in amne hortorum & villarum amœnitate memorabilis, vbi diuortium aquarum incipit, & Nilus ingenti inſulæ roſtro proſcindi tur, in ea templum eſt filię Pharaonis regis, amore & periculo Moſeos celebratum. Verùm Cayri veteris ædificia maiori ex parte in hortos abierunt: ibi antiquã Memphim fuiſſe multis coniecturis exiſtimamus, ab vetere Cayro quinq; millibus paſſuum in Africæ parte Pyramides abſunt, Barbaræ uanitatis monumenta. Intus ſunt conditoria regum Aegyptiorum in cellas diſtincta, quæ pretioſo lapide veſtiuntur: ea loca odore tetra ſunt, & tenebrarum aſpectu formidanda. Populus Memphiticus per omnes vicos numeroſus occurrit, ſed ob metum Mamaluchorum ferè incultus & ſordidus, ne opes oſtentare videãtur. Ditiores Camelis & aſinis vehuntur, Mamaluchis ſolis ſibi equis vſurpantibus: omnes ferè veruecina carne, atq; orize pultarijs famẽ explent, nec exquiſitas dapes nouerunt. Gallinacei tamen generis pullos nobilium menſæ admittũt, quod eorum magna ſit copia Aegyptijs, apud quos gallinæ ſua oua non incubant, ſed ea in clibanis (tepore ſenſim adhibito) ita fouentur, vt intra paucos dies ædantur. *Cayrum nouum.*

Cæterum Selymus vbi Tomumbeium Memphim ingreſſum eſſe, & Mamaluchos omnes coactis in vnum viribus extremam belli fortunam periclitari velle certius cognouit, propius vrbẽ admouit caſtra: mox etiam milites adhortatus eſt, *Prælium intra vrbem Memphim.*


1519 vt toties victos hostes ea die omnino vincendos & penitus debellandos existimarent, paululũmq; adniterentur, vt superiorum laborum atq; victoriarum præmia caperent. Ardebant prædæ cupidine militum animi, paratiq; & diducti in ordines signum irrumpendi expectabant, quum Selymus Bassuela porta ingressus, equites plurib. simul locis, sed latiore via Ianizaros, immisit. occurrere equitib. equites, præliũmq; atrox in triuijs & angustis in callibus ædiderunt: pedites verò prolatis infrontem colubrinis & Falconib. hisq; vbi hostium agmina cernerentur repentè excussis, compita rectis opposita regionibus statim defensoribus nudabant. Vbi verò ad munitiones fossasq; peruentum, dum impulsu obiectas trabes amoliri, fossasq; transcendere conarentur, contráq; Mamaluchi impigrè obsisterent, tanta vi, tantáq; animorum peruicacia certauere, vt nusquam acrius vel cruentius sit dimicatum. Mamaluchi enim pariter ac Turcæ vires omnes & cũctas bellandi artes in id vnum pugnæ discrimen contulerant, haud ignari pro vita atq; imperio vltimo eo certamine dimicari. quando summa vtrinq; præmia aut extrema supplicia victis ac victoribus ludente fortuna ostenderentur. sed plurimum cædis erat apud munitiones. nam Turcæ incautius progressi in cæcas fossas alij super alios cumulati prementibus vltimis procidebant: alij acutissimis vallis inducebantur. Ipsę matres familiæ è domibus virili audacia in subiectos saxa & tegulas prouoluebant. Has contra Turcæ destinatis sclopetorum ictibus ferire, effringere fores, & intra domos varío euentu pugnare: ipsi quoq; Aegyptij modò harum, modò illarum partium fortunã speculantes, diuerso studio vtroslibet iam pro hoste, iã pro amico prosequebantur.

Acerrima Barbarorũ pugna.

Hoc modo factum vt in diuersis regionib. plura simul certamina contraherentur. nam transuersis vicis quum discurrerent, modò hi, modò illi in nouos hostium globos incidebant, & qui victores in fronte vrgebant, sæpe intercluſi ab hostibus in tergis cædebantur. Viæ coaceruatis passim cadaueribus tanto cruore madebant vt eleuatus puluis, qui primo densissimus erat, sedaretur. Aer nihilominus fumo tormentorum & nube sagittarum erat obscuratus, tantúsq; erat militum clamor, armorúmq; strepitus, atque ipsorum tormentorum fragor, vt terra tremere & conuelli ædificia viderentur. Pugnatum est continenter duobus diebus ac totidem noctibus ancipiti Marte, ita tamen vt Mamaluchi, qui numero pauci labori atq; vigilijs sufficere non poterant, cedendo in interiores sensim vrbis partes, desertis primis munitionibus se receperint. Tertia die Mamaluchi tanta virtute pugnam redintegrarunt, vt Turcas ad multum spacium propulerint, & aliquot eorum falcones interceperint: quo casu dicitur Selymus de victoria desperasse, & iussisse vt ædificia passim incenderentur. Iam tecta miserabilem flammam conceperant: iam vlulatus deprecantium Aegyptiorum audiebatur: iam ipsi Turcæ languidius pugnantes vt receptui caneretur expectabant, quum à pluribus simul nunciatur hostes à diuersa parte, instante Mustapha loco pulsos supremum auxilium in fuga posuisse. Etenim Mustaphas ad amplissimam plateam peruenerat, vbi Mamaluchi stratos equos collocarant, vt si quid durius accideret eò se reciperent, atq; his conscensis in proxima loca se proriperent, hos omnes Mustaphas comprehendit & abduxit.

Ea res vigorem eorum magnopere debilitauit, quamobrem spe fugę sublata, quum vndique se circumuentos perspicerent, prælium que nulla alia spe quàm virtute sustentaretur, confessione sua victi terga dederunt.

Mul-



Multi cum Tomumbeio ad Nilum properantes ratibus tranſuecti in Segeſticã regionem contenderunt. Alia multitudo Aegyptiorũ domibus fœdiſſimiſq; latebris ſe condidit. Ex fortiſſimis aũt equitib. amplius mille & quingenti ad templum Deorum in vrbe maximum confugerunt, vbi cum diu ſe tãquam ex arce defendiſſent, ad extremum ſiti, laſſitudine, & vulneríb. fatigati, ſe victoris arbitrio dediderunt, quorum pars conniuente Selymo ab iratis militib. in veſtibulo trucidata, pars ſecundo amne poſt aliquot dies Alexandriã deuecta eſt. Selymus inclinante victoria extemplò duas cohortes ad reſtinguendos ignes prẽmiſit, ac tota vrbe per prẽcones pronunciari iuſſit, Mamaluchos qui intra 12 horam ſe dederent, omnes fore incolumes: poſt id tẽpus deprehenſis nullam fore ſalutis conditionem. Aegyptijs autem qui latentes proderent ſe daturũ prẽmia, contrà qui occultaſſent ſe protinus eos palo infixurũ, vxoríbuſq; ac líberis venundatis domos ipſas eſſe concrematurum. Ad huius edicti famã magnus eorum numerus prodijt, quib. ſtatim cathenæ

Memphis à Turcis occupata.

1519 iniectæ. Illi omnes postea contra iusiurandum in custodia crudeliter necati sunt: nonnulli qui amicitię iura proditione violare noluerãt, pro amicis constantissimè perierunt. Exinde milites victoria feroces scrutari cuncta, protrahere abditos, & obtruncare, prędari etiam Aegyptiorum domos, nihil clausum relinquere. erãt qui vno tempore ijsdem in ædibus, auaritia, crudelitate, & libidine grassarentur, quum quisq; eò vires impetumq; transferret, quo à natura raperetur.

Mamaluchi bellum renouant.

Eodem die Gazelles superuenit, qui paulo antè à suo rege in Thebaidam profectus fuerat, ad conducenda Arabum auxilia, is cum euersis rebus nihil proficere posset, ad Selymum fide accepta cum tribus Arabum ducibus, multisq; equitib. venit. Selymus, quod Gazellem propter eximias animi & corporis vires nouerat, quodq; Arabes fœdere atq; amicitia sibi obstringere cupiebat, omnes humaniter excepit, & ipsis stipendia constituit, hortatúsq; vt cuncta ex sua liberalitate sperarent, & veteris fortunæ obliuiscerentur: nec multo pòst quũ ab Achasia Mauri simul & Arabes Memphiticum agrũ inuastabant, sæpéq; frumentatores Turcas intercíperent, Gazelles cum parte exercitus ad debellandos eos missus est, q celeriter Achasia expugnata, & hostib. magna ex parte trucidatis, superiorũ dierum iniurias magna sui laude vindicauit. interea Tomũbeius in Seiectica regiõe, q ad Cyrenaicam vergit, bellũ reparabat: Venerat ab Alexandria ad eũ valida Mamaluchorum manus, multi etiã eum ex fuga comitati fuerant: non deerant partis Africę Arabes, & Mauri quoq; regionis incolæ operã suam pollicebantur: præterea ab Mẽphi nonnulli Aegyptiorũ, si noctu ad vrbẽ conuolarent, se tumultũ excitaturos promittebant. forecq; vt omnes Turcę qui in contubernijs essent vno impetu populi delerẽtur. Ipsos quoq; Turcas ex amplissimo exercitu in exiguum numerum redactos, & maiori ex parte vulnerib. aut aduersa valetudine confectos: quibus de rebus, & vires vndiq; crescebant, & spes ipsa efferebatur, ita vt fortuna tum primum communitatis iniurijs prosperos rerum exitus promittere videbatur.

Legati ad Tomũbeiũ missi.

Dum hæc à Tomumbeio pararentur, Albuchomar vir Aegyptius, qui in Seiectica alios omnes authoritate superabat, ad Selymum proditor venit, atq; eum de copijs & nouis Tomumbei consilijs certiorem fecit. quo cognito Selymus tota vrbe excubias posuit, & suspectos ciues in arce custodiri iussit: tum etiam complura nauigia tormentis & militibus instructa, quæ aduersam Nili ripam tuerentur, pluribus locis toto flumine collocauit. Verum secum ipse reputans, quanto cum periculo toties cum accerrimis hostibus conflixisset, & quam difficile foret Tomumbeiũ intercipere fuga bellum extrahentem, vt clementia hominem tentaret, ad eum legatos mittere decreuit, qui suaderent vt arma deponeret, & victoris fortunam agnosceret, ac simul data fide pollicerentur, eum si supplex accederet, regnum victoris beneficio consecuturum: at si renouare bellum pergeret, nullam eum postea dignitatis conditionem apud iratum hostem inuenturum. nam Selymus cum se in remotissimam regionem abductum conspiceret, ac tantulis infirmus copijs timeret, ne in amplissima vrbe ab incertæ fidei hominibus opprimeretur, per conditiones bellum conficere, quam nouis periculis implicari malebat, præsertim quum nunciaretur vbiq; equites ab his Mamaluchis cogi, qui ex fuga diuersas regiones petiuissent, classemqúe expectari ad Suezziam portum, quæ Arabico sinu ad Erithreas angustias aduersus Lusitanos profecta esset. In ea esse super tria millia Mamaluchorum, magnumq; numerum tormentorum, vnde Tomumbeius incommoda resarcire posse videretur. sed eum in primis ingens cura Persicarum rerum excitabat, ne si Hymbracorbassa Ismaelis viribus impar foret, ipse prius ab Asia minore & Syria excluderetur, quàm Bizantina classis cum supplemento militum Alexandriam veniret, præsertim quum Rhodij equites intentissimi essent ad Turcarum naues intercipiendas, & hanc victoriam impediendam. Igitur decreta legatione, viri insignes qui sacris pręerant, cum hisq; aliquot Aegyptij clarinominis recta ad Tomumbeium transmittuntur.

Quum

Quum hi traiecto Nilo in Seiecticã peruenissent, antequam audirẽtur à quibus- 1518
dam Mamaluchis insana crudelitate trucidati sunt. nam arrogantes homines To- *Legatorum violatorum pœna.*
mumbeio nihil tale expectanti se gratũ facturos putabant, si ad declarandũ suũ stu-
dium tanti odij & feritatis rabiem eo scelere ostẽdissent. Quod factũ omnem Sely-
mi patientiam abrupit, & mox funestũ finem bello & Mamaluchis imposuit: vnde
in Seiecticam aduersus Tomumbeium expeditionem edicit, cõmeatum parare im
perat, & Nilum cõtractis vndiq; nauigijs stabili & latissimo põte cõsterni iubet. At
Tomũbeius, cum hęc per exploratores audiret, veritus prouincialiũ perfidiã pręlij
fortunam tentare constituit. Ergo inito cum suis cõsilio, cum 4 millibus armatorũ
equitum, & 8 millibus Arabum è Seiectica diluculo profectus, continuato per diẽ
& noctem itinere ad Nilum contendit, vt Turcas audendo falleret, & sui famã cele
ritate præueniret, ratus se improuiso aduentu partem copiarũ, quæ primò flumen
transijssent, esse deleturum: nec etiam tẽporis spacio opinionẽ fefellit, & prima A-
siaticorum agmina pontẽ traiecerant. Muliones & cum his pueri qui Selymo à cu-
biculo seruiebant (cum ad tendendum tabernaculum locum amœniorem quære-
rent) longius progressi, puluerem aduentantis exercitus primi conspexerunt, sta-
timq; ea de re Mustaphas certior factus ad arma conclamauit. qui rumor & his qui
iam transierant, & illis qui in citeriore ripa transituri morabantur magnam trepida
tionem iniecit. Tomumbeius ergo expedientes arma & coeuntes ad signa hostes
repentino impetu adortus, primos qui sustinere irruentium impetus ausi sunt ob-
truncat, alij disiecti & in fugam versi.

Eo tempore Mustaphas, quanquã impauidus, neq; restituere ordines, nec in fu- *Turcarũ periculum.*
gam actos retinere potuit. In aspero. n. negotio cuncta cæde, fuga, ac metu plena e-
rant, totis ripis supra ac infra pontem respectantium & auxilia implorantium tre-
pida agmina visebant. Multi etiam impellentib. hostiũ turmis ad extremos redacti
margines in flumen procidebant. multi ad initium pontis occurrentibus qui ab vl-
teriore ripa submittebantur, dum scandere pontẽ vellent ab suis reiecti fluuij gur-
gitibus hauriebantur: nec in tormentis vllum erat auxilium, quæ celeriter traduci
vel ab citeriore ripa propter obiecta suorũ agmina emitti sine detrimento non po-
terant, interim Selymus scaphas Ianizaris sclopetarijs complet, atq; equitatu per
pontem accelerare iusso eos laborantibus subsidio transmittit. Horum aduentus
perturbatos Asiaticos confirmauit. Canoglis quoq; Tartari regis filius Scytharum
agmina vt Nilum transirent cohortatus, in vlteriorem ripam paucis desideratis &
cunctis admirantibus euasit: tum Tomumbeius confertis suorum turmis celeriter
ad pontis caput penetrare, & id occupare conatus est, vt ad intercludendum ho-
stem primam ratem euelleret, & rudentes præcideret, ita vt totus pons superstanti
bus copijs resolutus impetu fluminis raperetur, quæ res periculosissimam dimica-
tionem attulit. Itaque tanta est contentione actum quanta agi potuit, quum Mama
luchi si loco potirentur, se breui negotio postea superiores hostium victorias euer-
suros manifestè perspicerent, & Turcæ nisi põtem conseruassent, de sua & impera-
toris salute desperandum esse intelligerent. Sed rem obtinuit Mustaphas sclopeta-
rijs & Græcorum turmis quæ iam plures transierant: móxq; hostibus repulsis vltro
instituit, & submouit.

Tomumbeius vt Mamaluchis qui lassitudine deficientib. equis acrius pugnare *Tomũbeius captus.*
non poterãt aliquid ad respirandũ spacij daret, & p eos rursus extremũ pręlij casum
collectis viribus experiretẽ, Arabes & Mauros vt tãtisper pugnã sustinerent adhorta
tus est. qcum impigrè pręstitissent, & paulo pòst Mamaluchi recreati successissent,
tanta vi pręliũ redintegratũ est, vt Selymus victoriæ diffidens cõscendere põtem
& suis auxilio proficisci non dubitarit. Eius aduẽtus, spe illata militib. conatus ho-
stiũ repressit, statimq; prętorianorũ cohortium virtute oẽs hostes in fugã versi. eq-
uitatus, qui pręlio nõ interfuerat, fugiẽtes totis cãpis consectatus est. & ipsi demũ scy
thę sagittãtes affuerũt. Tũ verò missi Mustaphas & Cayerbeius, ac Gazelles cũ re-
centi equitũ manu, q vestigijs fugientiũ insisterẽt, nec Tomũbeium elabi paterentẽ.

1518 Sequenti die eum ad ꝑltæ paludis emiſſarium vbi paulum quieuerat, adepti ſunt, conantémq; interſcindere ligneum pontem, rurſus effugere coegerunt. Tertia die quum amiſſis ferme omnibus copijs ad Secuſſani reguli villam peruenisſet, & Turcæ incolis extrema ſupplicia denũciaſſent, niſi ad comprehendendũ Tomũbeium egreſſi oẽs, illarũ paludium & circũiecta loca intẽtis cuſtodijs obſeruarẽt, metu pculſus paludib. ſe condidit. vbi eum paulo pòſt agreſtes merſum aquis vſq; ad ſummum pectus atq; inter iuncos & harundines latitantẽ deprehenderunt, vinctumq; miſerabili habitu occurrentibus Turcis tradiderunt. Nec multo poſt cum aliquot ducib. & præcipuis amicis Memphim perductus eſt. Selymus qui propter interfectorum legatorum iniuriam hominẽ necare decreuerat, eum ad ſe perduci vetuit, & tortoribus tradidit, vt de Campſonis theſauris quærerent, qui ſecretiſſimo ſpecu abditi credebantur. Ferunt eum conſtanti animo & minaci vultu nihil præter ſuſpiria atq; horribiles gemitus in ſummis cruciatibus protuliſſe, vt ea patientia victoris ſæuitiam ſuperaret.

Aegyptus Turcis ceſſit. Postero die eum vili camelo impoſitũ, ac obſoleta indutum veſte, religatiſq; in tergo manibus (ſicuti noxij ac latrones ſolẽt) per omnia vrbis fora & celeberrimas regiones circumduci iuſſit: vt Aegyptij quem paulo antè regem adorarant, illum eundem vertente fortuna vitæ ſimul atq; imperij dies fatali laqueo finiturum intuerentur. Quum verò ad Baſſuellam portam peruentum fuit, ei laqueo gulam fregerunt, vtque tranſeuntibus conſpectui & ludibrio foret vnco ferreo ſuſpenſum ſurpra fornicem reliquerunt. factum eſt id idibus Aprilis, qui dies lunæ Chriſti reſurrectionem proxime ſecutus eſt, anno 1517. Nec defuerunt qui in eo tam atroci ſpectaculo lachrymas effunderẽt, triſtiq; geſtu vltimi regis ſui fœdam necem auerſarentur, præſertim cum Turcarum gentem formidatam ſuperbiſſimè regnaturã existimarẽt. Tum etiam cæteri Mamaluchorum proceres cum ignobili equitum turma, qui in cuſtodijs erant, eandem exitus fortunã tulerunt. Hiſce gactis cum nulla certa hoſtiũ manus in Aegypto eſſe nunciaretur, quæ renouare bellum poſſet, deductis copijs Selymus duces miſit ad recipiendas vlteriores prouincias. Alexandrinꝰ.n. poſt Memphiticã pugnam, expulſo pręſidio, multis ante dieb. ad Turcas defecerant. Damiata quoq; victorib. portas aperuit. Citra aũt Nilũ qua Aegyptus ludęæ atq; Arabiæ terminos attingit, nulla ciuitas relinquebatur quæ Turcarũ imperio nõ pareret. Ipſique Africæ reges Cyrenaici finitimi, qui pendere tributa & Sulthanis certo fœdere parêre conſueuerant, legationes deſtinabant. Reliqui erant Arabes Africani, qui Tomumbeio auxilia miſerant & Turcis minimè pariturí dicebãtur. illi certas ſedes non habebant, ſed Scytharum more hinc inde vagantes tentorijs vtuntur, atq; bellis aſueti Africam longè latéq; poſſidebant.

Arabes Turcis ſubiecti. Itaq; Selymus per idõeos homines eorũ duces data fide ad ſe Mẽphim euocauit, & ſumma liberalitate ꝓſecuturus eſt. quorum exẽplo fiebat vt cæteri quotidie accederent, acceptiſq; munerib. in verba eius continuò iurarẽt. Aliqui tñ cum nullis donis flecterentur per inſidias ab aliis ducib. intercepti ac Selymo traditi, inanis pertinaciæ pœnas dederũt. Claſſis quoq; paucarum nauiũ aduerſo Nilo vſq; ad Sienem aſcendit. omnesq; hæ gẽtes quæ ad Aethiopiã vergunt, ſicuti amicitiam potius q̃m imperium Sulthanorũ agnoſcebant, ita victoriæ fama ꝓductæ in Turcarũ fidẽ facile conceſſerunt. Iiſdẽ etiam diebus ad Suezziã rubri maris portum (qui olim Arſinoes fuit) cum aliquot turmis ac cohortib. proceſſum. diſtat Memphis à proximo littore trium tãtum dierum itinere. In eo portu Campſon aduerſus Luſitanos claſſem ædificarat, qui ſubacta tota prope India omnem Arabici ſinus nauigationem ſuſtulerant, & quum Indicas merces per Oceanum in Hiſpaniam auerterent, Memphitica vectigalia grauiſſimis detrimentis affecerant. Cum etiam Rayſalomon ab ea expeditione in Aegyptũ redijſſet, & omnia mutata offendiſſet, Arſinoem peruenit, & tradita claſſe ad Selymum defecit. Poſtea Turcæ, qui Arſinoem venerant, dextro littore ad ſuperiores prouincias aſcenderũt. regulíq; omnes qui Sulthanorum tributarij vel amici erant, vſque ad Dauidis maximi Aethiopum regis fines (quem

(quem nostri Pretoiannem vocant) sine vlla dubitatione deditionem fecerunt. 1519
Abonæ spei promontorio, biníque ambientis Oceani littoribus introrsus magni Pretoiannis imperia patescunt, quæ in quadraginta amplius regna per immensas prope regiones certis finibus distinguuntur.

Eo modo Selymus terra marîq; omnibus hostium prouincijs in potestatem redactis circiter calendas Iulias secundo amne Alexandriam nauigauit, sedente ad clauum prætoriæ biremis Curtoglo Halycarnasseo prædone famoso, vt Byzantiam classem quæ per eos dies appulerat, inuiseret. Qua lustrata vrbísq; mœnibus atq; ipsa Phari arce diligẽter inspectis, Memphim reuersus est. Interea Mamaluchi qui Alexandriæ custodiebant, iubente Selymo, ad vnũ omnes in foribus carceris contrucidati sunt. Familiæ quoque Aegyptiorum, quæ opibus aut generis claritudine præstabant, numero supra quadringentas, Byzantium migrare iussę, magnaque multitudo fœminarum ac puerorum, ex progenie Mamaluchorum, eodem conductitijs nauibus transuecta. In classem autem præter thesauros & regiã Gazam publica & priuata opulentissimæ vrbis ornamenta congessit, tanta rapiendi libidine & auaritia, vt marmora eximij operis celatura, aut coloris varietate commendata summa victoris inuidia parietibus reuellerentur. Postea cum sibi in Syriam propter rumores qui de Hismaelis aduentu in Mesopotamiam afferebantur, redeundum esse arbitraretur, præsidio Turcarum Memphi imposito, Cayerbeium toti Aegypto præfecit. quæ res Iunusbassam eius honoris spe ac iusta cupiditate accensum vehementissimè perturbauit, ita vt per aliquot dies publico abstinuerit. Cum etiam postea milites stipendio fraudaret, atq; orto tumultu accusaretur, Selymus protinus ipsum in conspectu interfici iussit, addens, insolentissimi eius serui exemplo, cæteros qui arroganter Imperatori præscribere vellent, officij & conditionis memores in posterum futuros. *Cæyerbeius Aegypto præpositus.*

Hisce diebus Hunbracorbassa, qui ad Persarum fines missus fuerat, vt Sopho Hismaelí in Asiam irrumpenti resisteret, Selymo per literas significauit, Persicos apparatus media æstate penitus refrixisse, prædatorias tantum manus, quę speciẽ præsentis exercitus facerent, ab se conspectas esse, cum quibus sæpius in excursionibus prosperè conflixisset. Cæterùm vno consensu à captiuis referri, Hismaelem Hircano & Scythico bello simul implicatum cunctas regni vires aduersus eas gentes contulisse. propterea eum, quod iam propinqua hyeme solitæ niues Tauri iugis imminerent, Asiam aut Syriam eo anno minime esse respecturum. Id cum Selymus percepisset, cum exercitu in Syriã profectus est, atq; circumeũdo maritimas & mediterraneas ciuitates, ea quę secuta est hyeme, copias magna delectatiõe in Syria aluit, ipsamq; vrbem Hierosolymã & celebriora sacra loca sępius inuisit. Iam enim eadem penitus in Turcarum potestatem peruenerant. Appetente autem vere, cum Romę studio Leonis pontificis de bello inferendo iniri consilia aduersum se, supplicationes magna celebritate fieri, & ad excitandos Christianorum reges summæ dignitatis legatos in omnes prouincias, præsertim verò Rhodum ad Ioannitas equites, destinari certius cognouisset, relicto in Syria Gazelle, qui cum imperio præesset, Byzantium magnis itineribus contendit, vt ex propinquo consilia motúsq; hostium spectaret. haud ignarus interea Aegypti Syriæq; prouincias nullam rerum mutationem esse subituras, quoniam Cayerbeium & Gazellem, qui immortales inter se inimicitias exercerent, non consensuros in vnum, sed æmulatione ad promerendam gratiam in regendis prouincijs diligentia, fide, ac temperantia inter se certaturos intelligebat. *Syria Turcis cessit.*

Cum hoc modo Turcæ bellum in Syria & Aegypto perficerẽt, Christiani insano consilio in mutuam perditionem ruebant, atq; per octo integros annos arma in se inuicem acuebant. Maximilianus enim Cæsar cum Venetis circa Veronam, Brixiam, Mediolanum, Patauium, & finitimas regiones grauissimum bellum gerebat, idque tanta pertinacia vt etiam Pontifex Romanus, Franciscus Galliæ rex, atque Heluetij partibus adhærentes huic bello implicarentur, licet id *Christianorum discordiæ compositæ.*

1520 Rhodij equites multis argumentis disuaderent, ac partes ad pacem hortarentur, vt crudeli hosti Turcæ coniunctis viribus resistere possent. Itaq; factum vt tandē inter partes pax sit confecta, præsertim cum audiuissent. Selymum victorem ex Syria Byzantium reuersum omnia præparare, vt Christianos bello aggrederetur. Paulo pòst Maximilianus Cæsar 12 die Ianuarij anno Imperij 33 obijt, atq; Carolus ex filio Philippo nepos Francofurti per Septemuiros electus successit anno 1519. Erat is potentissimus Cæsar propter regnorum amplitudinem, Hispaniæ atq; Neapolis hæreditate adauctam. Vnde etiam certissima spes Christianis exorta, eum dem reliqua Europæ regna contra Barbaros defendere, & amissam Syriam cum Imperio Constantinopolitano ex manib. Turcarū recuperare posse, id quod Rhodij equites summis votis optabant, atq; ad id strenuam operam pollicebantur.

Solymannus Turcarum Imperator.

Selymus autem Constantinopolim reuersus de bello Christianis inferēdo cum Prætorianis deliberabat, atq; terra mariq; Rhodum primò expugnare statuerat, ne à tergo infensissimum hostem haberet, qui commeatus interciperet, atq; nauigationem in Italiam aut alias Christianorum regiones impediret: itaque classem instruere, copias conscribere, & bellicum apparatum colligere decreuit. Cum autem Adrianopolim prius inuisere, & omnia disponere cuperet, apud Chiurlium Thraciæ pagum, pestilenti circa renes enato vlcere, ex improuiso mortuus est, vbi cum patre Tartarorum auxilio ante octo annos conflixerat. quod non sine Dei iudicio factum, vt quo in loco peccatum commiserat, ibidem quoq; pœnas exolueret. Solymannus vnicus ex Bosphorana vxore filius, nemine obsistēre æmulo, anno ætatis vicesimo octauo tot regnorum hęreditatem adijt, quem pater moriens Perichæ eius pueritiæ moderatori commendarat. Hoc modo factum vt ferè eodē mense quo Carolus est Cæsar acclamatus, & ipse Solymannus paterno Imperatoris titulo sit exornatus. Obijt autem Selmus anno Imperij octauo, ætatis quadragesimo sexto, salutis 1519, magno Rhodiorum & omnium Christianorum gaudio, qui facile cognoscebant, feroci illo Tyranno sublato, sese per aliquot annos belli metu liberatos esse, cum nouus rex in diuersis prouincijs plurimis negotijs pasim obrueretur.

Lutherus cō tra Indulgentias.

Eodem tempore cum Syria & Aegyptus Turcis cederet, magna quoque religionis apud Christianos mutatio in Europa cœpta. Cum enim Leonis pontificis Legati hinc inde per Germaniam indulgentiam peccatorum hominibus pecuniā offerētib. concederent, Martinus Lutherus Saxo Theologus ordinis Augustinianorum eis fortiter restitit, atq; Vitembergæ 21 octob. anno 1517 contra Indulgentias papales publicè disputauit. Mox etiam sacerdotū & Monachorum fictam castitatem improbauit, purgatorium negauit, sacrificium Missæ sustulit, sacramentū corporis & sanguinis Christi sub vtraq; specie panis & vini omnibus communicauit, atq; solam fidem in meritum crucifixi Christi ad salutem obtinendam sufficiem tem confirmauit, quam etiam bona opera necessariò vt vmbra corpus sequātur. Eius doctrinam primò viri aliquot docti, post etiam Fridericus elector Saxoniæ, & tandem plurimæ liberæ ciuitates & principes Germaniæ susceperunt pontificia religiōe semota, donec tandē etiā in Anglia, Dania, Polonia, Gallia, Belgia, & multis alijs Christianorum prouincijs mutatio subsecuta. Omnes tamen Euangelicę doctrinæ sectatores militarem Ioannitarum ordinem approbarunt, & commendarunt, dum vnicè eo respiciat, vt Barbari à Christianorum finibus porpellantur, ac inter nos pax conseruetur.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MAriqúe fortiter geſtarum,

Liber Septimus.



VDITA Selymi morte Gazelles Syriæ præfectus rebellauit, ratus ſe ſacramenti religione ſolutum, quod Selymo tantum, ſucceſſori verò minime, iuramentum præſtitiſſe prædicaret. & proinde ſibi decorum fore arbitrabatur ſi coactis in vnum Mamaluchorum reliquijs, Syriam ad veterem Sulthanorum imperij conditionem eiectis Turcis reuocare contenderet. Quando iam egregia voluntate incolæ Syri atq; Arabes in id conſilium ſibi probè conſentirent: nec defuturum in occaſione Cayerbeium putabat, qui Aegypto præerat, quum ſe ex præfecto regem & Sulthanum conſtitueret, poſtquam Memphiticus populus acerbo eſſet

Syria defi-ciens punita

1521 esset odio in Turcas, & in eius manu totius Aegypti arma & opes sitæ esse viderentur. Sed Gazelles trahendi in partes Cayerbei spe depulsus, quod hic certa tutioráq; consilia dubijs atq; asperis præferret, & Gazelli veteri à superioríb. tẽporibus inimico nihil planè confideret, ita Gazellis cohortatieõs reiecit, vt eius legatũ supplicio afficeret, ne Campsonianæ proditionis infamiã nouæ perfidiæ scelere cumularet. Misit etiam Gazelles honestam legationem Rhodum ad Ordinis Magistrum, vt inde tormenta atq; arma aduersus communes hostes Turcas impetraret. Cum autem Rhodius Magister & eius Ordinis equites sero ferendæ opis consilia explicarent, atq; sine Romani pontificis & aliorum regum Christianorum consilio, periculoso huic bello aperto Marte se commiscere nollẽt, Turcis spacium datum fortius resistendi. Nam Solymannus Frahatem Bassam cum magnis copijs è Cilicia in Syriam transire, & initia rebellionis celeriter opprimere iussit. Vnde Gazelles impar viribus, sed animo inuictus se Damascũ recepit, ea mente vt cum his copijs quas collegerat quam primum cum Frahate confligeret. Atq; ita Damasco eductis signis, vt honeste concideret, hostes inuasit, eo acerrimæ pugnæ exitu, vt ipse peritissimè & constantissimè pugnans, cum suis omnibus, nihil de fuga cogitantibus, à Turcarum multitudine interficeretur.

Belgradum expugnatũ.

Syriæ regno sic confirmato, atq; Aegypto pacata, Solymannus patris consilia executurus Christianos inuadere, & primò Vngaros bello lacessere decreuit. In primis autem Peribachæ Magistri authoritate Belgradum adortus, quod ad confluentes Sauum atq; Danubium situm, egregium & firmissimum erat totius Pannoniæ propugnaculum. Erat id Hungaris propter trophæa ibi fortiter atq; feliciter Turcis erepta maximè decorum, Barbaris verò suprà quam dici posset funestũ atq; ignominiosum. Nam ibi frustra tentata oppugnatione, Amurathes abauus, & proauus Mahometes magnis acceptis detrimentis inde repulsi, re infecta discesserant. Solymanno igitur cum paratissimis copijs aduentanti, neq; Hungari proceres, neq; Ludouicus imbecillo ingenio rex iuuenis necessaria præsidia oppositurũt, quòd nihil inter se consentirent, & à pristina inuictæ antea gentis virtute & disciplina defecissent. Vnde etiam factum vt eo modo Belgradum ociosè oppugnatũ, turpissimèq; defensum, in potestatem Barbarorum deuenerit, vt porta inferendis maioribus nostris cladibus panderetur. Accidit ea clades Christianis anno 1521. die decollationis Ioannis Baptistæ, quæ erat 29 Augusti.

Occasio oppugnandæ Rhodi.

Cum Solymannus celerem victoriã præter expectationẽ in Pannonia obtinuisset, exercitum domum reduxit, ne omnium Christianorum iram & odium in se excitaret, atq; Rhodum insulam inuadere proposuit, quæ sola Turcarum vires in vicino mari disturbabat, præsertim cùm hoc tempore talis ei occasio offerebatur: Nam cum Fabritius Carretanus Rhodiorum Magister è vita migrasset, comitijs pro more habitis de nouo principe eligendo, accidit, vt Philippus Villarius Liladamus Gallus, & Thomas Docrans Britannus æquales calculos ferrent, nulla habita ratione Antonij Moralij Lusitani, cuius præproperam prensationem omnes repudiarunt. Tum autem ex vetere consuetudine primus eques, ad id delectus, Philippum 43. Magistrum renunciauit. Is igitur ex Gallia vocatus, cum prius Franciscum regem salutasset, tandem Rhodum peruenit. Ex eo tempore Moralius, qui nullum calculum tulisset, mirandum in modum fuit abalienato animo, non à Villario solum, sed à Rhodiorũ omnium libertate. Eo odio percitum atq; actum præcipitem non dubitasse multi fatentur. & in se & in Rhodios pessime consulere, & nouandis rebus studentem communicasse clanculum cum Solymanno, quibus artibus Rhodo potiretur. & iam dissipatis rumoribus cum parare diceretur classem, arma, milites Solymãnus, ad Rhodũ oppugnandã, Villarius mittit Ioannem Lupum Aruernum circa vicinum mare ad exploranda hostium consilia. Atq; his fa-

Rhodiorum apparatus bellicus.

selo suo, comitatus aliquot aphractis, intercepta naui Turcarũ, eam Rhodum perduxit. ex captiuis notissima fuerunt Ioannitis hostium consilia.

Dispari euentu Alphonsus Trotus & Iacobus Xaicus, alter à pyratis, alter fide ab ho-

ab hostibus data (dum in colloquium venit) intercepti, & ad Solymannum perducti fuerunt. qui cum Xaicum verborum contumelijs infesto ore laceraſſet, tormentis quæstionem habuit, de consilijs & apparatu Rhodiorum: ac tum fuit immemor humanitatis, quam interdum ostentare solebat, vt suam insatiabilem crudelitatem in hominem fide publica abductum exercuerit. Menetonus eques vitatis insidijs huic procellæ se subduxit. Villarius cum hæc intellexisset, annona, molis ligneis, reliquóque apparatu ad obsidionem tollerandam necessario, purgatis etiam sordibus vrbis & murorum, propugnaculisq; lustratis & instauratis (vbi opus esset) Rhodium egregiè muniuit, vocatósq; sui Ordinis equites, acriter accendit ad obsidionis incommoda toleranda: eadémque eisdem alio tempore, cum appropinquare Turcarum aduentus putaretur, per Leonardum Balestrinum Geuensem Episcopum Latinorum apud eos, & incolis per Clementem Græcorum episcopum proponi iussit. Balestrinus ex ordine Franciscano ad Episcopatum peruenerat, cuius toto hoc bello beneuolentiam erga se & fidem Villarius expertus est. Clemens verò ea erat opinionis sanctitate & probitate, vt vetere Græcia dignissimus passim haberetur. Inciderunt hæc initio anni millesimi, quingentesimi, vicesimi tertij. 1521

Rhodij frustra à Christianis auxilia petunt.

Miserat interea Villarius ad Carolum 5 Cæsarem, ad Franciscum Galliarum, & ad Heinricum Angliæ reges Rhodios aliquot equites (cum frustra auxilium à Leone & Hadriano pontifice expectasset) qui eos hortarentur suam quoque rem agi, auxilium Rhodijs ferrent aduersus eos hostes quibus tandem obuiã nisi ventum sit, annorum aliquot processu in eorum fines irrupturi sint, eosq; aut posteros eorum fœdum in modum habituri & in graue gloriæ & salutis amittendæ adducturi discrimen. Susciperent verò communẽ religionis causam, maiorúmq; vestigijs consectandi hæreditatem eorum non minus laudis quàm regnorum cernerent. Ita sibi persuaderent insitas inimicitias huic esse genti cum Latino nomine, vt oppressum velit: ac tum demum tale quid quod opere precium sit fecisse sibi videatur, si obterere & contundere Latina decora possit, ac nobis negotium facessitum intelligat. Sed hæc occupatis eis distractisque Belgico Italicòque bello frustra inculcabantur. Postea Villarius hortos vicináſque regiones imminentes vastauit, ne prædæ hosti esse possint. Mox sexto calendas Iul. certior factus est adesse Turcarum naues cum Mahomete Carra. Cœpit etiam classis sub Rhodiorum conspectum periculoso aditu ferri, sed machinis à Rhodijs emissis mox inde abacta est, secessitque in Boium promontorium, quod alij Parabolinum vocant. Sed cum rursus machinis emissis variè illi vexarentur, in terram paulo pòst subducti sunt.

Turcæ Rhodum perueniunt.

Hieronymus Bartolutius Florentinus communicato cum nauticæ rei peritissimis aliquot consilio, hanc inibat rationem, incendendarum nauium hostilium, vt myoparonibus lectissimis & leuissimis, quasi eliceret hostes ad pugnam, his occurreret miraque arte factitium ignem, qui vasculis concludebatur, nauibus hostium aliquot locis inferret. Sed cum magni sumptus fieri deberent, & res periculi plena videretur, id consilium repudiatum fuit. Interea copiæ in insulam veniunt, explorantque qua parte vrbs commodius oppugnari posset. Placuit occupare eum collem qui fano ædificato sacer erat Cosmæ & Damiano, spectans in Britannicam stationem. Tricoplerus cum delecta Britannorum multitudine eam tuebat. Vnde Mustaphas Turca cœpit eum locũ adhibitis emissisq; machinis variè quatere: tum etiam Pyrrhus Apocletus Italicã stationem simul terrere cœpit. At cum loci depressione frustra hic labor esset, cœpere aggere proiecto fossis loca aliquot vrbis circumdare. namq; Turcæ calonum multitudine abundant, vt eis ad ea opera tum perficiẽda quinquaginta hominũ millia aliqui adfuisse prodiderunt. excisaſque ab his rupes durissimi silicis, & campos montib. aggere

aqua-

1522 æquatos, & complanata fossuris montium iuga. Constabant hi maximè ex Asappis. est id apud Turcas genus militum, quos vrbes Turcicæ mittunt, exhibito in singulos menses trium nummum aureorum stipendio, quos Solymannus aut remigum loco, aut operarum interdum habebat. Achimetus interea stationem Hispanicam & Cassius Antoniam portam vicináque loca variè tormentis omissis quatiebant.

Tormentis Turcæ læsi.

At Villarius in eos qui opera hostium demolerabant, cuniculisq; agendis intenti erant, suos erumpere iterum atq; iterum ex vrbe iussit, simul aptissimè monet vbi elicuerint hostes, recipiant sese. nam machinis se ingentem stragem facturum. Erumpunt Rhodij equites, prosternunt innumeram calonum multitudinem. Mustaphas id intuitus suos properè castris educit: illi infesti adesse, instare. Hos ludificati Rhodij nunc læuitate equorum impetum eorum declinabãt, nunc quasi conserendi manum cupidi vrgebant. Postremo quasi cedentes, citato cursu varijs locis dispersi ad suos se recipiũt. cum interea in Turcas proximos emissa tormẽta infinitam eorum multitudinem prostrauerant. Id Mustaphas & Achimetus intuiti pluteos quibus contegerentur qui operi instabant, erexerunt. Pyrrhus machinas etiam opponi iussit, quæ mox in erumpentes emitterentur. noctúq; opera promoueri iubebat, die facile innumera multitudine Turcarum opera tuente. Interea Basilius (quem alij Rhodium, alij Cretensem fuisse dicunt) simulato mercatoris officio dum cibos vicino littori quasi venales ostentat, interceptos aliquot Turcas facelo impositos Rhodum perduxit. Qui cum principio rogati de consilijs hostium, varias nectere viderentur captiones, tandem metu tormentorum omnia ordine enarrant, vt illi Solymanni aduentum expectent, interea parum in officio nubes contineantur. eius aduentu futurum, vt strato muro peruadere in vrbem illi modis omnibus enitantur.

Solymannus in castra venit.

Quo die illi adfuturum Solymannũ prædixerãt, qui fuit sextus calend. septemb. eo is adfuit. aduentúmq; eius Rhodij perspexerũt, emisso ingenti vndiq; machinarum fragore, & cum eo venientibus quindecim bellatorum millibus. Is vbi aduenit, vt se acrem & seuerum Imperatorem ostenderet, multos, quos Pyrrhus vt sedítiosos criminabatur cum ignominia dimisit. in exercitu etiam recensendo multorum increpita inertia acerbior extitit. In castris Turcarum fuisse dicuntur supra ducenta virorum millia. Turcisetia m Phari fastigia, eo adueniente, cum vt è prælta explorarentur à Rhodijs multa, hostes diruerunt. Proijciebantur quoque magno conatu globi saxei quibus parum abfuit, quin ipse Villarius opprimeretur. Immissi etiam sunt passim cupro contecti, instar pilarum, pastilli bituminati refertissimi pice & sulphure. Rursus eiusdem apparatus alij globuli contecti intortis restibus, quibus ferrei aculei hærebant, qui tetrum in modum odoriferi, cum essent acuminati, vbi hærebant, variè quos impetebant lacerabant. Sed maiorem in modum obsessi fatigabantur & terrebantur assidua conquassatione tormentorum ingentium. Horum duodecim Basiliscos, quindecim Salamandras, tredecim (quorum magnitudo alios separabat) Crocodilos illi vocabant, prædam aduectam direpta Aegypto quorum perpetuo impetu factum, vt comminuerẽtur mœnia, ita vt duriorem conditionem iam sibi impendêre Rhodij vererentur.

Rhodus vrbs oppugnata.

Turcæ vt tormenta sua sarta tecta à Rhodiorum impetu seruarent, hanc ineunt rationem, vt asseres contignatione proxima coniunctos supponerent, hiq; medio loco introrsum ab axibus sustentarentur, prominentioriq; loco restibus admachinarum extrema diducto in altitudinem ingentem rem euexerunt, vt tormentorum os apertum videretur, inde inducto ad foramen igne mœnia quatiebant. Diu cum laborassent Latini in distrahendis his operibus, tandem rem illi ad exitũ perduxêre, non suppetẽte nostris apparatu puluerís. Itaq; in hunc celeriter conficiendum suos ipse equos maiores, & delectos ex sua cohorte fidelissimos quosq; Villarius præposuit, in quibus fuerunt Belgæ aliquot. Solymannus interea increpita eorum segnitia, qui vanè tandiu tempus tererent nouo consilio ad Turrim Nicoleam

coleã occupandam incubuit. Sepserat eam Villarius præsidio delecto ex Gallicis equitibus & Cantabris fortissimo, quibus præfecerat Guidum Ragusum Gallum: admotis tormentis cũ sperarent hostes se loco potituros, rursus proiectis ex ea alijs tormentis Ragusus ita Turcas infestabat, vt tormentarios eorũ plures & tormenta ipsa laceraret. Ita factũ, vt omissa diurna oppugnatiõe nocte tormẽta rursus illi promouerẽt, nihilominus nocturna quàm diurna oppugnatiõe promouentes. Namq; Ragusus qua parte nocte verisimile erat emissuros hostes tormenta, ita sua quoq; collocata displodebat, vt iurarent hostes patefacta ei prius omnia consilia. Suffodiendis itaq; rursus cuniculis Pyrrhus incubuit circa Rhodum, Villariusq; his auertendis, vt vtrinque multi desiderati sint: Britannicum tamen propugnaculum magna ex parte ab hostibus prostratum est, Britannis multis oppressis. 1522

Ea in parte tumultuosè tum Villario nunciatum est instare hostem & muro potiri, tum ille cum cohorte prætoria accurrens multis necatis loco deturbat: at Mustaphas suos reuocans & fessis recentes submittens prælium acrius renouabat. Rhodij, Galli, Hispani equites pilis plumbeis emissis simul aduectis breuiusculis tormentis ita lacerabant hostes, vt nihil nisi de fuga consulerent. Fracti itaq; & debilitati pedem referunt, multis cæsis ex Hispanis, Gallis, & Britannicis equitibus, quorum vt & Italorum & Germanorum quorundam animi magnitudinẽ eo congressu omnes prædicant. Ex Turcis circiter duo millia cæsi, & in primis ex Britannica statione machina emissa tormẽtorum primarius Magister necatus fuit, qui ob singularem industriam Solymanno erat charissimus. Ex Gallis viginti equites, ex Hispanis septendecim, ex Italis tredecim succubuere, quorum nomina immortalitate essent dignissima, nisi scriptorum incuria qui oppugnationi interfuerũt essent silentio prætorita. Recensent tamen inter cæsos Philippum Lomenlinum Genuensem, Petrum Melam Senensem, & Michaelem Dargelinũtium. inter saucios vero Baptistam Romanum, Frãciscum Telum Lusitanum, & Heinricum Manselleũ: tum etiam quatuor Rhodiæ mulieres grauiter vulneratæ, quæ vascula plena pice, sulphure, & igne immittentes, virilibus ipsæ officijs in patria tuenda vtebãtur. Omnes consentiunt dum ignis in cuniculos ab hostibus immittitur intremuisse vrbẽ eo pacto, vt ruinam omnes vererentur. Addunt & ea strage mœnia ita procidisse, facilis vt esset hosti irruptio, sed anxios metu vi tunc abstinuisse. Prẽterea ita acriter irrupisse eos, vt aliquot vexilla fixerint in fastigijs propugnaculorũ ac murorum, & per ruinas aditum sibi facile essent paraturi, nisi erectis à Villario prius munitionibus ex asseribus & trabibus, ab ipsis Rhodijs loco deiecti essent. & ex nostris tantum tredecim desideratos volunt. *Prælium Turcis funestũ.*

Quinto die post id prælium, rursus (Mustaphis hortationibus) inuadendum id sibi Britãnicum propugnaculum Solymannus credidit, & iam penetrarant Turcæ per loca prius diruta, Britannósq; loco depulerant: at Villarius cum equitibus lectissimis occurrens rursus Latinos excitat. Instauratur prælium quãtum vnquam antea, iam qui potiebantur propugnaculo præcipitati temeritatis pœnas luebant. Pyrrhus & Mustaphas compescunt fugam suorum, ita rursus redintegratur oppugnatio, quæ eo durior erat quod globis æneis & telis longè emissis Latini saucie-bantur. Sed cum Villarius suis laborantibus Aruernos & Germanos equites submisisset, tum verè fuga facta, receptui quoq; Mustapha canẽte, ob cædes purpuratorum aliquot qui apud Solymannum gratia & authoritate valebant. Hos alij fuisse aiunt ex eo ordine qui apud Turcas honoratissimus est, quem Spacumoglanum vocant. hi eo loco quem Turcæ Clausuram vocant liberaliter instituti seriis honorificisq; negotijs præficiunt, quibus & mulieres, educatę apud eandem clausuram sorores & filię Tyranni nubere solent. Fatent omnes incredibilem ea pugna fuisse animi magnitudinem Emerici Ruiauli Aruerni, qui prope amissum vexillum Rhodię militiæ, multis cæsis, feroci hosti extorserit. Pyrrus non succedente hac parte, vi propugnaculum Italicum summo impetu paucis postea diebus adoritur, admotis tormentis quibusq; maximis. eodémq; impetu stationẽ Narbonensem suffossis cu- *Vrbs frustra grauiter oppugnata.*

1522 niculis inuadit Cassius. At Gabriel Chierus Narbonẽsis contrà actis cuniculis cõ-
Rhodiorum ingens periculum. pressit eius conatus, vt etiam alibi Gregorius Morgutus ipsius Pyrrhi.

Emericus Amboſius, ſummus olim Rhodiæ militiæ princeps ingentem aggerẽ ſtruendam curarat, proximum Italico propugnaculo. Pyrrhus dum eum locum altero die cũ Syro milite inuaſiſſet, necatis qui cuſtodiæ prępoſiti erant, loco iam potiebatur. Vndiq; ſtrepitus quaſi capta iam vrbe, Rhodij ciues permixti equitibus, & multi ex Franciſcanorum ſodalitio, & Aethiopes ſeruí aduolantes pellunt Turcas. Pyrrhus Turcas integros ſaucijs ſubmittẽs, rurſus aggere potiebat. Noſtri rurſus inſtare lapidibus, ferreiſq; ſudibus, haſtis & verubus impellere Turcas. Tardatus eſt hoſtium impetus induſtria Fernandi Gentilis, qui ex vicino propugnaculo in latus erumpentium multis emiſſis machinis conglobatos diſſipabat, & diſperſos alijs facilius detrudendos proponebat. Clamor permiſtus hortatione, acclamatione, fremitu, gemitu cæſorum ad cœlum ferebatur. Pyrrhus vbi conſilia ſua ſecus procedere, neq; quod intenderat effici poſſe videt, anxius immitteret ne ſuos rurſus deliberat. Sed cum tribus integris horis pugnatum eſſet, & nunciata cæde purati alterius, indignatus Solymannus ſuos reuocare iubet. Paruit ille, ſuóſq; in caſtra reduxit, trahens ſauciorum ingentem multitudinem. Muſtaphas, qui apud Solymannum ſe vileſcere ſentiebat, ob fruſtra iam bis Anglicam ſtationem tentatam, rurſus eò contendit, altera quoq; parte Achimeto Hiſpanicam impetente.

Prælíũ acre commiſſum. Muſtaphas ergo ſuos hortando ad virtutẽ arrigere prorſus intentus, ſummo impetu fertur in Latinos: illi hoſtem infeſtum videntes, ac recordati omnia ſua decora in extremo ſita eſſe, mœnibus hoſtem prohibent, eóq; acrius inſtant ac fundunt. Cũ labare Britanni dicerentur prægrauante Turcarum multitudine, eò Villarius mittit Ioannem Bauchum Britannum cum delecta Italorum Cretenſiúmq; ala, qui ſuperuenientes detruſerunt animoſè hoſtem. Multi fortiter pugnantes, è Britannis deſiderati, inter quos & Bauchus fuit. Preianus verò Aquitanus eo die cum aliorũ fortitudinem viciſſet, ſe ipſum quoq; vicit, ne circa gulam quidẽ plaga accepta impeditus, quo minus pleróſq; ex hoſtib. inſtar pecorũ mactaret. fuit & toto eo prælio eius induſtria apud Villarium Rhodióſq; celebris. Maiori impetu fatigabat Hiſpanos ipſe Achimetus, vt iam in faſtigia muri vexilla Turcarũ fixa eſſent. Sed Hiſpani equites tanta vi occurrebant, vt niſi ſaucij magna ex parte omnes paululum remiſiſſent de priore impetu, ſoli facilè innumeros hoſtes fugaſſent. Saucijs villarius mox adfuit cũ Aruerno & Germano equite. quo factum eſt vt q loco iam potiri ſe exiſtimabant, magna clade depulſi ſenſim ſe ad ſuas reciperent. credíderat Achimetus initio ſe loco hac arte potiturũ, cum prius ſubter effoſſos cuniculos igne immiſſo ingentem mœnium partem fregiſſet, puluere ingenti ſimul Latinis obiecto, & ipſe quidem quæ parauerat induſtriè executus eſt. Sed cum per alios ſubter cuniculos Latini impetum in hoſtes feciſſent, admotiſq; aliquot machinis nihil tale metuentes oppreſſiſſent, valde debilitati ſunt. qua in re Chriſtophori Vvalderici Germani virtus non immerito celebratur, qui memor generis & Germanici decoris in confertiſſimos hoſtes incurrens, duobus illorum vexillis potitus eſt.

Nec



1522 *Rhodo vrbs tormentis diruta.*

Nec tamen Achímetus oppugnatione abſiſtebat, ſed maximo clamore, infeſtis ſignis, rurſus recentes ſubmittit: hi verò miſerè atterebantur & lacerabantur, emiſſis machinis ex propugnaculo vicino à Ioanne Maupaſo læuo latere, & rurſus aliſs emiſſis dextro latere à Franciſco Gienraucio. aliſs quoque emiſſis ex tectis domorum proximarũ, quas ſolerter vbi inſtare videt, periculum eò aduexerat Gabriel Martínengus Brixienſis. Itaq; cum vim fruſtra parari videret, è proximo loco Achímetus ita ſuos reuocat, vt tamen non deſineret ſtrata iam mœnia vndiq; tormentis quatere, & quidem plus eo pacto Rhodo nocuit, quàm ſi vi aperta, vt cœperat, irrupiſſet: Villarius tamen diruta quo ad eius fieri potuit, inſtaurabat. Sed ea multitudine machinarum hoſtes abundabant, vt iam in quartum menſem protracta obſidione omnia Latínis aſperiora, Turcis verò (in quorum exercitu plus quã centum millia fortium virorum adfuiſſe conſtat) proſperiora viderentur. At Caierbeius in eam muri partem inuectus eſt, quæ ab Aruernis equitibus defendebatur, his Raymundus Rogerius patre Gallo Rhodi natus, præerat. Falſi ſunt tamẽ Turcæ qui ſperabant artificio cuniculi lapſurum murum, & qui incautius eò properarunt necati ſunt. Sed Caierbeius modò huc modò illuc cum globo Turcarum accurrere, pro fatigatis validos ſufficere, neq; verò Aruerni, neq; Turcæ pedem referre, pugnare vtriq; ſumma vi, vndiq; bellantium clamor, occumbentium planctus exaudiri, primis confoſſis per eorũ ſtrata cadauera reliqui cõgredi, & iam qui ſcalis mœnia conſcenderant deiecti ſunt. At Caierbeio vrgente, vociferante iterũ irrumpere, iterum aditum ad mœnia conari, iterum Aruernos in extremam belli aleam deducere. Tandem Rhodiorum equitum admirabili virtute Turcæ fatigati potius, quàm victi à mœnium oppugnatione abſtinuerunt.

1522 Turcarum summus conatus.

Caierbeius subducta ratione ignis tanto impetu in cuniculum immissi, fragoreq; emisso, etsi aperte vis nõ appareret, intus tñ vitiũ accepisse murũ non temere coniectura augurabat. Ita factũ, vt eius cõsilio magno tormentorũ numero murum integra nocte diéq; sequenti quatiendum illi sibi desumpserint. Id cum esset factum impigrè (abundabat n. Solymānus omni apparatu, artificúmq; industria qui haud temerè à scopo pilæ aberrabant) murus est stratus. neq; verò tam facile erat Villario excitare nouas introrsus munitiones, quàm hosti & veteres diruere, & nouas impedire. Ea oppugnatione maximum laudis cumulum tulerunt Rogerius & Fornouius Auernus. Caierbeius paucis antè diebus lectissima secum ducens Solymanno auxilia equitum & peditũ, ex Alexandria venerat: vt & Pharates ex Anatolia multa & ipse ducens peditum millia. Solymannus itaque Mustaphæ consilio, quando abundabat multis hominum millibus, pluribus simul locis Rhodios oppugnare statuit. Decem hominum millia deliguntur ad propugnaculum murúmque Britannicum: decem millia ad Italicum: decem millia ad Hispanicum: decem millia ad Narbonensem: & decem millia ad Aruernorum: his multi alij qui fatigatorum vicem suppleant velut socij deliguntur. Turcę inuehuntur acriter multis locis in murum, occurrunt & Rhodij animosè: eóque loco vnus ex ijs desideratus est qui Ianizaris præerat magna apud suos fortitudinis opinione. Vndique diuersis locis pellebantur hostes, & Gallis, & Germanis, & Hispanis, & Britannis, & Italis suo munere fungentibus, Rhodijsq; mulieribus & sodalibus Franciscanis picatos igneósq; orbes in Turcas voluentibus. ●

Rhodiorum mirabilis virtus.

Villarius cum cohorte prætoria prius Italicam stationem quę opprimebatur hostium multitudine liberauit: mox ad Britannicum propugnaculum, cum iam vexilla hostilia apparerent, occurrit, sed cum vix dimidia cohorte: reliquam partem Antonius Monterollus Gallus, eius iussu, hortabatur ad subeunda strenuè pericula. Paululum residerant impetus Turcarum aduẽiente Villario: nam hic stipatus fortissimorum equitum veteranorumqúe robore, quacunque incedebat hostes deturbabat, cum repentè exclamant alij Hispanicam munitionem ab hoste iam occupatam. Itaque ex suis acrem hominem Emericum Gombautum relinquens, adcurrit cum robore suæ cohortis: ex Turcis aliquot qui machinarum vim tabant impetum, turpi desidia circa molem lapidum deiectorum hæserant. Turcæ interea parte alia immissis machinis, variè Hispanos fatigabant dextro latere, vbi, quo suis opem ferrent & fatigatis succederent, fortissimi quique ex Hispanis occurrebant, nullo iam ipsum propugnaculum oppugnante. Tandem hi qui desidia circa saxa hæserant, cum strepitum nullum audirent, rati id quod erat locum propugnatore vacuum, versuri desidiam in robur & fraudem, clam reptantes deserto loco potiti sunt, cæsis paucis quibusdam à tergo, vexillisq; deiectis. Reliqui hæc intuentes in cœlum horum robur tollentes, increpita sua ignauia, incitato medía fossa cursu suis se parabant adiungere.

Turcarum ingẽs cædes.

In hac tanta rerum perturbatione occurrit Villarius, ac primum iubet tormenta aptè emitti, ne simul hostes coniungant, & simul vi murus conscendatur & deturbentur hostes imperat. & Machinæ quidem ne illi coniungerentur effecerunt, multis cæsis: qui autem iam propugnaculum conscenderant saxa voluentes, ascensum impediebant. Interea tamen vnus ex his qui Vlufagis præerant (quod est apud Turcas equitum honoratissimorum nomen) cum duodecim alijs strenuis in mœnia Hispanorum cònscendit: at Villarius & ipse cum suis iam propugnaculo Turcas deturbauerat, & misso Ioanne Maquenao Burdegalensi, vno ex suis industrio homine ad Guydum Ragusum, qui turri Nicoleæ præerat, iubet retentis solum qui paucarum horarum impetum hostilem sustinere possent, reliquos omnes ad se emittat. Paruit ille: móxq; cũ Alioro Hispano equiti lectissima auxilia aduentare visa sunt, quib. & Latinis Rhodijsq; animi aucti, & Turcis fracti sunt. Et iã parte alia Menatio Gallus & Hugo Caponus Hispanus cũ Cretensiũ cohortib. alisq; per portam

portam erumpentes, multos ex hostibus trucidarunt, celeriterq; se ad suos recepe- 1522
runt. Interea hostes qui se nihil vi proficere viderent, iussu Solymanni in castra redierunt, multis cæsis ac tantis quidem, vt eorum numerum aliqui ad vigínti millia, alij ad decem protraxerint. Commendant omnes hoc prælio Villarij ipsius militarem gloriam, & Georgi Faucelli Lugdunensis, & Tori Hispani, & Ioannis Antonij Franciscani. At omnes quidem qui tanto impetu potentissimo hosti obstiterũt laude dignissimi videntur. Multi tamen ex Rhodijs equitibus, Gallis & Hispanis præsertim, desiderati tum fuerunt.

Solymanus ita exarsit huius oppugnationis frustra tentatę causa, parũ vt abfuerit quin Mustaphã, quem architectũ totius huius belli vocabat, supplicio palã affi- *Solymanus iratus Mustaphæ.*
ceret, & vix animaduersionẽ ac supplicíũ quo in eum erat vsurus, Pyrro intercedẽte, remitteret & condonaret, præsertim cum Peribacha morũ inspector expeditionem eam, vt ancipitis aleæ plenã, initio disuasisset. interea Solymãnus in cacumine Phileremi montis arcem ædificari iussit mole insigni, & iam aspera hyeme multos absumente, reficiebat suos. Accidit dum hyeme prædura minus timẽt hostiũ impetus, vt promurũ qui Aruerno muro ꝓximus est, Achimetus occuparet: & q occuparant tãdiu se, obsistentib. quantũuis Latinis, loco continuerũt, donec auxilia maiora adessent, quæ eò accurrerũt per pluteos antè paratos, simul etiã ingesta humus altissimè, vsum machinarũ ijs qui propugnacula Aruerno præerant adimebat. Latebant & Turcæ alij intra aggeres, qui & ipsis suis tormentis ne Latini è muro Turcas tormentis arcerent, cõrabant. ex eo loco Achimetus ima murorum dolabris vectibúsq; ferreis euersurũ se aut perforaturũ credebat, sed Preianus variè eos opprimebat. Asaporum ingens multitudo huic operi incumbebat. horum salutem Solymannus multis expeditionibus, hacque Rhodia, eo loco habuit, vt excauandis implendisq; fossis eos pręficeret, eásq; interdum eorum corporibua impleret, quo commodius aditum lanizaris ad loca expugnanda pararet. Hi igitur vrgente Achimeto, concauata ꝓpe fundamenta mœnia ingentibus stipitibus sepiebant: deinde impactis malleis ignéq; diruebant.

Apparebat vano eos labore operam consumere: ineunt itaq; aliam rationem, vt *Muri vrbis passim strati*
murum hamis ferreis funibúsq; in terram impellant. Eo tñ loco cum muro propius succederẽt machinę ex Aruernica munitione emissæ, diruerunt omnia ea opera hostiũ, multósq; ex Asapis necarunt. Martinẽgi cõsilio locus patefactus est intra murum, vt inde emissi Rhodij disturbarent opera Turcarũ, & ꝓmultarum machinarũ hinc inde collocatarũ impetu conculcarent. Non desinebant tñ illi murum perforare, & qua parte hiulcus erat murus per fissuras eum tormentis quatiebant, vulneratis multis: ita factum vt iam ruinam murus apertam minaretur, his Villarius recentem oppositum murum, magno labore Rhodiorum incolarum ædificatum. Rursus Achimetus vrbis direptione, voluntate Solymanni proposita, accendit suos ad vrbem occupandam, impetúmque facit in portam quam ab Emerico Amboso ædificatam aiunt: simul etiam classem circumduci iubet quasi ad vrbis oppugnationem. Trepidatur tota vrbe, occurritur Turcis, sternuntur vndique multi: Ludouicus Tentauillus Gallus cum vexillum in hostes immisisset, languentes iam suos excitauit. Achimetus obuersis in frontem muris summa vi iam inuectus in Rhodios, vrbe potiebatur, ni qui extrema mœnium operibus celeriter erectis defendebant, dextra læuáq; parte hostium latera laceràssent emissis machinis. Ita accidit vt suos Achimetus reuocaret, sequentibus verò diebus murum sternendum curaret, igne eos qui recentes construebantur corrumpens, ingentiáq; saxa in vrbem voluebant hostes, quæ priuatorum domos & fortunas atterebant.

Et sanè hac perpetua oppugnatiõe ita quassata sunt mœnia vt multis locis aditꝰ *Proditores Rhodi sublati.*
in vrbem pateret. atque ita omnium Rhodiorum animi consternati, extrema vt iam omnia metuerent, sibiqúe diffiderent, in tanto & tam repentino motu multi delati sunt, quasi Rhodij Turcis proditione dedendæ authores, quæ animum Villarij magnopere mouerunt. Dicebantur plerique infami simulatione quasi in ho-

1522 ſtes ſagittas emitterent, aptatis literis ſagittæ, omnia conſilia Solymanno prodere. ita factum vt edicto præconis voce magno omniũ concurſu circa omnes vrbis angulos propugnaculáq; omnia pronunciato prohiberet Villarius, ne quis ſagittam in hoſtes emitteret. Lucius Caſtrophilacus Rhodi⁹ cum aduerſus edictũ emiſiſſet, mox in vincula coniectus eſt. Erat illius authoritas vt clariſſimi & ſpectatiſſimi viri ac grauiſſimis cauſis cogniti ſumma, atq; in primis hac poſteriore oppugnatione probatus fuerat: ſed aduerſus recens edictum alieno loco & tempore emiſſa ſagitta ſuſpectum eum reddebat. Quo factum vt decreta quæſtione à Tribunis rerũ capitalium tormentis ſubijcereť, ad eliciendam rei ſeriem, à quo tñ pauca extorta ſunt. Paulo antea vnus è Iudæis, qui in Chriſtianiſmum adſcriptus erat, deprehenſus cũ eſſet, Moralium Luſitanum ſuſpectum quoq; reddiderat. Tandem cognitũ eſt Moralium Architectum totius doli, & epiſtolis telorum amentis illigatis ſolitum indicare, quo ſtatu res eſſent. Atq; is minimè tortus, quippe magna apud Rhodios dignitate & authoritate, faſſus eſt odio repulſæ id ſe factitaſſe: ſimul initurũ gratiam apud hoſtẽ, quem ipſe Villarius Rhodijſq; omnes vident apertè, ſi vim paret admouere, vrbe potiturũ. Ea tñ palam edixit, vt appareret deplorare eum, tot annos quũ fideliter Chriſto ſeruiſſet, ad extremum tam nefarium ſcelus cõmiſiſſet. Ita ille cer-

uice luit, ac de multis iudicio eius delatis ſupplicium ſumptum fuit.

Adriani Põtificis negligentia.



Narrat Paulus Iouius (in libro de rebus Turcicis) ferũ-uente hoc bello Adrianũ Pontificem, qui cum nõnullis nauibus & triremib. peditúmq; circiter tribus millib. venerat, rogatum à Iuliano Medice alijſq; cardinalib. vt eas naues ac pedites vnà Rhodũ mitteret, id aperte detrectaſſe. futurũ verò oẽs ſperaſſe vt hæ naues validioribus ventis adiutæ, inuita etiã Turcica claſſe, portũ ingrederent, præſertim cum 50 Venetorũ triremes in Creta tum eſſent, quę hac in re nonnihil auxilij, etiã ſi ſe ſolùm oſtentaſſent, attuliſſent. L. Giraldus addit, eos pedites mox in Gallos miſſos ab Adriano, auditáſq; palàm infauſtas pontificis voces, non in eũ vſum paratas ſibi copias vt Rhodijs opem ferret, vertendũ alio impetũ eſſe dictitantes. Idq; magis in Adriano mirandũ, quẽ & uirtus & eruditio ex infimo loco natũ in editiſſimo authoritatis faſtigio collocarat. Obſtrictũ ſe Deo mẽiniſſe debebat magis q̃ alijs hominib. nec relinquere eos hoſtes, quorũ potẽtiã creſcere iniquũ ac peſtiferũ, opprimere verò ſanctũ & neceſſariũ eſſet. Germani ſcriptores dicũt illum ſophiſticis nugis occupatũ, & Poetis Roma exigẽdis, q̃s inimicorũ loco habebat: quæ aũt ad verã laudem acquirendam pertinerent, nec cogitare propter imprudentiam, nec exequi potuiſſe propter inertiam. Erat & Bernardinus ex Rhodiorum ſodalitio, non tamen inter equites aſcriptus, homo nauticę rei peritiſſimus, & qui vnico Myoparone & faſelis aliquot mare redderet Turcis infeſtiſſimum. Hic quoniam illegitimis parentibus ortus, equitum gradum ordinémq; aſſequi non poterat, cum poſſet Rhodijs magno eſſe auxilio, repulſæ memor domi ſe continuit.

Turcæ Rhodios ad dedi tionem hortantur.

Iam res Rhodiorũ eò conciderant, vt Villarius diutius tantũ exercitũ Solymãni ſuſtinere non poſſet, neq; quo ſe pacto his expediret ærũnis reperiret: malè ipſi Rhodij oẽs equites ciuéſq; metuebant, ne malũ aggraueſceret: oẽs cogitationib. molеſtiſſimis perturbabanť, pendebant animi, cruciabanť, angebanť, nec longius res aberat à ſeditione, profuſis lachrimis porrectiſq; libellis (more inueterato Rhodiorum) vndiq; Villario à Græcis, orantib. ne ſe, pueros, vxores, vrbẽ diripiendã Turcis præberet: nec verò Villarium tam hæc mala angebant, q̃ ſuſpirio inteſtini doli, domeſticarúmq; inſidiarũ, quanquam accito Preiano, Martinengo & alijs videbat deploratã vrbis ſalutẽ. Apud Solymannum quoq; re ſæpe relata & grauiter acta, & planè perſpecta eius volũtate, dum Achímetus diripiendã primo impetu Rhodũ, Pyrrhus ad deditionẽ hortãdos nobiliſſimos eqtes & ciues, decretũ eſt humãitate tentan-

tentãdos eorũ animos. Missus itaq; Rhodũ Genuẽsis trãsfuga, q cũ priuati alterius Genuensis colloquiũ prius peteret, acturus postea maximis de reb. à Gallico equite non ferente iam conditiões vt victis dici, pulsus est. Refert res ad Rhodiorũ consilium à Villario, atq; is prioribus belli calamitatibus breuiter enumeratis, veniam petijt, dum ruinæ imminenti consilium quærit, si prius ipse sententiam dicat. 1522

Villarij insignis constantia.

Rogauit itaq; princeps nobilissimos equites ne tantis plagis acceptis concidерent, ne defficerent: vulnus quidem esse eiusmodi vt & pertimescendum videret, nec dissimulandum: At enim res à nobis gestæ exigunt libenter vt Deo acceptam vitam repetenti referamus. Quis scit an interea noua auxilia veniant? Quis scit an nouo stupore perculsi (vt in bello paruæ res magno momento sunt) illi discedant? Imitemur nos oportet, nobiscum ipsi certemus. ne licet quidem iam tantis rebus gestis non nostri similes esse, Quamobrem erigite animos, retinete pristinã animi magnitudinem. Ego quidem primus libentissimè hoc pectore tela hostium accipiam. Vos verò omnes quantum periculorum ad vim hostium ferendam subieritis, etiam si occisione omnes occisi ceciderit is tantundem vobis ad assequendam immortalitatem loci apud Deum optimum maximum comparabitis. Tum Raymundus Lupus Pacus Hispanus, homo & fortitudinis & prudentiæ opinione apud omnes Rhodios clarus interrogatus, in hanc sententiam dixit.

Consilium de Rhodo dedenda.

Oratio tua Villari & si nobis est probatissima, quod ab insigni inuictóq; prodit pectore, tamen hoc nobis multò est iucundior & gratior, quod tantis acceptis plagis te neque defatigari, neq; angi, neq; vnquam antea vidimus, & hoc tempore constantissimum agnoscimus. sed quando potentissimo hosti pares esse non possumus quid tandem molimur morte nostra victoriam eorum insigniret? Iam ciuibus famem, iam vrbi vastitatem vides inferri. Vrbem & decus Latini nominis seruandum, quantum in nobis fuit, semper putauimus. Sexto iam mense miserè obsidemur, auxilia an nulla, aut ea superuenerunt, quæ vel læuissimo congressu impetúq; hostium pugnando mox concident, cedendo duriorem nostram conditionẽ facient. Quin teipsum Villari video quasi exitium adsit nos hortari: cæterum nostra ne sponte, an Turrcaum vi pereamus, id modo agitari: iam omnibus rebus vrgemur, quas sustinere nullo modo possumus, vna erit leuatio, si Rhodum relinquimus. Obsecro te, obsecro omnes nobilissimos equites, est ne vlla nobis via? supereſt ne aut ars, aut dolus, aut consilium, quo hosti æquales esse possimus? Si quis id agnoscit expromat, me quidem ipsum authorẽ habiturus, me priore loco in vulnera ruiturum videbit. Si qua modo spes reliqua est, si reflantem fortunam, si vastitatem vrbi proximam declinare possumus: si nihil supereſt, si humanas omnes spes consumptas agnoscimus, cur non quales quales conditiones dedendæ vrbis potius proponimus, alio fortè tempore dolorem vindicaturi, quã temeraria morte hosti immanissimo nos obijcimus? Necessitati parêre semper est sapientis habitum. Caput illud est, etsi ista mors laudatior esse videatur, cogitandum tamen sit ne Christiano nomini Rhodióq; Ordini incommodior. Itaq; censeo consulamus tem poribus, mittamus ad Solymannum legatos, qui tentent an æquis conditionibus hoc nos loco emissurus sit.

Deditionis conditiones.

Villarius seruato antiquo more exquisitis omnium sententijs, vbi videt in Lupi raptim currere omnium sententiam, iubet nominari qui ad Turcam mittant. Delecti sunt Nobertus Perusius, Raymundus Marchetus, & is ipse Lupus deditionis author, & Groleus, rursus & alij missi, vbi pactum est Villario, equitibus Rhodijs, & incolis (qui vellent) abire, aueherẽq; quæcunq; possent, annonámq; & naues liceret: machinas bellicas quas vellent nauibus inferre: templa Turcæ ne polluerent: nulli qui Christianam fidem sequeretur fraudi essent, ac nemo in Turcarum sacra inuitus ascisseretur. Variæ verò sunt sententiæ scriptorum eius temporis quàm fidelissimè ea Solymannus executus sit. Iacobus Fontanus, (qui eo tempore ius Rhodijs dicebat) refert, porta Cosquinij vi effracta insolentem eam in vrbem introiuisse, polluta templa, dicata quædam Mahometi, Christianis cæsis vice iumentorum vsos, Christi optimi maximi statuas luto conspersas: in foro aut

1523 loco publico neminem expertem fuisse contumeliæ. Alius autem (qui Solymanni vitam Italicæ conscripsit) pactum ait, demptis æreis machinis, res Latinis proprias liceret auehere, conuentionésq; Solymannum humanissimè & religiosissimè seruasse, præterea res sacras D. Ioanni ne attigisse quidem: seqúe audiuisse de Villario, cum Solymannus Rhodum triginta hominum millibus stipatus effet ingressus, ne vnum quidem verbum petulans ex alicuius ore emissum. Cúmq; secundo Villarius Solymannum inuisisset, vt abeundi copiam impetraret, conuersum eum ad Habraimum Bassam hęc dixisse: Equidē haud possum non dolere, qui infelicem hunc senem propriis laribus pulsum, mœstum hinc abire videam.

Ioannitæ Rhodo discedunt.

Impetrata à Solymānouenia discedendi Villarius princeps, cum sacræ militiæ equitibus sarcinas colligere, atq; celeriter nauibus inferre cœperunt, postea amicis salutatis ac domesticis laribus magno gemitu valedictis, naues soluerunt, ac sese Deo commendantes in altum abierunt. Tum demum incolæ suam miseriam deplorare, ac instabilem fortunam accusare, præsertim cum ordinis Ioannitarum pietatem, clementiam, atq; liberalitatem, contrà verò Turcarum impietatem crudelitatem & auaritiam considerarent. Multi etiam ipsorum in Cyprum, quidam in Cretam, aliqui in Italiam aut alias Christianorum regiones cum familia migrarunt. Nonnulli verò quorum authoritas maxima erat à Solymanno Constantinopolim & circumiacentes regiones transmissi, atq; nouæ Coloniæ Rhodũ perductæ. Accidit Christianis hæc calamitas pridie natalis domini, cum Rhodij equites per ducentos & duodecim annos nobilem hanc insulam incoluissent, varios Barbarorũ insultus superassent, ac iam per sex integros menses obsidionẽ toleassent, magna Christianorum principum socordia, qui neq; suppetias ferre, neque intercessione quadam apud Tyrannum agere voluerunr, vt grauissima hæc obsidio solueretur. Itaque Turcæ postea magno triumpho vrbem ingressi mirati sunt, quod in tanta murorum & propugnaculorũ ruina, pauci Rhodij equites innumerabilis exercitus vires & impetum tam diu perferre potuerint. Mox etiam templa quædam prophanarunt, atq; dijs suis Mahometo præsertim dicarunt, cui etiam ob victoriam adeptam plurima sacra celebrarunt.

Latini ex Asia & Syria pulsi.

Rhodij equites patria sua pulsi, primò in Cretam insulam peruenerunt, quæ Venetorum ditioni antiquitus subiecta fuit. Cum etiam ob hyemis sęuitiam & insolitam tempestatem periculosum erat sese mari committere, ibidem humaniter exceptí aliquandiu perseuerarunt, atq; animos & corpora refecerunt. Tum etiam hinc inde ex varijs Christianorũ prouincijs, pręsertim ex sui ordinis ędibus, subsidia missa, atq; literæ indies allatæ solatio & humanitate refertæ, quib. admonebant vt hanc suã fortunã patienter ferre & Deo totã hanc causam cõmittere velint. hãc n. esse veræ fortitudinis naturã, vt in rebus prosperis nemo efferat, nec in aduersis animũ despondeat. Quãprimũ verò clementior aer insequeret, Rhodij Cretã reliquerunt, & partim Venetias, partim in alias Italiæ regiones nauibus deuecti fuerunt. Cum autem Ioannitæ Asiam excessissent, & in Europam venissent, Solymannus Turca edicto cauit, vt omnes Christiani Latini nominis suis prouincijs Syria præsertim ac Hierosolyma excederent, atq; soli Armeni, Syriani, Georgiani, & Græci ex Christianis ibidem habitarent. exceptis paucis Franciscanis qui antiqua consuetudine Christi sepulchro assiderent. Vt autem eas sectas rectius agnoscamus, paucis eorum mores & consuetudines hoc loco subijcere placuit.

Armenij qui sint.

Armenij sunt qui in Armenia prouincia propè Antiochiam habitarunt, inter medios fines Christianorum & Saracenorum seorsim. Hi ritus quosdam habent & singulares obseruationes à reliquis Christianis differentes. Nam proprium habent primatem quem Catholicum vocant, cui obediunt summo cum honore & reuerentia. Implacabiles sunt inter eos & Græcos discordiæ, ac dissensiones inexorabiles, ita vt super institutis & ceremonijs suis semper rixentur. Illi natiuitatem Domini non celebrant, at illis diebus ieiunant, sed in die Epiphaniæ festum apparitionis de Baptismo Christi solenniter peragunt, quasi festum spiritualis eius natiuitatis

uitatis celebrarent, cum tamen Christus non fuerit in se spiritualiter renatus, dum peccatum nec contraxerit nec commiserit, sed vim regeneratiuam contulit aquis in quib. nos purgaremur. In 40 non solum à carnibus, caseis, ouis, & lacte abstinẽt, sed & piscib. oleis, & vino, sunt enim solis fructibus & leguminib. contenti. Vt aũt manifestius æmulis suis Græcis & Surianis cõtrarientur, sextis feriis comedunt carnes. sacerdotes eorum in Missa aquam vino non apponunt, sicut nec Græci. Hi magno numero Hierosol. habitant, atq; ibidẽ propriũ episcopũ habent, qui duos in capite cirros nutrit, ad tẽpora vsq; pendentes. sacerdotes portant latas & rotũdas coronas, aliàs verò nec crines nec barbas vllo modo radi sinunt. Armeniorum quoq; presbyteri moribus sunt integris, vili & simplici habitu incedentes ac orationibus incumbentes, qui Latinorum sacramentis debitam reuerentiam exhibẽt. Pro suo vsu ecclesiam habent solennem, S. Iacobi Maioris in eo loco constructam, vbi ipse ab Herode fuit decollatus. Habent quoque templum Sancti Saluatoris, vbi domum Caiphæ olim fuerat. Armeniorum autem laici omnes tonsi sunt capitibus in modum crucis. Habent etiam proprium idioma & proprias literas, quibus Laici & Clerici in communi sermone & in diuinis officijs vtuntur. 1524

Georgiani qui

In orientis regione habitat & alius Christianus populus longè terrarum tractu à Hierosolymis distans, qui vsq; ad Caspios montes extenditur. bellicosus valde & in prælijs strenuus, ita vt & Saracenis, Persis, Medis, Asyrijsq; olim fuerint formidabiles. Itaq; licet vndiq; ab infidelib. sit circumseptus, tamen ab omnibus timẽt nec facile vexat. Hi à S. Georgio vocant Georgiani quem in suis prælijs cõtra paganos præcipuũ patronum, tanquã signiferũ, omni cum honore venerant & colũt. De istis multi morant Hierosolymis diuersa loca sancta occupantes, imprimis verò montem Caluariæ, & foramen illud in quo crux stetit, quando Christus in ea expirauit. Iuxta eum locum habent altare quoddam, & in eo vnum de suis pro custodia inclusum. In vsu etiam habent Ecclesiam sanctorũ Angelorum, vbi quondam domus Hannæ pontificis fuit. Georgiani in omnibus ferè ritus & errores Græcorum sequuntur, in Sacramẽtis, & alijs. Vnde scismatici à Romana Ecclesia iudicant. Clerici eorum rotundas habent coronas, Laici verò quadratas: quando de terris suis Hierosolymam veniunt loca sancta visitaturi, absq; tributo & erectis vexillis sanctam ciuitatẽ ingrediuntur. Saraceni enim illos nunquam molestant timentes ne domum reuersi suis confratribus Saracenis vicem rependant, vel maiorib. malis afficiant. Nobiles eorum mulieres more Amazonum armis in prælijs vtuntur. Ipsi viri barbas nutriunt & pilos, vtunturq; pileis variorum colorum: in diuinis officijs vtuntur Græca lingua & literis Græcis, sed aliàs Saracenica vel Chaldaica.

Syriani qui.

Vixerunt etiam tum in Syria Syriani vel Suriani vnde nominati fuerunt, aut à Sur quę celebris Syriæ ciuitas fuit. Sequuntur hi potissimũ religionem & ritus Græcorum. Negant enim spiritum sanctum à filio sicut à patre procedere: quartas nuptias non admittunt: Romanam ecclesiam non agnoscunt suprema super omnes: Romanorum præsulũ excõmunicationes & sentẽtias parui pendũt: Sentiunt Latinos omnes de iure esse excõmunicatos: Altaria quibus Latini sua sacra peregerunt, abluunt: Sacramẽtis Latinorum nullam exhibent reuerentiam, nec hostiam consecratam ad ægros portanti assurgunt: ex fermentato Sacramentum conficiũt: Sacerdotes retinent vxores, cũ quib. ante ordines cõtraxerunt: Subdiaconatum in ordines nõ reputãt: Paruuli ipsorũ statim à Baptismo à simplici sacerdote chrysmate cõsignant, nõ expectato episcopo: Diẽ sabbati ita solennẽ indicant, vt liceat in eo ieiunare, excepto Paschatis sabbato: eodẽ die diuina celebrãt, & carnib. vescũt: Lingua delectantur Saracenica: coniuges suas simili modo recludunt vt Saraceni, aliósq; ipsorum mores æmulantur, barbas quoque non radunt more Orientaliũ.

Iacobitæ qui

Habitabãt pterea Iacobitæ Christiani in terra S. & Hierosol. à Iacobo q̃dã eius sectæ authore sic dicti. horũ q̃dam asserũt, post assumptã humanã naturã à Christo, vnã solã in vnica psona esse naturã, Baptismo vtunt & circumcisiõe simul. vtrunq; insuper sexum circumcidũt more Saracenorũ. Peccata sua nõ sacerdotib. sed Deo confi-

1525 confitentur, & clam in ignem thus mittentes propriis manibus, suas orationes simi
li modo significant in cœlum ascendere. Infantes ante Baptismum calido ferro a-
durunt, quia dictum est: Baptizabit spiritu sancto & igne. Cruces sibi inurunt alij
in brachijs, alij in genis, alij in fronte ob reuerentiam crucis, vtq; à paganis discer-
nantur. Vno digito se consignant, vnam essentiam & trinitatem personarum signi-
ficantes. Sacerdotes lingua vtuntur propria, quam Laici non intelligunt. Hacque
ratione præter Turcas, Saracenos, & Arabes multæ Christianorum sectæ Hiero-
solymis & in Syria permanserunt, inprimis verò Græci, Armeni, Georgiani, Syria-
ni, atq; Iacobitæ. Latini autem ideo excludebantur, ne à Turcis graui seruitute pres
si, Occidentales principes de subsidijs ferendis interpellarent, atq; aliquando libe
rarentur, idq; etiam ante quingentos annos sub Gothfredo Bulioneo contigerat.

Rhodij se Niceam conferunt.

Cum Rhodij equites aliquandiu Venetijs atq; in reliquis Italiæ ciuitatibus com
morati essent, circumspicere cœperunt de sede aliqua domestica principis sui, ad
quam sæpius conuenire ac consilia conferre possent, de Barbaris repellendis, qui
Christianis molesti esse cuperent. In primis autem Nicea vrbs placuit, quæ tum
duci Sabaudiæ Carolo parebat. Sita hæc erat ad mare ligusticum, inter Massiliam
& Genuam in Prouincia, viginti ferè miliaribus Germanicis à Taurino ducatus
eius Metropoli, loco opportuno contra Barbaros. Nam excelso adiacet promon-
torio, quod initium habet ab Alpibus, perpetuoq; dorso descendens, in mare ex-
currit. Huius extremo in iugo arx posita est, antiquorum Prouinciæ regum opus,
clarissimorum sæpe ducum carcere & misero vitæ exitu nobilitatum. Hæc subie-
cta maria latè despectat, arduoq; calle vrbi coniungitur, sub rupe iuxta littus salu-
bris aquæ copiosissimus fons erumpit, maximarum classium aquationi peroppor
tunus. Mœnia vrbis (vti vetusti operis) non magnopere munita sed paulo post
nouis propugnaculis adaucta, ita vt multis annis postea Hariadenus Barbarossa
classis Solimanni præfectus frustra eam vrbem & arcem Gallis opitulantibus op-
pugnarit. Itaq; Rhodij à Sabaudo facile impetrarunt Niceam ad tempus sui ordi-
nis sedem, præsertim cum Saraceni & Mauri ex vicina Africa & Barbaria, Sardi-
niam, Corsicam & adiacētes Europeas Christianorum prouincias, inprimis verò
vrbes maritimas Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, inuaderent & diriperent, quibus mi-
litaris hic ordo hoc loco commodè resistere, & procul sua classe arcere poterat.

Solymanus Vngariam inuadit.



Eodem tempore Carolus Cęsar & Franciscus rex Gal
liæ atq; Clemens eius nominis septimus pontifex infe-
ctis armis inter se decertabant, magna Christianæ reipu-
blicæ pernicie: ita vt Franciscus ad Ticinum ingēti præ-
lio victus in Cæsaris captiuitatem peruenerit die 24. Fe-
bruarij anno salutis 1525. Solymannus enim in occasio-
nem semper intentus qua regni fines proferre & Chri-
stianis nocere posset, Vngariæ bellum inferre statuit, qd
regem iuuenem facile opprimere se posse confidebat,
præsertim quod eius regni cura nec proximis Germa-
nis, nec Sigismundo Polono cordi esset futura. Ludoui-
cus rex inexpectata aduentantis tanti hostis fama per-
culsus, missis vndiq; legatis frustra opem implorat, præ-
sertim rusticis passim in Germania tumultuantib. postea Vngarorū conciliū indi-
cit & armatā multitudinē conuocat. In eo sacrati antistites semiplenas equitū alas,
& minorem quā oporteret pecuniā in belli vsum expediebāt. Alia verò nobilitas,
quæ nunquam Otomannorum castra viderant, Turcas ita contemnebant, vt se vel
exiguo numero ingentia Barbarorum agmina insolēter deleturos iactitarent, sed
inter alios maxime Paulus Tomoreus archiepiscopus Colocensis aliquando in
excursione cum Turcis dimicare solitus, tanta speratæ victoriæ fiducia pugnarum
efferebatur, vt sacras ad multitudinem conciones haberet, & ante alios in aduer-
sam Barbarorum aciem infesta hasta se impetum facturum polliceretur. Paulò an-
te ex

te ex pontificia pecunia Germanorum & Bohemorum cohortes conscripserant, 1525
quarum præsidio stabiliri aciem equitum, & sustineri Barbarorum vim posse putabant. neq; enim accuratè recensendo peditum simul & equitũ copiæ viginti quinque milium summã efficiebant, cum tñ hostes octuplo maiores copias adducebãt. propterea Stephanus Verbetius consulebat regem iuuenem extra pugnæ discrimen Budana in arce seruandum, sed milites obstrepebant, nec se nisi rege duce pugnaturos dicebãt. Itaque Tomorei sententia peruicit, vt quamprimum cum hoste confligeret, & vt rex hosti statim obuiam ire pergeret. factum est id vigesimo tertio die Iulij anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

Vecordi ergo impetu infausto q; consilio Ludouicus ad Mugacium vsq; signa promouit, quod oppidum medio ferè itinere inter Belgradum & Budam est situm. Iam aduentabant prima Turcarum agmina, quum supremo consilio à præfectis & ducibus est disputatum, an castra vallata curribus ad Danubij ripam tantisper essent collocanda, donec auxilia Transyluanorum aduentarent, quæ à Ioanne Sepusio prouinciæ præfecto (qui Vayuoda Hungaris appellatur) iustis itineribus adduci ferebantur. Cæterùm Tomoreus, cui nouo superuenienti duci propter præfecturæ dignitatem parendum foret, vt imperij ius integrum ad spem victoriæ retineret, omnem morę causam improbans, & in sua fata præceps ruens, ita sanis consilijs obstitit, vt regem incautum in iniquum pugnæ discrimen adduceret. Barbari nanq; quaternas equitum acies præmiserant, quæ distinctis inter se noctis atque diei spacijs perpetuo lacessentes regijs castris circumferebantur, quo præsultante equitatu vsq; adeo arctè regia castra obsessa sunt, vt nemo lignatum aut pabulatũ exire, aut in proximam Danubij ripam potandis equis progredi auderet, nisi magno periculo & iniqua conditione, propter Barbarorum multitudinem, certaret. Qua necessitate impulsus Tomoreus instruere aciem, & pro antiquo decore inuictæ antea gentis, dignitatéq; regij nominis, prælio confligere coactus est. Aciei forma ferè simplex fuit, protẽsis scilicet peditum cohortibus in oblongam seriem. ac intermixto idoneis spacijs equitatu, ne Barbari numero superantes vniuersam aciem circumuenirent, & Hungari penè in orbem pugnare cogerentur.

Consiliarij mali obsunt.

Castra cathenatis vallata curribus leui præsidio impositio ad dextram relinquebantur, quibus non absurdo consilio Tomoreus alam vnam lectissimorum equitũ vallum propè contingentem apposuerat, vt ad incerta belli rex eius firmo & expedito præsidio protegeretur. Sed Hungarico nomini infaustus is dies 29 scilicet Augusti regiq; maxime inauspicatus, postremam eam seri consilij rationem euertit. Nam primo congressu concurrentes acies nostræ, tametsi nihil eis Barbarorũ tormenta altius librata nocerent, nullo tamen negotio pulsæ protritæq; sunt, cadente præsertim Tomoreo, & reliquis ad vnum ferè proceribus interfectis, & Vsaronibus leuisq; armaturę equitibus dispalatis & in fugam versis, totóq; equitatu pariter fœde concisso. In tanta rerum asperitate cum Barbarorum globus ad diripienda castra conuolasset, & ægrè à præsidio defenderentur, ea ala quæ regi præsidio esse debebat continere nequiuit, quin opem castris afferens in Turcas oppugnantes deferretur, eóq; semi horæ momento Ludouicus rex, prostratis vndiq; copijs, sese eripiens in proxima palude, reflectente se equo, sesqui palmis aquæ lutulento gurgite suffocatus interijt, ita tamẽ vt eum locum Cetriscus armiger eius genere Boemus notaret ac effugeret, & post duos menses decedentibus hostibus integrum regis cadauer Cetrisci indicio reperiretur, & regio funere tumulandum ad Albam regalem deferretur. Ab ea victoria Solymannus non obscura admiratione ductus risisse fertur, quod Hungari tanta essent animorum temeritate, tantáq; insania regis consiliarij essent occupati, vt alienis viribus stultissima ratione æstimatis, ipsorum copias, quæ essent exiguæ, tanto exercitui obijcere, quam regredi maluissent.

Ludouicus rex in palude suffocatus.

Victor



1526
Turca Budã occupat.

Victor Solymannus inde rectà Budam contendit, atq; vrbe & regia potitus incolas trucidauit & ad Danubium castra posuit, ac arcem pulcherrimam inuisit. ita tamen vt in ea minime pernoctaret, quod antiqua Turcarum lege cautum sit, vt Imperator nusquam muris sed suæ tantum custodiæ munimentis confidat. Ibi ad eum delatã occisorum episcoporum & procerum septem cruẽta capita, quum Turcæ ea singula ligneo in gradu collocata simulanter honoris causa inclinata cerui-ce, & dextris ad pectus compositis, nominatim salutarent, Papásq; strenuos periocum appellarent. Sed Solymannus graui fronte cum singulorum nomina indicarentur, vehementer detestatus est Ladislaum Salchaniũ Strigoniensem præsulem potentem, obiecto fœdè auaritiæ probro, quod is regem suum in tanta vrgentis belli necessitate aurum mutuo poscentem, quum multa pondera in eius thesauris laterent, adiuuare recusasset. Tomoreum porro stolidæ temeritatis incusauit, quod is alienæ functionis munus arroganter vsurpasset. Ex aduerso Franciscum Perenum Varadinensem præsulem seræ prudentiæ nomine laudauit, quod immi-nentis publicæ cladis nequaquam falsus vates in Concilio non insulsè dixisse didicisset, quum Tomoreus de committenda pugna importunè decerneret, post-quam eius fatali sententiæ obsisti non posset, se prouidere qd cucullatus imperator postridie esset facturus: eum nanq; tanto ausu nihil omnino aptius præstaturum, quàm vt celeberrimum diem Christiani Calendarijs fastis insererent, à cæde triginta millium Hungarorum martyrum, pro religione tuenda à Barbaris iniquissima prælij conditione concisorum. Id quod etiam factum est 29 die Augusti quo prius D. Ioannis decollationi sacer extitit. Reliquos tyrones audaculos appellauit, & in his præsertim Georgium Sepusium Transyluaniæ præfecti germanum fratrem, & multa canitie senium præferentem Ambrosium Sercanum, nobilitate generis, operibus & dignitate illustrem.

Vngaria miserè depopulata.

Quum ei Ludouici & Mariæ vxoris imagines ostenderentur, dixisse fertur: se adolescentis regis calamitatem misereri, qui vsq; adeò malè sobrios in re grauissima con-

ma consiliarios nactus, pugnam absurda ratiõe committere properasset, & se non 1526
ea de causa vt ei adimeret regnum, sed vt acceptas ab Hungaris contumelias vltore gladio vindicaret, in Panonniã venisse. Propterea si pugnæ discrimen euasisset, certa tributi conditione imposita, ei Vngariæ regnum redditurum, quando non sua, sed aliena culpa cladẽ accepisset, & sibi glorię futurũ si Sigismundi Polonię regis socij sui fratre genitum conseruaret: hæc etiam animi sui decreta Mariæ reginę, quæ belli metu Buda Possonium profugerat, enunciari iubebat. Exinde æneas statuas tres prisci artificij sustulit, quæ in vestibulis regiæ à rege Mathia Coruino constitutæ fuerant. Hæ clauigeri Herculis & citharedi Apollinis, ac Pharitratæ Dianę formas referebant, quas pro tropheo Pannonicæ victoriæ monumentum Bizantij in hippodromo collocari iussit. Abduxit etiam tria inusitatę magnitudinis operosiqúe artificij tormenta, quum passim ad ornamentum insignia & literæ argento scalptoria arte æri incluso essent admiranda, quæ Illyricę Bosnæ regis fuisse dicebantur, in expugnatione Sciabatij oppidi ad Sauum capta: atq; item æneas aliquot columnas quæ portarum epistylia sustinebant. Moratus est Solymannus ad Budam dies ferè viginti, quo spacio diuersa in proximas prouincias equitum agmina prędatũ sunt emissa, quibus hinc ad Giauarinũ vsq; illinc ad Tibiscum amnem regio omnis improuisa & horribili populatione ita est vastata, vt supra centum & quinquaginta hominum millia omnis ætatis & sexus aut gladio cæsa, aut in seruitutem adducta referantur, quas prædatorias manus postquam redeuntes in castra recepit, eodem quo venerat itinere Byzantium est reuersus.

Interea Rhodij equites Niceæ apud suum principem habitantes, Barbaros vi- *Rhodij Syracusis habitare cœperũt.*
cina littora & Ligusticum mare infestantes longè latéq; propulerant, ac maritima loca singulari fortitudine liberarant. Cum autem intellexissent Solymannum Vngariæ regem prælio superasse atq; Budam occupasse, Caroli Cæsaris voluntate sedem mutare, atq; propius ad Græciam accedere statuerunt. nulli enim dubium erat quum Turcis res in Hungaria successissent, quin classe comparata Italiam petere, atq; Siciliam & Neapolim inuadere subitaria quadam excursiõe parati essent. Itaque deliberatione habita Niceam præsidio confirmarũt, atq; princeps eorum cum ordinis equitibus Syracusas petere statuit vrbem Siciliæ præstantissimam, quæ tum sicut & Neapolitanum regnum Carolo Cęsari parebat. Sita est Sicilia in mari mediterraneo, atq; ambitur ab occasu & septentrione mari Tyrrheno & Italico, à meridie Afro, & ab oriente Hadriatico, vbi etiam Syracusę munito loco inter Messanam & Pachinum promontorium rectà versus Græciam sitæ. Eam vrbem Archias à Corintho aduectus primò condidit, atq; ob loci fertilitatem magna hominum frequentia inhabitare cœpit. Hanc Marcellus Romanus per triennium frustra obsedit, cum Archimedes Mathematicus eius vrbis cum suis instrumẽtis expugnationem tam diu sustulisset: sub Christianis verò Lucia sancta virgine celebris reddita. Ergo Rhodij ibi principis sedem fixerunt, atq; singulari industria obseruarunt, qua ratione Christianorum littora à Barbaris defendere, Pyratas maria latrocinio infestantes tollere, atque Turcis hostibus suis vlla ratione incommodare possent.

Dum hæc in Sycilia à Rhodijs pararentur, Ioannes Sepusius è Transyluania e- *Ioannes Sepusius rex Vngariæ.*
ductis copijs, vt regi opem ferat, seró in Pannoniam venit. aspirare autem occiso Ludouico ad Vngarici regni fastigium cœpit, quando ipse nulla extãte regia prole inter eius regni proceres esset clarissimus, & propter victoriam quondam de agrestibus Georgióq; Secalo Bornemissæ collega partam, bellica laude illustris haberetur. Itaq; Ioannes valido prudentiq; ingenio vir erectus in rem potiundi regni singulos proceres diligenter præhensare cœpit, obtestaríq; ne proximis comitijs Vngarici nominis decus prodere vellẽt, si vetustissimę dignitatis imperium, ad externæ & inimicæ gentis nomen traduci paterentur. Hac via ingressus multũ rogando satagendóq; Ioannes multorum studia promeruit, eóq; facilius quod Stephanus Bator procerum clarissimus ad Ferdinandum paulo ante in Bohemiam

1526 contendisset, & Ferdinandus indictis comitijs apud Bohemos vehementer esset occupatus, quibus primatum & populariũ præoccupatis voluntatibus rex erat appellandus: per eos dies Hungari celebrandis regijs exequijs animos intenderunt, quum Ludouici integrum cadauer à Mugaciana palude ad Albim regalem fuisset translatum, dictis nanq; solennibus inferijs insigni pompa apparatúq; tumulatum est apud ea sepulchra, quibus superiores reges condi antiquitus consueuerant. Exinde exequijs ritè confectis Rhacos est indictum, quod est Comitiale concilium armatæ multitudinis, cuius authoritate & acclamatione ex vetere legis instituto Vngariæ reges creantur.

Ioannes Coronatur.

Eius autem conuentus is fuit exitus, vt Ioannes, quum neminem in publico luctu competitorem habiturus videretur, quando nemo vel clarissimus Candidati nomen profiteri auderet, magno omnium applausu rex appellaret, præstóq; ei maturè adfuit Petrus Perenus, in cuius custodia ex rudi auro vetustissima Vngarici regni corona asseruabatur, qua solenni ceremonia legitimi reges coronari sunt soliti. Ea Stephani primi Pannoniæ regis fuisse traditur, seruaturq; in arce Vicegradensi antiquissimorum procerum more per manus tradita. Atq; ita Ioannes ritè coronatus consecratúsq; est de manu Pauli Episcopi, qui in locum Ladislai Saltani Strigonię antistitis fuerat suffectus, & Stephani Brodarici prælatis Vaciẽsis, quem propter eruditi ingenij vim & dexteritatem in omni rerum actione singularem, epistolarum scrinijq; regij magistrum cõstituit. Americum verò Cibachum in præfectura Transyluaniæ Vayuodam sibi ordinauit, qui Varadinensi etiam episcopatu, interfecti ad Mugacium Pereni loco dudum fuerat exornatus. Regi autem creando ex ordine militarium procerum mirificè fauerunt hi quos ex Transyluania alarum præfectos adduxerat, viri bello pacèque præstantes. in his eminebant Vngarico sanguine prognati Stephanus Verbetius, qui Romæ apud Leonem legatus fuerat, & Paulus Artandus, præterea Georgius Pescenius, Nicolaus Glessa, & Ianus Docia. Per hunc modum Ioannes rex factus, firmandis viribus, atque asciscendis & promerendis proceribus, liberalem & humanum sese omnibus exhibuit.

Ferdinandus Vngariam inuadit.

Paulo pòst Ferdinandus Archidux Austriæ in Bohemia rex creatus, qui etiam iustis de causis ad regnum Vngariæ aspirabat. Is enim ex vetere controuersia, quæ agitata fuerat inter Mathiam Coruinum & Fridericum Cæsarem proauum, hæreditatis iura proferebat, à Ladislai morte ducta, qui in Bohemia in ipsa nuptiarum celebritate veneno sublatus ferebatur, videbaturque aduenisse tempus quo Ferdinandus Bohemico regno auctus, & Caroli fratris opibus subnixus Pannoniam meritò repeteret ab Alberti principis memoria debitam. Neq; Ferdinando quorundam Vngariæ procerum studia deerant. Nam præter Batorem, cui petendi regni prærogatiua optimo iure obuenire posse dicebatur, eminebãt & alij, pari propenobilitate & bellica virtute illustres, Valentinus Turaccus, Stephanus Mayerius, Ianus Sala, Gaspar Seredius, Balthasar Pamphilus, & Ferentius Gnarus. His accesserat Paulus Bachitius genere Triballus vir eximiè bello fortis, qui apud Turcas Mahometanis initiatus sacris, ex necessitate fugiendæ seruitutis ad nostros redierat, renouatóque Baptismate Christiano ritu fuerat expiatus, & Mugatiano prælio intactus euaserat. Horum omnium hortatu Ferdinandus confisus Bohemorum & Austriacorum copijs, præterea militum ex Bauaria, Rhetia, Styria, & Corinthia confluxu, Vngariam petere atq; regiam coronam armis vindicare statuit. Venerant quoque Rhodij aliquot equites passim ex Germania à Ioanne Hastenio, Ordinis eius in Alemannia Priore, ad exercitum, vt optimi principis Ferdinandi iura contra aduersarios (Barbaros præsertim) tuerentur. Ergo hisce coniunctis Ferdinandus rectà Budam perrexit. Itaque Ioannes territus cum suis copijs Buda excessit, & Pestum traiecit, atque inde nusquam consistere ausus iustis confectis itineribus superato Tibisco ad Tocaium castra posuit, quod munitum castellum in vlteriore ripa fuerat positum.

Ferdi-

Ferdinandus eius discessu cognito sine vulnere Buda potitus est, vbi aliquandiu permansit, atq; deliberauit an aufugiens hostis persequendus sit. Eorum autem sententia vicit, qui perterritum hostem priusquam auxilia compararet, aut noua consilia susciperet adhibita celeritate consequendum censebant. Itaq; Ferdinandus his maximè ducibus, quos memorauimus, omnes copias commisit, qui continuatis itineribus ad Tibiscum peruenerunt, & nauigijs connexis contabulatoque ponte flumen superantes, explicatis vexillis, ad Tocaium instructa acie fortiter penetrarunt. Quo hostium superuentu Iohannes perculsus, communicata cum suis eius periculi difficultate, consilium capit sibi magis necessarium quàm decorum. Suadebant enim duces pugnam deposcẽtes, vt ipse paululum acie excederet, & si ita iniquior prælij sors ferret, sese incolumem secundis fortunæ casibus reseruaret. ipsos namque inuictis animis aduersus hostes, constantissimè pugnaturos. Eminebat inter duces Ferentius Bodo, cui rex præcipuum militiæ vexillum de manu tradiderat. Is summa peritia pro numero genereque militum aciem instruxit. in medio ipse constitit cum Hungaris, cornuà verò Transyluanorum copiæ tenuerunt. In Austriana autem acie Valentinus mediam pariter aciem cum Vngaris tenuit. vbi vexillum erat duas cohortes medio agmini cohærentes brachiorum instar firmauerant. hinc Styrianæ, illinc Noricę equitum alæ. Sed Paulus Bachitius ex Turcica disciplina astu & insidijs vti solitus, cum globo Vsaronum, qui sunt leuis armaturæ equites, remotiore in loco contra læuum hostium cornu consedit, ita vt ex occasione successus qua parte opporteret in hostem impetum facturus videretur, quòd consilium Austriacis victoriam accelerauit. 1527 *Ferdinandus Budã occupat.*

Tum verò militum animis non multa ducũ cohortatione ad pugnam accensis, minora vtrunque tormenta currilia, quæ globos gallinacei oui magnitudine euomebãt, disploſa sunt, paruo quidem detrimento, quum procurrere & manum conserere simul turbæ properarent, alternis vtrinque cornibus alę pulsæ profligatæque sunt. nam Styriani equites Transyluanorum vim non diu tulerunt, quum in altera parte Noricus equitatus cataphractus nouas & collectitias Bodonis copias in læuo cornu prostrauisset. Eodem tempore ab vtraque media acie paribus Hungarorum animis atque artibus contractum est certamen, vsque adeo acriter inuehendo procursandoque, vt nusquam antea vehementius & pertinaciùs dimicatum fuisse appareret. Sed nouo cataphractorum impetu, qui pulso dextro cornu in hostium latus ruebant, tota Bodonis acies loco pulsa perturbataque est, eo quidem euentu vt ipse Bodo præfectus, qui vexillum seruare repararequę exercitum aliquandiu fuerat conatus, incumbente Paulo Bachitio ab Vsaronibus caperetur, & reliqui duces desperatis rebus profugerent. non multaque cæde ædita, tormenta ad vnum omnia vexillaque in potestatem hostium deuenirent. Quum rex ipse conspecta suorum strage periculo ingenti se fugæ cursu eriperet, ad ipsos Sarmatiæ fines, victores vero in Transyluaniam penetrarũt. quibus populis nullo negotio in ditionem acceptis, vniuersa prouincia ad authoritatem regis Ferdinandi se contulit, Bodonem porro cum reliquis nobilioribus captiuis ac vexillis ad Ferdinandum miserunt. Cæterùm Bodo quum vel proposita libertate flecti non posset, vt Sacramentum Ioanni dictum violaret, & contra eum militaret, ab clementissimo alioqui rege in tenebricosum carcerem Nouæciuitatis relegatus est, atque ibi aliquanto post pædore consumptus, miser fato suo concesit. Nec multo pòst Ferdinandus inclinantibus in eum Hungaris ferè omnibus, ex vsu victoriæ rex est acclamatus, atque eadem vetere aurea corona quam idem Perenus vir incertæ fidei, ideoque facile ad officium rediens detulerat, cum Anna vxore, quæ Ludouici regis soror erat, insignitus est, celebratis eius solennis pompæ ceremoniis apud Albam regalem, die 28. octob. Anno 1527. *Iohannes à Ferdinandicis acie victus.*

Exinde Ferdinandus vtriusque regni rara fœlicitate compos factus in Bohemiam rediit, præsidesque qui Vngariæ regnum administrarent delegit. Hi fuére Stephanus Bator, qui cum summa potestate prorex est creatus, cui collega addeba *Ferdinandus rex Vngariæ coronatus.*

1527 tur. Paulus Strigonienſis Epiſcopus, qui & ipſe à Ioanne defecerat, Berethſaxium autem epiſtolarum magiſtrum fecit, Alexium vero Turſonem Morauæ gentis, cuius ſoror Petro Pereno nupſerat, ærario præfecit. At Ioannes, vſqueadeo acerbe à fortuna mulctatus ad Hieronymum Laſchum profugit, virum inter Polonos ab illuſtri nobilitate eruditæq; virtutis nomine clariſſimum. Is tanti hoſpitis occaſione lætus nihil antiquius habuit, quàm vt regem in eas amiſsi regni calamitates præcipitatum humaniſſimè recrearet, pollicereturqúe ei in ſpem recuperandæ dignitatis opes ſuas, quæ non erant mediocres, & quòd rediuiuæ fœlicitatis interfuit, ingenium ſuum in omni actione rerum humanarum mirificum. Quum verò multum inter ſe colloquendo deliberandoqúe integrum ferè menſem abſumpſiſſent, Laſchus ſolerti ingenio grauiſſimarum rerum conſilia agitare, atque aſtutè terminare ſolitus, poſtremò ad id vnum deſcendit, vt ab vno tantum Solymanno maturam opem afflictis & perditis rebus ſperandum cenſerent, arbitrarenturqúe maximum illum regem eiecti preces, minime neglecturum, præſertim ſi ipſo miſerante ſubleuanteqúe reſtitutus foret, ex tanto beneficio ſe clientem factum ex authoritate Othomannici nominis regnaturum profiteretur. Nec multo poſt decreto facto, Laſchus qui nominis ſui famam extendere cupiebat, legatione ſuſcepta Conſtantinopolim contendit. Vbi primum omnium allatis muneribus quæ elegantia potius quàm precio placitura grataqúe præcipuè vxoribus eorum futura exiſtimarat, non modò purpuratorum, ſed ianitorum etiam amicitiam promeruit.

Hieronymus Laſchus Vaiuodæ ad Turcam legatus.

Inter purpuratos, qui Baſſæ vocantur, eo tempore præſtabant Luſtebeius, in cuius matrimonio Solymanni ſoror viſebatur, & Habraymus ex Acarnania Pargæ humili vico natus, & cum Solymanno à prima pueritia molliter educatus. Is ob rem præclarè ad Rhodum geſtam, Viſir hoc eſt purpuratorum princeps euaſerat, & quum teneret regium ſigillum, cunctisqúe ſupplicibus libellis & epiſtolis ſubſcribere conſueuiſſet, reliquos aulæ proceres honoribus validos, ex peculiari gratia authoritate anteibat. Per hunc modum Laſchus inſinuatus & ſæpius apud purpuratos & conſiliarios ſine interprete locutus, quod Illyrica lingua omnibus ferè in aula eſſet familiaris, regis Ioannis cauſam egit, atque eum mirificè commendauit: nam ſalutato tantum Solymanno ſub primum ipſius aduentum, de negotio acturus ad purpuratos de more fuerat reiectus. Neque enim Tyrannus virum Chriſtianum intra ſepta aulæ ad colloquium admittere conſueuit. Petebat Laſchus à Solymanno vt Ioannes Ferdinandi Auſtriæ principis iniuria, & quorundam Vngarorum perfidia regno pulſus, Pannoniæ rex & Othomannici nominis beneficiarius appellaretur, ideoqúe Turcicis armis in regnum reduceretur, ſicuti proprium eſſet Othomannicæ ditionis, poſtquam illud iure belli Solymannus felici dextra vindicatis iniurijs deuictisqúe hoſtibus ſibi peperiſſet. Ioannem qui publico in Concilio Vngarorum rex fuerat appellatus & coronatus, numquam ſi in tutelam reciperetur, tanti beneficij memoriam animo depoſiturum, egregiaqúe fide maieſtatem Solymanni perpetuò veneraturum, atque ea quæ imponeret tributa quotannis perſoluendo initæ clientelæ nomen cunctis gentibus declaraturum. Id verò ſi Solymannus ſupplici concederet, tam ipſi honorificum quàm Ioanni vtile futurum. Nam præterquam quod magnanimi reges beneficio dando potiusquàm accipiendo dijs æquentur, etiam id Othomannis magnopere conducere conſtaret, vt Turcæ infirmo & beneficiario regi potius finitimi ſint quàm Ferdinando, qui à Bohemis rex aſcitus, & Caroli fratris, cui Germani & Rhodij equites parent, opibus fretus bellum inferre, quàm in finibus pacem tueri velle exiſtimari poſſit. Non ineptè ſiquidem cauendum eſſe Turcis, vt quæ bello ſibi parauerint ijſdem armis defendant, nec quenquam ſuprà cæteros potentia atque opibus augeri ſinant: aliquando enim fieri poſſe vt Carolus authoritate virium ampliſsimus in eandem indicendi ſacri belli cauſam reliquos principes trahat, & pro religione vti ſuperiores Europæ reges fecerint, amiſſa omnino repetenda iudicet, cuius viribus non facile demum reſiſti poſſet.

Hæc

Hæc disertissimè dicta quum Solymanno ex occulta fenestella auscultanti à pur- 1528
puratis referrentur, non magni negotij fuit Imperatorem gloriæ potentiæq; auidũ *Turca Vay-*
eò perpulisse, vt Pannonicum bellum rursus susciperet, & Ioannis preces ad ani- *uodam in tu-*
mum admitteret, polliceretúrq; ex vsu victoriæ ea concessurũ quæ postularet, mo- *telã susciꝑit.*
dò fidem tueretur & ingrati nomen maximè abhorrẽdum existimaret. Interea Fer-
dinandus non temerè Pannoniæ regnum sibi graui ratione confirmandum existi-
mans, neq; alicunde vehementiorem, quàm à Turcis vim timens, pertentare Soly-
manni animum, atq; eius amicitiam appetere constituit. ratus eam honesta condi-
tione posse comparari, si quo iure inductus Vngariæ regnum inuaserit & ceperit,
apud Barbarum nequaquam abhorrentem à iustitiæ laude, antiquę suæ litis seriem
explicaret, & se legitimum eius regni hæredem præclaris monumẽtis demonstra-
ret. Petebat autem ijsdem cõditionibus amicitiam atq; inducias, quibus Ladislaus
& Ludouicus eius filius, per aliquot annos ab Othomanis regib. antea meruissent.
& tum etiam Sigismundus Poloniæ rex pari inducirum tranquillitate eius amici-
tiæ beneficio frueretur. Itaq; idoneum nactus hominem qui hæc mandata Byzan-
tium deferret Ioannem Oberdanscum Vngarum delegit, iustoq; comitatu exornat,
& munerib. quæ purpuratis largiretur decenter instruit. Sed vbi Oberdanscus By-
zantiũ peruenit, Solymannus sua spe durior est inuentus, auersosq; se penitus pur-
purati à mentione inducirum præbuerunt. Nam tametsi legatus, benignè à Soly-
manno fuerat receptus, auditúsq; in consessu purpuratorum patientissimè, facundè
& diligenter causam egerat, in exitu tamen legationis nihil plus quam superbi atq;
insolentis decreti responsum tulit.

Dixerat Solymãnus alienum esse à maiorũ institutis eos in gratiam amicitiámq; *Solymannus*
recipere, qui Otomannico nomini iniurias intulissent. proinde Ferdinandum im- *legatos Fer-*
pudenter facere, qui alieni iuris regnum inuasisset, atq; id retinere posse cõsideret, *dinandi reij*
quando eius vetera iura quæ ostentaret planè inania, recenti sua victoria Martéq; *cit.*
iudice obliterata, antiquatáq; fuerint. His de causis eum toto inducirum & amici-
tiæ munere indignum videri, secq; eo esse animo vt contumeliam quam acceperit
probè vindicandam ducat, indictóq; bello rursus sibi Pannoniam omnino repeten
dam. tantis autem sè copijs eam expeditionem suscepturum, vt Ferdinandum vel
intra Austriæ Germaniæq; fines sit inuasurus. Proinde ei omnem belli cladem pro
inducijs atque amicitia denunciaret, properéque Byzantio excedere maturaret.
Cæterùm Oberdanscus vbi Viennam est reuersus, quæ retulerat regijs præsidibus
communicando Barbarorúmque minas & maturum Solymanni aduentum pro-
nunciando, quum nemo Germanorũ, vt ea crederet adduci posset, aliquandiu pro
vano homine fuit habitus. Quamobrem vt inuidiam effugeret vera pro falsis inter-
pretantiũ ad Ferdinandum regem peruolauit. Is tum erat apud Spiram Nemetum
vrbem ad ripam Rheni positam, vbi cum principibus Imperij conuentum agebat,
atq; de rebus arduis Germanorum deliberabat: cum Oberdanscí responsum ordi-
dine percepisset, non mediocriter perculsus fuit, quod eorum quæ diceret & se fa-
cturum profiteretur Barbarus hostis, procul dubio euentura prospiceret, alienóq;
tempore auxilia à Germanis petenda viderentur, si tanto hosti obuiam eundum &
Hungarorum saluti consulendum foret, Carolo præsertim fratre Italicis bellis im-
plicito, & rebus vndique ad multam re nummariæ inopiam redactis, qua vna cogi
milites, & Barbaris immanissimis resisti posse prudenter iudicaret. Nam eo tempo
re Carolus Cæsar Clementi pontifici iratus per suos legatos Romam petijt & 6. die
Maij fortiter expugnauit ann. 1527 Cum aũt eundem in potestatem redegisset, tan-
dem eum liberauit atq; pacem Italis restituit.

Interea Rhodij equites, qui ducalem sedem Syracusis constituerant, mirabili *Rhodiorum*
successu Turcarum & Saracenorum impetus in mari mediterraneo egregie susti- *in Sicilia vir-*
nuerunt, atq; finitimas regiones à Barbarorum irruptione defenderunt. Pyratas e- *tus.*
tiam hinc inde longè latéque vagantes aggressi interceperunt, & procul à littó-
ribus Italicis, Gallicis & Hispanicis repulerunt, ita vt de suis locis in Africa

defendendis essent solliciti. Cum autem fama de Ludouico rege Vngariæ deuicto in varias Christianorum prouincias percrepuisset, atque omnis Barbarorum impetus ex Constantinopoli ipsisq; Orientis locis expectandus esset, sacræ militiæ princeps Ordinis sui sedem in Melitam insulam Caroli Cæsaris consilio transferre, atq; ibidem habitare constituit, vt Christiani nominis hostibus ex vicinore insula citius occurrere, atq; illorum insolentiam in mari Mediterraneo compescere possent. Carolus enim Cæsar vtriusq; Siciliæ rex, eo quoque in loco exma terna hæreditate præerat. Cum autem Syracusæ rerũ amœnitate & mirabili fertilitate insignes essent vix ordinis equites inde auellebanť. Eam vrbem olim Archias à Chorintho aduectus condiderat, qui vnà cum Miscello ex oracuło eis propositis diuitijs & salubritate, vt alterum eligerent, Archias cum diuitias prætulisset, Syracusas omnium rerum fertiles habuit. Alter verò prælata salubritate Crotonem ædificauit. Syracusani itaq; adeò creuerunt opibus, vt in prouerbum abierit, cum ad diuites loquimur: Vobis ne decima quidem Syracusanorum adest. Propterea in eum locum cum Rhodij peruenissent, classe sua excurrentes maria vndiquaque prius infesta longè pacatiora reddiderunt, atq; Christianorum vrbes maritimas sua virtute magno metu liberarunt. quod autem loci permutationem attinebat, ob Christiani nominis vtilitatẽ omnia Pontifici Clemẽti & Carolo Cęsari permiserũt.



Melitæ insulæ situs.

Hanc eorum virtutem cum Carolus Cæsar perspexisset, atq; Barbarorum vires & varias irruptiones in Europeas Christianorum prouincias exploratas haberet, deliberare cœpit de insula quadam remotiore loco sita Rhodijs offerenda, vt ibidem Turcis resistere, atq; Barbaros per aliquot secula à Christianorum finibus repellere possent, id quod etiam prius per ducentos & amplius annos magna gloria Rhodi præstiterant. inter alias autem Melita loci opportunitate & fertilitate commodissi-

modissima visa fuit, quæ tanquam firmissimum Europæ propugnaculum fortissi- 1529
mo huic ordini offerretur. Est autem Melita insula in mari Africo sita, quæ sexagin
ta millia passuum in septentrionem à Sicilia distat, & in meridiem paulo maiore in-
teruallo ab Africa, tãtundem etiam ferè à Lylibeo quàm à Pachino Siciliæ promõ
torijs abest. vicinior tamen Pachino. hæc fertilis est, & à Carthaginensibus ante-
quam Siciliæ imperium inuaderent, nobilissima ciuitas in loco medio ædificata,
quam Melitam vocant. Nam illam opportunam ad classes capiendas fore Cartha-
ginenses arbitrabantur, cum portus duos habeat intra se capiendis classibus mul-
tis peraccommodatos, quorum vnum nunc Marsamusettum, alterum Marsasiro-
cum vocant, sed post secundum bellum Punicum Romanis cessit: efficiunt hos
portus sinus maris in ipsam insulam ingredientes, qui angustias habent primùm,
deinde os ingressis dilatatur, atq; nonnullas partes insulæ faciunt peninsulas, cum
in mare protentæ exiguo terræ spacio adhæreant insulæ. Inter hos portus intercur
rit spacium quoddam terræ ad mille passus latum, cuius in ea parte quæ mare Sicu-
lum Pachinúmq; spectat, & mari ipsi exterius est contigua, locus cum arce fuit
munitissimus, quem Sanctum Elmum appellarunt. Interius verò in alio portu
cum tres emineant peninsulæ, in illa quæ magis est vtrinq; à mari longinqua, nul-
lum situm fuit oppidum, at in mari Siculo viciniore inexpugnabile prope oppidũ,
quod Sancti Angeli vocabant, exiguo spacio à vocato Burgo disiunctum: in me-
dia harum oppidum est munitissimum Sancti Michaelis appellatum.

Insula Melita in circuitu continet ad sexaginta miliaria Italica quæ duodecim
Germanica conficiunt, sicq; insulæ diameter ferè quatuor miliaria contineret. Ibi
etiam sexaginta pagi & quatuor oppida hodie visuntur. Cum enim Turcæ no-
stris temporibus frustra insulam oppugnarint, & tamen Sanctum Elmum occupa-
rint post eorum discessum Ordinis proceres ad eum locum nouam ciuitatem mu
nitissimam ædificarunt, vbi hodie equites habitant. Insula est populosa & ad sex
millia virorum & viginti millia hominum inhabitant. Vtuntur incolæ ferè lingua
Mauritana quæ vix scribi potest, Equites verò suam propriam linguam retinent.

Cum hæc insula Carthaginensibus nauali prælio victis in Romanorum pote- *Insulæ ferti-*
statẽ deuenerat, existimabant Melitenses fortunati, propter multarũ gentiũ com- *litas.*
mercia & varias artes, & linum Xilinon tenuitate, mollitie, candoréq; nobile, ex
quo vestes Melitenses celebratæ, ita vt Cicero obiecerit Verri prętori Siciliæ luxũ
Melitensem ob vestitum delicatiorem. ad hoc melle optimo diues, inde nomen
traxisse videtur, & rosa admodum laudata: binæ sæpe messes, hordei præsertim &
lini Xilini. Cæterum terra passim lapidosa & salebrosa, & vix tres cubitos terræ ha
bet in altitudine. fert tamen ficum, pomum, amigdalum, vitem, atq; alias fructife-
ras arbores humana diligentia cultas. Palmas quoq; sed steriles, Triticum ex Sici-
lia adferunt. Carduis grandioribus abundat, quibus incolæ pro lignis vtunt. Cęlo
terráq; dulcium aquarum est penuria, & quos habent fontes ferè hybernis imbri-
bus replentur. nam aquæ semisalsæ, & æstiuo sidere siccantur, quo etiam incolæ
tinguntur vt non multum ab Aethiopis colore distent. Itaq; brumæ tempore ibi
gignentia omnia lætiora. Genus hominum salubri corpore, victu tenui industriũ,
patiens laborum, & bellicosum, pleróscq; senectus octoginta annorum non mor-
bus dissoluit. Aedificia (vrbibus exceptis) Numidarum mapalibus similia, ob-
longa, humilia, ruderibus aut arundine tecta. Ab hac etiam insula Melitei canes
gratissimi dicti videntur. Melitæ adiacent aliquot insulæ paruæ. in his præcipua
Gaulos quæ quinq; millibus passuum occasum versus à Melita intercurrente freto
abest. Inter hanc & Melitæ latus occidentale binę angusto freto inter se disiunctæ
iacent Cuminię appellatę. Est & ad Euronotum insula parua Piper dicta, quæ om-
nes Militensis militię principi parent: reliqua pleráque mari sæuo & rupibus altis-
simis septa, atq; maximis ventis exposita. In hac insula antiquitus Batto rex cele-
bris habitauit, qui Didonem ac Annam sororem hospitio excepit. Phalaris quoq;
Tyrannus Melitensium amicus fuit & sępius eos inuisit. Templum ibi Iunonis fuit

1529 antiquissimum, & multis donis à vicinis populis dotatum. Vnde etiam Masinissę regis præfectus duos elephantinos dentes incredibilis magnitudinis ex eo templo in Africam secum detulit. Id cum Masinissa intellexisset reuerentia Deæ permotus, dentes in templum remisit. Aliud erat templum Herculi ibidem ad Austrum dicatum, quod finitimis in maximo honore fuit. eius adhuc ingentes ruinæ supersunt in insulæ angulo qui Euriportus dicitur. Constat præterea hanc insulam semper Siculis fuisse amicam, præsertim quod facilis sit hinc inde transitus. Innocentius quoque eius nominis primus pontifex ibidem Concilium ducentis & quatuordecim Episcopis contra Pelagium celebrauit, in quo Syluanus Melitensis præsul & D. Augustinus fuêre præcipui. Sunt enim ibi homines religioni deditissimi ac D. Pauli patrocinio potissimum vtuntur, præsertim verò fœminæ eximia pulchritudine decoratæ, quæ tamen velata facie incedunt.

D. Pauli habitatio in Meuta.

Nam in hac insula Diuus Paulus, cum captiuus Hierosolymis Romam ad Cæsarem duceretur, per tres menses habitauit, atq; à rebus ibi peractis celeberrima semper habita fuit. Cum enim ibidem Centurio cum ducentis & septuaginta sex hominibus naufragium passus esset, omnes à Deo D. Paulo donati fuerunt, ita vt nullus illorum interierit, id quod S. Paulus Centurioni prædixerat: alij enim natando, alij in tabulis aut nauis fragmentis in terram euaserunt incolumes. Incolæ verò præstabant ipsis non vulgarem humanitatem. accensa enim pyra omnes recipiebant, propter imbres frequentes & frigus hyemis. quum congregasset autem Apostolus sarmentorum multitudinem, & imposuisset in ignem, vipera è calore prorepens manum eius inuasit. Vt verò Barbari videbant pendentem bestiam de manu eius, inter se dicebant: Omnino homo hic est homicida, quem seruatum à mari vltio non sinit viuere. Paulus verò excutiens viperam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant futurum vt incenderetur, aut mortuus repẽte concideret. Diu autem illis expectantibus & intuentibus nihil mali illi accidere, mutata mente dicebant eum esse Deum. In locis autem illis erant prædia primati Insulæ nomine Publio, qui eos exceptos triduo benignè tractauit hospitio. Contigit autem patrem Publij febribus ac dissenteria vexatum decumbere, ad quem Paulus intrauit, & cum orasset imposuisséq; ei manus sanauit eum. Hoc igitur facto cæteri quoque qui habebant infirmitates in Insula accedebant, & sanabantur, Qui etiam multis honoribus hospites honorauerunt, & soluentibus nauim, quæ necessaria erant imposuerunt. Post menses autem tres nauigaurnt in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui insignè erat Castor & Pollux, ac primò Syracusas, inde Rhegium, & tandem Romam peruenerunt. Itaq; cùm Christiana religio ad Insulanos peruenisset, ob D. Pauli inhabitationem, & verbi Dei ibidẽ prædicationem, semper fuerunt celebres. Ab eo tempore quo D. Paulus viperam excussit in ea insula nullum maleficum animal gignitur, neq; aliunde allatum non cet. est etiam sacellum D. Pauli in littore ædificatum vbi eius nauis allisa erat, in quo multi ægroti morbis liberantur.

Rhodijs Melita insula tradita.

Cum itaq; Carolus Cæsar loci opportunitatem, & Ioannitarum equitum fortitudinem & magnanimitatem considerasset, cum ipsis agere cœpit, vt Syracusas relinquerent, atq; ducalem sedem Melitam insulam munitissimam transferrent. Videbant quidem equites Rhodij quanto periculo sese exponerent, & quod Barbari ab ortu & meridie omnia loca longè latéq; possiderent, vnde commodè ipsos inuadere & ingenti classe oppugnare possent, nihilominus ob Christianæ Reipub. emolumentum, insulam oblatam susceperũt, atq; sese eandem contra Barbarorum varias irruptiones pro viribus sua defensuros promiserunt. Inter alias autem conditiones Carolus Cæsar ipsis imposuit, vt & Tripolim suis viribus defenderent, & Mauros ac Sarecenos procul inde propulsarẽt. Sita est Tripolis (quę & Neapolis dicitur) in promontorio ad mare Africum, vbi Cymphus fluuius Africæ sese in mare exonerat, è regione Melitæ insulæ ad centum millia passuum. Altera verò conditio erat vt Cæsari aut alijs Christianorum principibus contra Turcas, Saracenos,

nos, Arabes, Mauros, atq; alios infideles, pugnantib. subsidio essent, & lõgè ab eorũ finib. arcerent. In primis verò vt instructa classe Pyratas in mari Mediterraneo persequerentur & tollerent, atq; etiã Christianorũ littora à Barbaris fortiter defenderent. Insuper quoq; vt Hispaniæ & vtriusq; Sicilię reges protectores agnoscerẽt, & singulis annis gratitudinis ergo Falconẽ offerrent, in alijs liberi essent, suóq; magno Magistro obedirent. Hacq́ ratione Rhodij equites nobilissimę huius insulę possessionem impetrarunt, atq; ad nostra tẽpora per quinquaginta annos animosè conseruarunt. Sua enim classe ita vicina littora circumnauigarũt, vt Christianis omnibus solatio, & inimicis Barbaris terrori esse cœperint: quotiescunq; etiam Christiani principes cum Turcis aut Saracenis bellum susciperent, Melitenses equites fortiter ipsis adfuerunt, & tales sese præstiterunt, vt meritò ab omnibus diligerentur & reuererentur. 1529

Ordinis Magistri conditio.

Ordinis huius princeps ad eminentiæ suæ statum conseruandum Melitensis insulæ prouentibus fruitur, qui ad decem millia ducatorum in singulos annos extenduntur. Vt etiam liberalem sese omnibus exhibere queat annuatim aliquot millia Coronatorum ex ordinis ærario attribuuntur: quin etiam in singulis nationib. domus vna commendatitia principi cum omnibus bonis & redditibus cedit: præterea si quæ bona per equitum excursiones maritimas Barbaris auferuntur, decimæ principi assignantur. Excurrunt autem sæpius ad quingenta aut sexcenta millia ria versus Græciam & Rhodum, vt Barbaris noceant, Pyratas tollant, atque mare pacatum reddant. Habent plerunque Melitenses equites sex Galeas, quarum singulæ quadringentos aut quingentos milites & sedecim tormenta maiora bellica ferre possunt, quibus excurrentes Barbaros compescere atque intra suos terminos sese continere cogunt. Inter alias habebant maximam & omnibus hostibus in mari mediterraneo nauem formidabilem. Hanc & Carolus Imperator, & Franciscus Galliæ rex, cum infesta bella inuicem agerent, petebant. Verum ordinis Priores deliberatione habita eandem demoliti sunt, atque vtrumque amicum habere, & dissidentes ad pacis conditiones flectere cœperunt. Erat autem Perinus de põte ordinis tum quadragesimus quartus magnus Magister in Melita electus, cum Iohannes ab Hatstein per Alemãniam prior ætatem prætendisset, quasi arduo huic officio insufficiens esset. Perinus ergo officium assumens omnia in insula ritè disposuit, atque ordinis sui equites instar fratrum aut filiorum loco dilexit & fouit. Cessit ordini hæc insula anno salutis, milesimo quingentesimo vigesimonono.

Turca in Vngariã rediit.

Adulto vere & læto iam gramine virentibus campis Solymannus nihil ab instituto cõsilio repetẽdæ Vngariæ discedit, & Magistris equitũ imperat vt copias omnes ad signa vocent. Europeis equitibus imperabat Habraymus, Asiaticis autem Betranbeius, hic ad edictum ex Asia copias in Europam traducit, ille aduocat zanzacos omnes, qui sunt prouinciarũ præfecti. Ab his ex vetere disciplina accersuntur Subaſes, Vayuodæ, & Flamurani, qui distinctarum alarum atq; turmarũ præfecti sunt. hi omnes indicto die opportuno loco cõueniunt, præcipuéq; apud Sophiam Triballorum vrbem, quæ Europei magistri equitum certa sedes est, sicuti Asiatici vrbs Cuthea Galatię. præmittunt itaq; voluntarij equites, qui sunt extraordinariæ militiæ temporarijq́ue stipendiarij ex omnibus prouincijs. Transdanubianiq; præsertim ad prædæ spem euocati, ideoq; eorum lingua Achangi appellãtur. Eorũ ingens numerus esse cõsueuit, vtpote qui supra quinquaginta millium numerũ adimpleant. reguntur aũt imperio peculiaris præfecti, qui ex antiquissima Turcarum familia, vti virtus prouehit, ex vetere prærogatiua eligitur. Is tum erat Achomates Michaloglis, qui anteire Magistri equitum agmina, & primus in hostilem regionẽ irrumpere, & latè prædari ferroq́ue & incendio cuncta absumere iubetur. Itaq; Solymannus præeũtib. Europeis & Achangis, Asiaticis terga tuẽtib. Hadrianopoli profectus quintis decimis castris Belgradũ peruenit, superatóq; Sauo Drauóq; fluminibus, iter recta Budã extendit. Iisdem fermè dieb. quibus Solymannus Belgradum

gradum applicuit, Ioannes rex, quãto maximè potuit Hungarorum procerum comitatu ſeptus, ipſo Laſcho comite, ad Solymannum venit, vt honoris cauſa in gratiam clientelámque ſuſcipientem pręſens agnoſceret, tutelarem eius dextram oſcularetur, atq; eum vt promiſſa præſtaret gratias agendo veneraretur.

Solymanni cum Vayuoda cõgreſſus

Tyrannus graui frõte ſed amico obtutu parum ſe puluino commouens, dextrã ſuam fide præſtantẽ, ideoq; ſemper valituram, apud eos quos in amicitiam recipe-ret porrexit: teſtatus nihil ſibi optatius & meliùs à numine poſſe tribui, quàm vt miſeros ab ipſius præſertim hoſtib. iniqua & indigna perpeſſos ſubleuare poſſit. Proinde bono animo eſſe vellet, cũcta enim quę vltore gladio eo bello de hoſtibus pararet, liberali animi decreto ei protinus eſſe conceſſurum. In conciliando autem Solymanno Iohãnes Habraymi Baſſæ efficaci ſtudio profecit, quem antea per Laſchum ita precibus atq; muneribus, præoccupato eius animo, ſibi beneuolum amícúmq; parauerat, vt regiæ cauſæ patrocinium facile ſuſciperet, Aloyſio Gritto prę-ſertim internuncio fœlícíq; auſpice. Is enim caſtra ſequebatur, & vti erat Andreæ Venetorum principis filius, ideoq; præclara eius nominis cõmendatione inſignis & omnis elegantiæ peritus, ab intimo conuictu ſecretioréq; conſuetudine familiaris, tanta valebat gratia, vt Habraymum ab occulto quodam ſidere Solymanni genio non obſcurè imperantem, eò quò vellet facile perduceret. Aduentantis Tyranní fama rectáq; Budã ire pergentis, Budenſes metu perculſi fermè omnes vrbe profugerunt, & in proximas vrbes, pars Strigonium, pars Albam regalem, alíj Poſſonium demigrarunt. Itaque vacua penè potitur Buda, & arce nunquę Germanico præſidio tenebatur oppugnari iubet. Turcæ perfectis per cuniculos ſubterraneis operibus, vectibus & dolabris ima turrium fundamenta ſubruere conantur: vt ſuppoſitis ignibus arcem excindãt. Etiam ſulphureus vapor ſuccenſi in cuniculis tormentarij pluueris ad nares Germanorum permeabat, & ex diſcurrentium Turcarum habitu, non obſcura concaſuræ mox turris indicia notabantur, quo ingentis periculi metu adducti cum hoſte ſaluis rebus paciſcuntur. Cæterùm cum eius præſidij milites, qui erant ferè ſeptingenti, ex conditione incolumes ſarcinísq; ſuis onuſti Poſſonium abirent, Tyrannus Ianizaris ad vnum trucidãdos obiecit, quod inuito Naſtado arcis cuſtode deditionem feciſſe dicerentur.

Turcæ Auſtriã ingreſſi.

Exinde Turca caſtra mouens eo conſilio vt Viennam duceret, ex itinere Altaburgum oppidum Bohemico præſidio cuſtoditum adortus, vel impigrè Bohemis aliquandiu propugnantibus, ſed mox cadente ipſorum duce, concepto grauime-tu, murum deſerentibus, expugnauit, interfectis ferè ad vnum Bohemis. Ab Altaburgo Achanges verſus vrbem Quinq; eccleſias vocatam prædatum dimiſit, qui intercepta ingenti omnis generis hominum præda, nemine vſquam reſiſtẽte, præteruecti Viennam luctuoſas ad Lintzium vſq; excurſiones fecerunt. His Barbarorum præcurſionibus antea prouiſis Ferdinandus rex, graui incenſus cura, quas potuerat euocare & cogere copias intra Viennam contulerat, & maiorib. cogendis præſidijs implorabundus opem ſingulos regulos ſingulásq; ciuitates adiens volitabat: paucis aũt dieb. ſecundum amiſſæ Budę famam circiter viginti millia peditũ & equitum Viennam confluxerunt, quibus præſtantiſſimi duces præerant, inter quos eminebant Philippus palatinus Rheni, Nicolaus Comes à Salma (qui Ticinenſi prælio, in quo Franciſcus rex Galliæ captus erat, inclaruerat) Vvilhelmus Rogendolphius regię aulæ magiſter, & Ioannes Cazianer natione ſemi Illyricus. Aderant etiam aliquot Ioannitarum ordinis commendatores, præterea Nicolaus Turrianus, Ioãnes Hardecus, Leonardus Velſius, & Eccio ab Reiſchach inter Germaniæ proceres bellica laude illuſtres. Ab his præparata ſunt ænea circiter cẽtum currulia tormenta, præter minora. hæc erant ferè trecenta, quæ pilam plumbeam infra anſerini oui magnitudinem ferrent, & pro corona mœnium iuxta pinnas earúmq; feneſtellas diſponebantur.

Vienna à Turcis obſeſſa.

Circiter Idus Septembris Anni 1529 Solymannus Viennam peruenit, aliquanto tardius quàm ſperarat, quod eius curſum toto ferè itinere amnes innundantes retardaſſent.

retardassent, ob idq; Danubius minus idoneam aut tutam nauigationem subeuntibus tot nauigijs onerarijsq; præsertim lintribus præberet. Igitur Solymānus quinis castris diuersa ac opportuno loco positis vrbem circumplexus, tantam per omnes campos tabernaculorum multitudinem Vienensib. è sacra turri, quæ è media vrbe excelsissima structura exurgit, prospectantibus ostendebat, vt octona vndiq; suburbani agri millia passuum occupare dicerentur. Habraymus montem vbi castellū est antiqui operis desertum præoccuparat, vnde non interiecto magno vallis spatio totam vrbem despicere posset, extra tamen tormenti iactum. Betrambeius autem considebat contra purgatoriam portam, iuxta sancti Huldrici templum. Tertia castra erant Michaloglis, quæ secundum accliuia montis ad templum S. Viti latissimè extendebātur. Quarta erant posita ad Scotorum portam, ad Danubij ripam pertinentem, qua in parte constitutæ fuerant Asaporum turmæ, quibus admiscebantur validę Ianizarorum cohortes, quæ repentè erectis longis munitionibus sclopetis rem gerebant, nec quenquam in muro Vienensium consistere patiebant. Superfundebatur autem tanta sagittarum vis intra vrbem, vt per regiones, qui non essent galeati, tanquam è cælo decidentibus sagittis grauissimè ferirentur. Cæterū Solymannus ad D. Marci templum prætorij vexillum erexerat, septus hortorum lateritijs munitionibus, & per Asapos actis cuniculis mœniū fundamenta subruere, & dolabris ac vectibus non vno in loco muros præcidere iubebat. nam quū muralibus tormentis careret, ad id genus oppugnationis via rectior & potior videbatur, vel ob id præsertim quod magno vienensium incommodo accidit. 1529

Vuolfgangus Hoder Possonio exiens cum iusto tormentorū apparatu expeditisq; copijs, subeuntem aduerso flumine Turcārum classem eo euentu aggressus fuerat, & multa nauigia minora demergeret, & lintres aliquot magnos, quibus maiora tormenta ad oppugnationem mœnium subuehebantur, perforaret ac demergeret, & Turcæ amissis pluribus è numero sociorum naualium, multisq; militibus, qui classi præsidio impositi fuerant, interfectis, insigni clade afficerentur, paucisq; suorum amissis Vuolfgangus Possonium victor rediret, reliqua tamen Barbarorū classis vbi Viennā peruenit, primo impetu pontes omnes præcidit & diruit. nam Danubius paulo supra vrbem in aliquot partes diductus paruas efficit insulas, quę pontibus iunguntur, per quas Austriana via in vrbem dirigitur. ea classis ita versus arcem constitit, vt neq; terra neq; flumine aditus vllus liber aut tutus exituris vel ingressuris relinqueretur, & si qui armatorum cuneis effectis portis erumperent, facile à Barbarorum multitudine intra vrbem cum detrimento retruderentur. Nam paulo antè Ioannis Hardechi equites vel egregiè pugnantes & splendidis muniti armis erumpere ausi, detrimento accepto, cum ab equitibus tum à Ianizaris sclopetarijs reliquisq; sagittarijs tanta perturbatione pulsi reiectique sunt, vt multis interfectis & vulneratis Vuolfgangus signifer cum vexillo caperetur, qui non multo post à Solymanno insigni donatus veste ad suos remissus est, cum mandatis vt præsidiarios milites simul & Vienēses ciues ad deditionem hortaretur. Ipsum enim si pertinacius resisterent pro humanitate & muneribus quæ offerebat in omnem ætatem & sexum gladio sęuiturum. Sed ea erat omnium constantia vt nihil tanta multitudine hostium terrerentur, & probè se mœnia defensuros confiderent, postquam nulla hostibus esse muralia tormenta perspicerent. *Solymannus ad deditionē hortatur Vienenses.*

Postea omnis labor totáq; spes subruendi muri apud Turcas posita erat in cuniculis qui tribus in locis subter fundamēta mœnium ducebātur, quorum operum sonitu sedulo Germani auscultantes, & quo tenderēt telluris cōmotę pulsu certis plenorū aquis peluiū & tympanorum militariū instrumētis deprehendētes, paribus cuniculis occurrebāt, quando necesse esset tympana solo apposita, vel ex minimo terræmotu cōmota membrana palpitare, vasa autem pariter concissa tellure crispantem aquam ostendere. Ad hæc inspectis in partibus murum introrsus ingentium trabium tibicinibus efulciebant, vt casura extra mœnia proruerent. vti tum acci- *Cuniculis murus prostratus.*

1529 accidit quum excitatis ab hoste cuniculorũ ignibus, ad Carinthiam portam magna pars muri tremefacta, incolumi tamen turri hiscéret atq; extra prolaberetur, Turcæ præpediti ruina & confertim ingredi conati facilè ab armata Germanorũ phalange repellerentur. nec multo pòst contra templum D. Clarę proruens murus binis hiatibus æditis, sed his non omnino latis, Turcæ ad irrumpendum inuitarẽtur, & quanquam propter angustias tenui cuneo intrarent, cruentum tamen sed suo maxime sanguine certamen cum Germanis eius stationis contraxerunt, tanta Barbarorum audacia constantiáq; nostrorum, vt protectæ splendentibus armis cohortes facilè inermem turbam hostium temerè proruentem & cuspidibus sese vltrò offerentem egregiè sustinerent: & quod Barbari essent numero impares multos eorum confoderent, tergáq; dare & tumultuosè regredi multis cadentibus cogerent.

Horrẽda vrbis oppugnatio.

Triduo pòst atrocissimè dimicatum est, quum pars muri iuxta Carinthiam portã non longè à priore mœnium ruina ita concidisset, vt Turcæ nostrorum phalanges in pomœrio constitutas paratásque ad pugnam excipiendam patente ruina conspícerent, adorirentúrque ardentibus animis, & abiectis demum vtrinq; sclopetis & arcubus, ad gladios rem deducerẽt: quum eadem ratione qua Germani duces hortabundi phalangem promouerent, & Turcarum præfecti suos non verbis modò feróque vlulatu capescere pugnam, sed illatis vulneribus ad prælium compellerẽt. Certabatur omni genere telorum ignêque missili, sic vt nusquam acrius & pericolosius hoc seculo pugnatum fuisse diceretur. Ambustus est Comes ab Othingen, & nonnulli pariter è Barbaris ordinum præfecti: quoniam Asapis & Ianizaris equites ipsi dimissis equis, suisque protecti scutis & incuruis armati gladijs, equestribúsque hastis audacissimè miscebantur. Ad extremum quum tribus horis esset pugnatum, Turcæ insigni detrimento accepto per easdem ruinas extrorsus præcipites dati sunt: at Solymannus totirritis & maximè cruentis suorum prælijs permotus, immanium supremum suarum virium conatum editurus, præfectos omnes aduocabat & acerbissimis castigat verbis, quod partæ propè victoriæ defuerint, ignauissiméque contra morem inuictæ gentis à limine semicaptę vrbis pedem retulerint. Propterea confirmarent animos, & rursus ad renouandam pugnam corpora atque arma pararent, ne dedecus admitteretur: se enim existimare turpissimũ incœpto abscedere. Proinde putarent aut egregiè in posterum diem expugnata vrbe vincendum, aut ignominiosè pereundum.

Turcæ pugna vict.

Ab hac atroci denunciatione postridie qui fuit idibus octobris, supremo conatu redintegrata est pugna, vsq; adeo terribilis, vt quum Barbari agminatim per easdem ruinas in vrbem irrumperent progrederentúrque, & densatas horrentésq; hastis nostrorum acies contemnerent, præeunte incredibili crepitantium sclopetariorum procella, collato pede pugnaretur. Sed magno statim nostrorum commodo nonnulla maiora tormenta certis locis peritè dispósita, collibratáq; in proruentes Turcas emissa sunt, tanta strage edita, vt milites prodeuntium ducum imperijs & minis parere desinerent, & Turcico gladio interfici quàm Christianis tormentis sterni satius & melius arbitrarentur, atq; eo modo finis Vienẽsium periculo est impositus, & insolentis Tyranni pertinacia fracta est, non dubia cum laude Germanicæ virtutis atque ignominia Barbarorum. Postero die Solymannus sibi discedendum multis de causis iudicans, captiuos quosdam ornatos veste serica pecuniáque donatos in vrbem remisit, vt ducibus Vienensium referrent, se nõ eo consilio obsessum oppugnatúmq; Viennam venisse, vt vrbem caperet, sed peculiari de causa vt Ferdinãdum hostem suam nancisceretur, quo cum de Vngariæ possessione novíli prælio controuersiam finiret. Verùm postquam eum Viennæ non esse, & in vlteriorem Germaniam abijsse didicerit, moturum inde castra & ad quęrendum persequendúmq; eum tanquam præcipuum hostem esse progressurum. Proinde ipsos rectè facturos si sese dederent. Quod si facerent, ipsum neq; ingressurum vrbem & Vienenses præsidiariósque ipsorum incolumes saluis, rebus seruaturum, donatúmque perpetua immunitate. Hæc Viẽnenses, vti à Barbaro propter desperatam vrbis


vrbis expugnationem prolata, irriserunt, maximoq; rerum discrimine liberatos cõ 1530
fessi sunt. Nam postridie, qui fuit tricesimus dies obsidionis, Tyrānus castra mouit tribusq; itineribus & tribus maximis agminibus iter cœpit. Nam Strigoniensi via, atq; item altera quę ad Crauium Semilliricam regionem ducit, & tertia qua iter est in Bossniam digressum est, ita vt Habraym⁹ vltimo loco agminis terga clauderet, & classis totis Danubij ripis omnes commeatus & reliquarum rerũ facultates terrestri agmini suppeditaret.

A tanti hostis discessu lætitiam ingens perfudit luctus. quoniam suprà sexaginta millia Germanorum capita in seruitutem abducta ferebantur, vt magno Viennensium incõmodo totus ager succisis vitibus & frugiferis arboribus fœdè deformatus visebatur. Solymannus autem Ioannem Budæ regem constituit, beneficiariúmque & amicum ex diplomate & solẽnibus codicillis appellauit, adiunxitq; ei Grittum vt ea pararent quæ confirmãdo regno opportuna viderentur. Accidit autem vt Solymānus Ioannem in eius tabernaculum cum proceribus Hungaris admissum impense rogaret, vt Paulo Strigoniensi, & Petro Pereno clementer parcere & in pristinum locum gratiæ recipere vellet. Nam Ioannes ab eorum ingenijs amicitiaq; plurimum abborrebat, quoniam illi fluxa fide idem quod sibi antea officium dum coronaretur Ferdinando præstitissent. Nec multo pòst instãtis iam hyemis frigora timens infesta iumẽtis camelisq;, præsertim calidiore sub cœlo natis, iter cœpit ad Belgradum, atq; inde inglorius in Thraciã est reuersus. Illi autem qui Viennæ in præsidio fuerant magna laude domum reuersi immortalẽ patriæ & sibi gloriam compararũt, atq; hinc inde summis honoribus excepti fuerũt. Cum etiam Carolus Cæsar Turcarum discessum cognouisset, ingenti cura liberatus Florentinos in deditionem suscepit, atq; sequenti vere 24. Februa. à Pontifice Clemente reconciliato Bononiæ, magna solennitate, Imperij coronam accepit, atq; cum Christianis in Augustanis comitijs deliberauit, qua ratione Turcarum conatibus obuiã iret, atq; hanc eorum insolentiam & in Germaniã irruptionem, primo quoq; tẽpore compescere posset. Ibi etiam Protestantes imperij status suam confessionem Imperatori exhibuerunt, quæ à loco Augustana dicta fuit. Cum autem Carolus non sem per in Germania rebus imperij præesse posset, apud electores effecit vt Ferdinãdus frater rex Romanorum crearetur, qui in sua absentia rebus in Germania præesset. Eodem tempore cum Solymannus Viennã discessisset magni quoq; motus à Turcis & pyratis circa Maioricam & Minoricam adeóq; circa Melitam insulã excitati. Erant enim in mari Balearico pyratarum 15 naues armis & militib. optimæ instructę, quę Haydeno duce omnia littora Christianorum diripiebant. Id cum Don Rodericus Portunde obseruasset ad Ebusum insulam octo triremibus hostem inuadere statuit, filio ipsius Ioanne plurimum disuadente, qui videbat Barbaros numero nauium & militum nostros superare. Verùm Portundus sua triremi procurrens in hostem impetum fecit & vndiq; circundatus succubuit. eandem fortunam & Ioannis Cantabri nauis, postea & reliquæ subierunt: plurimi tamen nostrorũ littora petentes euaserunt. Ea victoria parta Haydenus & Salecus Pyratæ se Alcayrum ad Hariadenum Barbarossam contulerunt atq; ei et sibi apud Solymannum magnam authoritatem compararunt. Itaq; is audentior factus viribus coniunctis cum Sinan Iudæo sexaginta nauibus Alcayro soluit, atq; vrbem Gades occupare statuit. Verũ Andreas Auria assumptis Melitensibus ipsis Barbaris obuiam processit, atque ad Cercellum hostem deprehendit. Ibi Halicotus victus fugam arripuit, & in arcem contendit. Itaq; vrbs à nostris capta & octingenti Christiani ex carceribus liberati. Dum autem milites auidius prædæ incumberent, Barbari ex arce erumpentes nostros deturbarunt, & iterum ad naues compulerunt. Hisce peractis nostri maria percurrentes pyratas dissiparunt, & ingenti præda onusti in Melitam & Sycilíam reuersi sunt.

Solymannus in regnũ inglorius rediit.

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MAriqúe fortiter geſtarum,

Liber octauus.





ACATA Italia Carolus 5 Imperator è Belgis aduerso Rheno profectus Ratisbonam venit, vbi totius Germaniæ conuentum plurimis de causis & conciliandis præsertim Catholicorum & Euangelicorum animis erat indictum: dum autem hisce rebus occupati essent, certis rumorib. affertur Solymannum innumerabilib. copijs instructum è Constantinopoli in Mysiam peruenisse: eadē confirmant Clementis pontificis & Venetorum literæ. magnus timor tū Germanis incutebatur, Austriacis præsertim, qui proximis Turcarum incursionib. abacta pecora, raptos in seruitutem liberos cum vxoribus, & fratres trucidatos, incensaq; ædificia, repentina belli clade conspexerant. Fama erat ea de causa redire in Pannoniā Tyrannum vt Viennam expugnaret, à cuius mœnibus paulo antè fortiter repulsus cum ignominia discessisset. aut si Germani duce Carolo contra prodirēt in aciem, de totius ferè terrarum orbis imperio decertaret. ipsum enim vnū se esse, expugnata à Machomete proauo Constantinopoli, & Constantino vltimo Græcorum imperatore occiso, ad quem Romanorum imperium legitimo iure pertineret. Vnde etiam Carolum non Cæsarem sed Hispaniæ regē superba dissimulatione vocabat. Ferdinandus Cęsar vbi fit certior Solymannum prima agmina per Thraciam extē disse, ad eum cum muneribus & æquissimis de pace fœderéq; mandatis tres legatos mittit, quorum princeps erat Leonardus Negarola nobilis Vicentinus literarum & multarum linguarum peritia insignis. Illi in Triballorum finibus obuiam Tyranno facti nihil plus tulerunt, quàm vt castra sequerentur.

1531 *Turcarū ap paratus in Germaniā.*

His Ratisbonæ nunciatis Carolus Germanię proceres alloquitur, docétq; in eo communi rerum periculo nihil tutius esse consensu, nihil dissensione calamitosius, proinde excitarentur ad id classicum, quo sæuus & Barbarus hostis cunctis cathenas & templis ac urbibus vastitatem denunciaret. se constantissimo animo paratū esse contra hostes proficisci, ad tuendam religionis causam, ac nominis sui dignitatē, si ipsi fortiter coactis copijs Christi vexilla & victrices aquilas sequerentur, atq; vnà (more maiorum) pro salute omnium bellum susciperēt: acciturum se cōfestim Hispanorum & Italorum expeditas cohortes magni roboris auxilia, quibus Germanorum statariæ legiones firmarentur: prætera Rhodiæ militiæ equites adfuturos, atq; Clementem pontificem in hos apparatus magnam auri vim collaturum. Ad ea principes legatiq; responderunt in animo esse Germanis salutem publicam imperij qúe existimationem tueri, propulsare iniurias, & Christianæ religionis hostes bello persequi. Cæsarem verò prolixè collaudare, qui se eo bello Imperatorem futurum profiteretur, & externa item auxilia Germanis esset adiuncturus. Idcirco ipse fratérq; Ferdinandus darent sedulò operam, vt ea quæ vsui essent maturè expedirent. ipsos enim æstimato prouinciarum ex vetere formula censu, delecturos milites, & ad condictum Viennam vndiq; in castra transmissuros. Itaq; fit decretum è summa Concilij vt in aliud tempus religionis causa differatur, cæterisq; controuersijs postpositis omnes in vnum belli apparatum animos intendant.

Carolꝰ principes hortatur ad bellū Turcicum.

Igitur Carolus Alfonso Vastio in Italiā perscribit vt veteres præfectos aduocet, & per eos cohortes conscribat, & quantum maximè potest sclopetariorū numerū paret, simúlq; Hispanos oēs Tridentinis alpibus ad se celeriter in Noricū adducat. Andreæ quoq; Auriæ & Rhodiorū equitum Magistro iniungit, vt pari studio triremes & plures onerarias militariter exornent, & aduersus Turcarū classem in Græciam trajiciant. Accersit etiam è Belgio Burgundiáq; grauis armaturæ equitatum, & ab Hispania complures veteranos milites, & sibi quoq; cohortiū prætorianorū nomine duodecim millia Germanorū, ex his qui in Italia stipendia meruissent, mercede conducit, quib. Maximilianus Eberstenius & Tamisius Italico bello clari duces præficiuntur: vni Galli nihil huic bello se miscuerunt. Rex etiam Angliæ ab repudio vxoris, quæ Cæsaris erat matertera, penitus alienū ab amicitia animū osten-

Christianorū exercitus

1531 dit. Interea pontifex dabat operã vt pecuniæ à quæstoríb. vndiq; cogerentur: licet ęrarium in bello Florẽtino ferè exhauſtum eſſet. Vnde in Cardinalium ſenatu decretum, vt quinq; decumę ſacerdotíjs imponerentur. Mox etiam Hypolitus Medices Cardinalis legatus ordinatur qui huic bello interſit. Eius aduẽtus Ratisbonæ à Cæſare & Germaniæ procerib. lætanter exceptus. nam ingentem pecuniã, multósq; viros fortes & notos centuriones ac militares equos adduxerat. Igitur conſiljs cũ Campegio cõmunicatis octo millia Hungarorũ equitũ conduxit, quos in finib. Pannonię diſperſos collegit. Tranſierunt quoq; ad Ferdinandũ ſupra cæteros duces Valentinus Thuracus & Bachitius Paulus admirãdæ virtutis homines, ſed fide inſtabili. His Hypolitus ſingula vexilla de manu tradidit, in quibus imagines crucifixi ſeruatoris depictæ erant, additę etiam veſtes ex purpura auróq; militares ac aurei torques.

Strigonium à Turcis obſeſſum.

Prima Turcarũ agmina iam Samandriã peruenerãt, quũ Ioãnes Vayuoda arma expedit, Grittoq; negotiũ dedit vt Strigoníj arcẽ tormentis expugnet. Sitũ eſt Strigoniũ in ripa Danubíj triginta paſſuum millib. ab vrbe Buda, cuius arx egregiè munita Ferdinãdi pręſidio tenebatur. Igitur Grittus terreſtrib. atq; naualib. copijs diu antea obſeſſum admotis muralib. tormẽtis aggreditur, cuniculiq; agũtur, per quos murus corruat. Conſiſtunt tamen fortiter in muro Germani ſeq; fortiſſimè defendunt. Sed cum rerũ omnium propè inopia laborarent, & minus ſalubri aqua vterẽtur, vt plures morbus inuaderet, à Poſonianis auxilia fumo & ignibus petere cœperunt. Erant Poſoníj Thomas Agrienſis Epiſcopus, & Vulcanus Iureconſultus Cæſaris Ferdinandiq; legatus. Illi cognito Strigonienſiũ periculo ad Viennę prefectũ ſcribunt & hortãtur, vt priuſquã Tyrannus Sauũ traijciat, deductis è Vienna præſidijs, & demiſſa grauiori claſſe, obſeſſis opẽ ferre maturarent. Præerat tũ Viennẽſi & cunctis Ferdinandi copijs Catianer, qui in conſerenda pugna fortis, ſed in conſilijs ſuſcipiendis turbidus & peruicax. Is quòd putabat Turcas ad oppugnandam Viennam vti arcem belli protinus aduolaturos, iudicabat eam vrbem nulla ex parte præſidio nudandam. Poſonianis tamẽ reſcripſit, vt Naſadias quãtas haberẽt propugnatoribus inſtruerent, pollicetur uerò ſe paulò pòſt grauiora nauigia maioribus tormentis referta ſubmiſſurum. Vngari Naſadias uocant nauigia oblonga remorum ordine valde expedita, biremibus prædatorijs, quæ in mari viſuntur diſciplina celeritateq́ ſimilima: eius generis ad ſexaginta circa Poſonium in ſtatione erant, quas Corporanus rei nauali præpoſitus deducit, & remige milite ac minoribus tormentis complet, vt in Comaria inſula, quàm paulo infra Poſonium Danubius efficit, deſertum quoddam Caſtellum occuparet, atq; inde cũ grauiora nauigia Viẽna applicaſſent, in hoſtiũ claſſem inueheretur. Ea erat in obſidiõe Strigoníj diſtributa in ſtatiões, ut flumine nihil omninò obſeſſis importari pateretur.

Naualis pugna ad Comoram.

Dum hæc ad Poſonium parantur, Grittus per ſpeculatores de hoſtium cõſilio fit certior, erant enim permulti Hungari in partibus Ferdinandi, qui non valde turpe ducebant hac & illac tranſire. Igitur ipſe celeriter cõſilium capit præoccupandi hoſtis cõſerendæq́ pugnæ, priuſquã grauiora hoſtiũ nauigia Naſadijs coniungantur. Erant ei Naſadię numero Poſonianis ferè pares, quamobrẽ in has plures ſagittarios & Sclopetarios Turcas diſtribuit, atq; ad præſtandã gnauiter operã cohortatur, certis pręmijs propoſitis, nec mora aduerſo flumine per noctem ad hoſtes magno ſilentio prouehuntur. At Poſoniani qui iam ad Comariã peruenerant, vbi expulſu remorũ de aduentu hoſtiũ cognoſcunt, vehementer perturbãtur. Erat Peſtanus ſenex quinque Naſadijs præpoſitus, is Corporanũ monet, vt congreſſum deuitet ac ſeſe Poſonium recipiat, ipſum à poſtremo agmine claſſem defenſurũ, profectione ipſa per Hungaros prodita. Corporanus ingenio ferox Peſtani monita contemnit, atque prælij ſignum propoſuit, diuidebatur claſsis in tres acies. Peſtanus omnium primus prorumpit, & Danubíj ſecũdo curſu cõcitatus hoſtes adoritur, eo impetu quatuor eorũ Naſadias perfringit, primũ agmẽ perturbat, & magnã victorię ſpẽ ſequẽtib. prębet. At Turcę confertis nauigijs vim ac impetũ noſtrorũ conſtanter

constanter excipiunt, fit prælio atrox, amittunt plerique remos, contis & gladijs rem gerunt, tormentorum sonitu & fumo, & tot gentium dissono clamore, omnis oculorum & aurium vsus eripitur: ad hęc nebula crassior diluculo orta ita amnem totũ & classes intexerat, vt nauium magistri non planè perspicerẽt quámnam in partem proræ incitandæ. Erat Turcis fluminis impetus maximè grauis, sed ea iniquitas cõiuncta inter se eorum nauigia cõfirmabat, præsertim cum Posonianorum oculi aduersis orientis solis radijs ferirentur: tum verò Turcæ discussa nebula tantam vim sagittarum aduersis nauibus superfuderunt, vt propugnatores & remiges his cõfixi in fugam verterentur, in eo tumultu Pestanus egregiè pugnans interficitur. Corporanus cum tredecim Nasadijs profugit, reliquæ aut demerguntur aut desilientibus in proximas ripas militibus vacuæ capiũtur. Ex mille & septingentis hominibus quarta pars interijt, cęteri terrestri itinere Posonium sunt reuersi. Post id prælio Grittus arcis Strigonienſis oppugnationem intermisit, ratus circumuallatum hostem non diu obsidionis incommoda tolleraturum. 1532

Italorum seditio.

Sub id ferè tempus Hispani, qui in Aemilia statiua habuerant, ad alpes peruenerunt. Erant in eorum castris supra viginti millia hominum, sed tertia ferè pars inutilis turbæ, cum tantum septem millia veteranorum peditum censerẽtur: cum multis enim impedimentis, vetere præda onusti, secum fortunas suas & scorta deferendas censebant. Hanc militum licentiam cum Vastius, cõmeatus inopiam veritus, castigare & sarcinarum numerum præscribere vellet, ad Athesim militaris seditio exarsit. Ergo Vastius quædã temporis necessitati tribuenda ratus ad Cæsarẽ peruenit, ac menstrui stipendij pecunia cohortes placauit. Non multo pòst Italicæ cohortes sunt subsecutę: tanta alacritate in cisalpina & togata Gallia, Piceno, Vmbria, totáq; passim Hetruria milites bello asueti nomina dederunt, vt duplicatum signorum numerũ quisquis præfectus adduceret. Inter hos erant Martius Columna, Petrus Maria Rubensis, Philippus Torniellus, Ioannes Baptista Castalius, & Fabritius Maraldus veteres prefecti, vnà cum quatuordecim millibus delectorũ peditũ, præter voluntarios, qui vndiq; Viennam confluxerunt. Has legiones Ferdinandus Gonzaga cum duobus millib. galeatorum equitũ secutus est, in quib. fuit ala ab Alfonso Atestino missa, & trecenti veteres Hispani equites, & turmæ aliquot Græcorũ. Hæc multitudo ad Halam nauigijs imposita secundo amne Oeno ad Passauiã Danubium intrauit. Sub id quoq; tempus Cæsar inspectis Sequanorum & Belgarum copijs, tormentisq; maioribus (quæ Norinbergæ comparauerat) ratibus impositis, à Ratisbona Lintzium deuehitur. Aderant & Rhodiorum aliquot equites, ex Germaniæ prouincijs. Nunquam tot nauium totq; militum à Romanis vsq; temporibus, Danubius tulerat.

Guintiũ oppidum à Turcis obsessum

Interea Solymannus qui sextis & quinquagesimis castris Belgradũ peruenerat Sauo amne multis simul pontib. cõstrato innumerabilem equitum multitudinem in Pañoniam effudit, relicto in dextra Danubio paulatim ad læuam deflectens, vt intactæ superiore bello regionis copijs vteretur, & rectà in Styriam prouinciã contenderet. In eo itinere Guintium occurrit, quod Nicoliza Iuriski vir fortis domesti co præsidio tuebatur. Oppidum id non longè à Sabaria in plano est positum, quadrato nec magno ambitu, & modicis mœnib. cinctũ. Igitur Nicoliza refectis propugnaculis & militibus confirmatis, vires hostis contemnere secq; ad extremũ rerũ exitũ tueri constituit. Habraymus ergo Bassarum princeps (cui Solymannus supremi imperij potestatem primus cõmunicarat) ad Guintium profectus Nicolizæ fidem promissis & minis pertentat. Sed quum Nicoliza nihil pacatũ respõderet, copiæ innumerabiles in coronam mœnibus adhibentur, aguntur tribus locis cuniculi, vt subditis ignibus mœnia ab imo disrupta frangerentur. Cæterum quum proruente muro Guintiani præsentibus animis introrsus munitiones extruerent, & cuniculis diligenter vel à fœminis obuiam iretur, ac instatione audacter persisterent, & multi vtrinq; tormentarijs glandibus peterẽtur, Habraymus agmina Asaporũ atq; Ianizaros prætorianos ad eam muri partem conuertit, quæ meridiem spectat: à se-

1532 ptentrione verò vbi multi passim colles exurgunt currulia tormenta perducit, vt terga propugnãtium hostium verberaret. Ea res non statim animaduersa magnum Guintianis detrimentum attulit, quum eodem tempore aduersi sclopetariorum & sagittariorum multitudinem vix ferre possent, auersi vero plumbeis pilis sterneren tur. At Nicoliza, quanquam suorum clade perculsus sese non deserit, sublata ex ædificijs magna tabulatorũ atq; asserum multitudine, perpetuam munitionẽ introrsus à muro pedes duodecim erigit, qua milites occultati commeando & propugnã do consistere possent: eo subitario opere perfecto, Turcæ incertis demũ ictib. tabu lata petebant, ita vt pauci & casu quidam interirent: sed quotidie aliquot puerorũ, fœminarum, & senum vulnerabantur, quod in ligneas domos frequentes pilæ, terebratis repente tabulatis, in nihil tale expectantes inciderent.

Turcarum strages.

Interim ducenti equites Turcæ è castris prædabundi vltra Neostadium excursio nem fecerunt: qui cum diu vagati ad Leopoldum vicum peruenissent, inciderunt in insidias, sic vt inter amniculum, qui illac præseptis ripis perlabitur, & mediam vi ci regionẽ intercluſi, ferè oẽs ab Hungaris equitib. cęderentur aut caperentur. Leo poldenses enim ingenti stipite prælongæ arboris ita clauserant viam, vt cum is sti pes in lignea tricubitali columna ad libramentum suspensus esset, & in axe vertere tur, facile cum vellent in directum extenso stipite à læua dextrãq; aditum aperirẽt, vel eo contraria ratione reducto per obliquũ leui momento pręcluderent. Ea enim erat agrestis machinæ forma, quod esset vndiq; armata pręacutis ramorum truncis latè prominentibus, vt Turcę equites tanquam indagine clausi caperentur. Præfectus alæ Pauli Bachitij detruncata humeris hostium capita Viennam detulit, & ad omen victoriæ spectaculúmq; coeuntium vndiq; militum in mœnib. præfixit. Tũ verò ex captiuis certius est cognitum duplo ampliores copias, quàm quisquã rex Ottomãnus ad bellum eduxerit, & ob id ferè innumerabiles esse in castris, ipsúmq; Solymannum sine muralibus tormentis aduẽtare, vt quam primum collatis signis cum Cæsare confligat, aut si hostis armatus non occurrat, ferro & incendijs cuncta obuia deuastet. Eadẽ quoque legati Ferdinandi retulerunt, quos serica talari veste & singulis argẽteis pateris donatos à Guintio dimiserat, vt literas ad Ferdinãdũ Cę saremqúe deferrent, in oblongo & perangusto dentatæ chartæ volumine, aureis atq; ceruleis literis Arabicè scriptas, obsignatásq; aureo sigillo, & saculo purpureo inclusas. Summa hæc erat: Se vindicandis iniurijs, quas Ioãni regi beneficiario atq; amico suo intulissent, domo profectum in Pannoniam venisse, processurúmq; infe sto exercitu in ipsorum prouincias, ac si quis cõtra resisteret, prælio certaturum se cundissimis auspicijs Dei optimi maximi & Machometis, qui pro iustissima causa stare consueuissent. Proinde si regij nominis memores esse vellẽt & armati progrederentur, vno prælio finiri posse controuersiam, atque ipsos totius orbis imperium in præmium victoriæ aut daturos protinus aut accepturos.

Turcica castra descripta.

Cęterum legati & captiui virorum quingenta millia in castris Turcicis esse refe rebant, & tormenta ænea currulia circiter trecenta, è quibus maxima vix oui anserini magnitudine pilam emitterent, castra plena esse omnis opulentię, securitatis silentij, & disciplinæ: Solymannum ipsum (si superstitionem demeret) ab equitate, continentia, liberalitate, magnitudinéq; animi tanta fortuna dignum videri: statura esse supra mediocrem, habitu graciliore, ceruice oblonga, ore candido & exangui, ac osseo propemodum naso, eoq; plurimum adunco: raros patere ad prætorij aditus, sed eum cuncta benignitatis officia per Habraymum humaniter implere lautitiam sibi castrẽsi more largè præbitam fuisse, nihilq; sibi extra vini desiderium defuisse vnquam: vniuersum exercitum egregiè ali veruecinis carnibus atque oriza: nullum panis esse vsum, nisi subcineritij & tumultuarij: equos in vniuersum campestri pabulo contentos esse cuius magnam copiam eæ regiones ferant. nam prata nequaquam detonsa falcibus, quod sponte tulerint prælte adultum & plane siccatum præbẽt. Vnũ esse in castris Habraymum ad quem, veluti exæquata cum Solymanno militaris imperij potestate, rerũ omniũ summa respiciat, eum esse ingenio

ingenio excelso, graui, & expedito, ac ad virtutem exornandam maximè procliui & liberali, penes hũc maximarum & secretissimarum rerum arcana recondi, adeò vt Solymannus in eius viri consilio, fide, & vigilantia securè conquiescat. ab eo ꝓximam dignitatem tenere Aiacem & Cassinium magistros equitum, quos Bellerbecos vocant, huic Asiaticorum, illi Europeorũ Sanzachos parere: secundum hos Michalogli Mustaphæ nomen celebrari, qui voluntarijs equitibus præsit. 1532

Quum interim Habraymus plures dies irrito conatu in oppugnatione Guintij contriuisset, duo inusitatæ magnitudinis propugnacula ante fossam erexit, hęc nõ murũ modo, verum & turrim altitudine superabant, ea continenti totius exercitus labore quatuor dieb. fuerunt constituta, vt hinc etiã Turcarũ multitudinẽ ęstimare liceat. postea in muro complurib. occisis aut vulneratis Turcæ, qua murus cuniculis disruptus erat, in vrbem impetum fecerunt, quibus irrumpentib. Nicoliza quãtas habebat copias (vti in extremo conatu necesse erat) haud cunctanter opposuit. Sed cum iã propè intra murum prætoriani peruaderent, tantus sublatus est clamor cũ eiulatu ab imbelli puerorũ & fœminarũ multitudine, vt stupefacti potius quàm territi impetum represserint. Ea cunctatio sicuti subeuntes tardauit ita animos propugnantium in immensum auxit Cum eo modo præfecti cohortium Turcas castigando atq; verberando nihil profecissent, pugnæ finis est impositus. Porro Habraymus pudore & ira cõturbatus, dũ vi Nicolizę animũ peruincere nequit, honestis oblatis conditionib. expugnat. data. n. fide publica euocatũ ad se in castra eius virtutẽ commendauit, rogauitq; vt fortunæ periculũ facere desineret, oppidũ in eius potestate se relicturũ, si in verba Solymanni iuraret, & in speciẽ præsidij aliquot Turcas veluti tradito oppido recipiret. Nicoliza q ex octingentis strenuis defensorib. vix tertiam partẽ, eámq; vigilijs & vulnerib. debilitatã, sibi superesse meminerat, omnino transigendũ existimauit. Ad extremũ Habraymus virtute & astu Nicolizæ superatus, id tãtum impetrauit, vt Ianizerorũ decuriã intra portæ limẽ admitteret, quibus introductis, & Illyrica lingua ad potandum vinum comiter inuitatis, & sibi & Habraymo satisfecit. Nec multo pòst Habraymus & ipse (qui non lõgè subsederat) Solymannus à Guintio discedunt, & in Carinthiæ fines ad Muram amnem feruntur, in lęuam longè à Danubio vertentes agmina, & penitus à nostris discedentes, qui iam magna ex parte trinis circa Viennam positis castris conuenerant, ac hostium aduentum alacriter expectabant. *Guintium à Nicoliza defensum.*

Sub id ferme tẽpus quo Nicoliza Guintij laborabat, Vienę seditio militaris exarsit, nõ modo ꝓpinquitate hostiũ periculosa sed dissiũctione animorũ & disciplinę cõturbatione grauissima, nisi Deus celerẽ ac inexpectatã opẽ rebus ꝓpè perditis attulisset. Rogẽdolphus eñ regię familiæ Magister, quũ in aduentũ Cæsaris tótq; regulorũ & legatorũ hospitia præpararet, Hispanos q in Pãnonia militarãt vrbe excedere, & in proximis cãpis extra tẽdere iusserat. id illi se facturos pnegabant, nisi merita stipẽdia præberent, quòd Vienensiũ hospitijs asueti castrẽsi supellectile penuriáq; carerẽt. in hos Rogẽdolphus cõtumacius hęrẽtes impetũ fecit, excitísque more militię ad arma Germanis & Viennensib. tormẽta currulia ꝓduxit: nec se deferunt Hispani, quanquã numero inferiores, & in oblongã regionẽ conglobati sensim pedes referunt portãqúe occupant quæ in castra deferebat, admissuri in auxilium Hispanos, qui ab Italia venissent, atq; itẽ Italos, qui vt in aliena terra virib. essent firmiores antea cum Hispanis, cohortante Vastio, fœdus inierant. Res eò perducta est vt quum Rogendolphus vir iracundus & ferox armatus in equo vehementius vrgeret, & tormenta producerent, contráq; Hispani obuersa sclopetariorũ cohorte cõsisterẽt, penè crudeli prælio decertaret, adeo vt Vastius, & Antonius Lęua, Hyppolitus legatus (q eò ad visendũ belli apparatũ à Ratisbona decurrerat) quũ deprecãdo orãdóq; nihil valerẽt sese intra proximùm domũ recludere cogerẽtur. Dũ arma quatiunt atq; ignes tormentis imminent, haud dubiè cœleste numẽ rebus Christianis affulsit. Sponte enim veluti exæquato vtrinque periculo milites arma depressere humi, Rogandolpho ira deferbuit, accurrere duces, dictæ sunt *Hispanorum seditio Viennæ.*

1532 conditiones atq; æquis auribus acceptæ, promissa item stipendia in pacandis vtriq; animis. Paulo antè quoq; ad Crementiam oppidum intra Lintzium & Viennam Hispani, authore Hieronymo Læua, seditionem mouerant, propterea quòd Cæsar iusserat vt milites nominatim per manipulos atq; Centurias, inspectore Petro Consaluo Mendocio recenserentur. Verùm Vastij prudentia authores sceleris statim cõprehensi, atq; Hieronymus in tabernaculo iugulatus fuit. Sicq; tumultus sedatus est.

Turcarumin Austriã excursiones.

Dum hæc fiunt, Michaloglus iubente Solymanno ex voluntarijs prædatoriam manum emisit, duce Casono, qui superiore bello vastabundus Lintium vsq; peruerat: huic præcipit vt iter non intromittat, lõgè lateq; totam eam regionem peruagetur, quæ est inter Danubium & alpes, vt de Cæsare hostiumq; copijs certius cognoscat, ac demum id præstet, vt maximè funestam & luctuosam Germanis aduentus sui memoriam relinquat. Erat per se Casonus vir impiger & prædæ auidus, sed eo etiam promptiorem operam pollicebatur, quod superiore incursione se maximè illustrem atq; opulentum euasisse meminerat. Igitur in tres alas ad quindecim millia equitum, modicis tamen interuallis, diuiduntur in agris latè, pagisq; præsertim, & in fuga plena timoris atq; tumultus magnam mortalium omnis sexus & ætatis multitudinem improuisi repentinisq; opprimũt, senes inualidi fœminęq; cathenis & laqueis tracti, equorum cursum adæquare coguntur, ædificia item (in his infantes pueros) Barbara feritate succendunt, adeò vt per centum ferè miliaria rectis & transuersis itineribus cuncta ex continenti fumo, flammis atq; ignibus colucerent. Casonus ad Lintium vsq; prouectus, quum ad Anasum tertio ab vrbe lapide peruenisset, tantum terrorem intulit Lintianis, vt rex Ferdinandus, quòd ibi nullum esset militum præsidium, ab Hypolito legato cohortem Italicam poscceret, cuius præsidio Anasipontem tueretur. Itaq; eo confestim mittuntur Sfortia Baleonus atq; Otto Montacutus, cum valida sclopetariorum manu. Hi contractis aliquot ligneis doljs ad caput pontis subitariam munitionem erigũt, continuóq; reuocant Hispanicam equitum alam, quæ in prima trepidatione Danubium transierat. Sed Casonus eo animaduerso ad læuam deflexit. Ferdinandus etiam ea nocte Strabingam ad Cæsarem contendit, vt copias pararet. At Casonus coacta ingenti præda euastatáq; vniuersa regione, eodem ferè itinere regreditur, Solymannum ratus se aut Guintij, aut in proximis suprà Neostadium campis esse reperturum. Sed is iam promotis castris ad vrbem Gratiam Styriæ Metropolim iter intenderat: id bi ex frequentibus incendijs cognitum est Turcas ad Lintium vsq; regiones latissimè depopulari, ex omnib. castris copię sese effuderunt, vt transeuntib. occurrerẽt.

Christiani Turcis procedunt obuiam.

Germani enim ad recuperandam prædam vindicandásq; iniurias vehementer excitabantur, & quisq; dux priuatum sibi consilium sumebat, quum in vniuersum consultandi tempus exiguum, & hostium inaudita celeritas omnem facultatem eriperent, non enim prædatorias tantum alas euagari, sed adesse robora equitatus atq; ipsum Solymannum aduentare crediderant. Itaq; vastius à Crementio Danubium trajicit & per nemora versus D. Hypoliti oppidum ad hostes fertur. Fridericus Palatinus omnium auxiliorum, quæ Germania contulerat, Imperator, ad Viennam superato Danubio castra mouet. Austriani duces Sigismundus Prandeser & Ricianus à Neostadio copias educunt. Ludouicus Lodronius alio opportuno loco castra constituit, idem Bohemi Morauíq; eqtes, & ipsi ante alios Hungari impigrè faciunt, mox etiã loca ad tendendas insidias quęritant, p quę hostes trãsituros arbitrantur. Vastius tamen frustra syluas & nemora triduo peruagatus copias Viennam reduxit. Secant mediam Austriam Norici perpetui montes, qui ab alpibus Rheticis oriuntur, sesęq; mollioribus semper iugis ad Danubium vsq; demittunt, adeò vt in ripa fluminis perangustum iter equis, nonnunquam & curribus relinquant. In hac regione multę ac latæ sunt conualles, quæ ad exitus fauces habẽt pertinentes ad eam planiciem, quæ Noricum à Pannonia citeriore disterminat, & ad Saba-

Sabariam Vespriniumqúe perducit. Ad hos conuallium exitus nostri duces distinctis locis copias admouerunt, intentè exspectantes vnde nam hostes essent erupturi, quum in quadam conualle circa frumentarias molas ad amniculũ Casonus, aquationis commoditate inductus consedisset. 1532

Neostadienses de aduentu hostium certiores facti primi omnium cum quinque millib. peditum ad occupandas fauces aduolarunt. Erat despectus in vallem ab edito collium iugo, ita vt nostri conspectis hostium castris, eo decliui descensu continueri nequiuerint quin continuo decurrerẽt, erant eæ cohortes quatuor expeditæ Hispanorũ & Italorũ sub Ludouico Coueio impigro sed ea die nimis præcipiti duce. Nã qui silenti agmine descendere debuerant effuso cursu & clamore ædito precipites iuerunt, adeò vt fatigati cursu, excitatis iã ad arma Turcis, numero & uirib. impares essent: ita occisis paucis frondatorib. qui obuiã primo venerant, accurrentiũ mox equitum vim ferre non poterãt. Ceciderunt in prima fronte ingentib. gladijs obtruncati Ferdinãdus Cabreria præfecti Sardiniæ filius & Franciscus Rocha centurio, Villazanésq; signifer, & Martinus Gorea nobilis Tarraconensis, milites magna ex parte sunt cæsi, nõnulli in paludẽ profugientes vmbilico tenus totã nocte latuerunt, cæteri agiliores cõscensis montib. euaserunt. Ipse Ludouicus vallum rusticanę areæ concitato equo saltu superauit, & ad Germanos redijt. At Casonus ne sibi in valle & palustri loco vbi diluceseceret cum pedestribus hostiũ copijs esset dimicãdum, captiuos quatuor millium numero, ne oneri essent, Barbara feritate ad vnum oẽs interficit, & intempesta nocte duob. factis agminib. castra mouit, alterum Ferisio duce ad meridiẽ perrexit, succiso nemore & patefacto exitu (quod mirabile fuit) equitum securib. nullo ferè accepto incõmodo, ad Solymannum peruenit: alterum ipso Casono duce p Storãbergi oppidi vallẽ erumpẽs in Palatinum incidit. Is ad Leopoldum vicum cum duodecim millib. peditum, & duob. equitum grauis armaturæ, tormentisq; viginti currulib. in acie cõstiterat. fortè tum orta erat ex proxima palude nebula, quæ mutuũ vtrisq; aspectũ sustulerat, qua demũ dilabente Palatinus in aduersos tormẽta explodit. His vehemẽter Turcæ deterrentur, & cũ deflectere paululùm volunt, vt pilas deuitent, in paludem proximam equos imprudenter adigunt, ibi multi tenaci in voragine impliciti perierunt: nonnulli equis longo cursu debilitatis cùm extricare se nequirent, pedites euaserunt, multò maxima tamen eorum pars ad nostrorum acies sese conuertit, solis peltis protecti & districtos gladios in humero deferentes, adeò intrepidè vt ante densissimam hastatorum phalangem decurrerent, spectantibus & ordinem conseruantibus non modò peditibus, sed & equitum alis, nihil se in prætereuntes euadentesque incitantibus.

Casonus cũ suis trucidatus.

Tum Palatinus conuersus ad suos spectatores: Ergo, inquit, non bellatores cri- mus commilitones? si vt se vltro nostris cuspidibus hostes induãt expectamus, incitate acriter equos, atq; hastas intendite, vt prætereũtium agmina perrumpamus: nec mora signo tuba dato, armati equites in latera densatis cuneis incurrũt, magna equorũ atq; hominũ strages editur, postremùm Turcarũ agmen intercluſum à primis vndiq; vrgentib. cataphractis cęditur & profligatur, pauci euadunt, sternitur eorũ vexillũ, & ad Palatinum defertur. Cecidit & ibi Casonus supremo virtutis opere edito, vti ducẽ decuit. nam à nouissimo agmine, vt suis spaciũ ad euadendũ præberet, diu ferrea ingenti claua dimicans restiterat. erat is inter omnes insigni crista conspicuus, fuit ea ab aurea vagina in fronte exurgens ala vulturis quæ vt ab omnibus nosceretur appensi atque ideò volitantis plumei veli mapullam trahebat. ea demum Cæsari dono data, occisi eo prælio Casoni fidem fecit. Cæterum Turcæ amisso duce vexilloqúe, & tertia parte suorum desiderata, quum in patentes campos euasissent, vix emensi iter septem millium passuum, in Lodronianas copias inciderunt. Is enim vbi tormentorum boatum audiuit, ratus quod erat, Palatinum cum Turcis congressum esse, eò signa conuerterat, vnde cauæ per anfractus valles, iterato repercussu, acceptum armorum strepitum reddebant. Nec

Fridericus Palatinus Germanos incitat.

mora

1532 mora Turcæ conſpiciunt, & ante alios ferè trecenti, qui amiſſis equis in noſtros pedibus tanta vi impetum fecerunt, vt ſeſe lanceis induere & offerre tormentis minimè dubitarent, modo noſtros vel ſemiuiui vulnerarent, tantus inerat deſperatis mortis contemptus. His celeriter interfectis affuêre equitum agmina, modo confertis, modò diſſipatis ordinibus, in hæc Lodronius tormenta emitti vetuit, ne noſtri, qui terga fugientium cædendo è Palatini caſtris ſubſecuti fuerant, vti erant hoſtibus permixti, temerè ſternerentur. Ita Lodronius magnum ſpacium directa peditum acie complexus, atque item pari conſilio Ioachimus Brandenburgicus cum duobus millibus equitum, lunata acie venientes exceperunt. Ibi vecordia & temeritas hoſtium debitas pœnas inuenit. nam ſicuti intermittere fugam atq; etiam feruida ora conuertere cœperant, vt dextras conſererent & ſe minimè animis fractis oſtenderent, ita vi & impreſſione noſtrorum perturbati pecorum more cędebant.



Turcarum miſerabilis ſtrages.

Eo modo profligatos latiſſima planicies excepit, quæ vtrinq; parua habet nemora, ſolo herbido & raritate arborum adeo peramœna, vt equeſtribus prælijs tota Europa nulla cõmodior videat. Ibi dum Turcæ ad amnem, veluti ſuperatis omnib. diei difficultatibus, conquieſcere parant, & equi viriq; ſumma laſſitudine defeſſi è profluente bibunt, & tenuis alimenti ex ſalita carne atq; ea ſicata in puluerem redacta liquias expediunt, nouorũ hoſtiũ ſuperuentu perturbantur. Catiauer enim ipſe & Turrianus equitũ Magiſter cum tribus millibus equitum, diu quæritando hoſtes circumuagati, accepta demum ex tormentorum bombis ſignificatione, eò decurrerant: itaq; tumultuariũ prælium exoritur, multiq; Turcę, vti in gramine deprehenſi, dum equos frenant latè cęduntur, mox ita æquatur pugna, vt cùm fortiſſimi quique in tergo dimicarent, reliqui capto moræ ſpacio antecederent, & ſæpe conuerſi certamen redintegrarent, noſtri tamen ita perturbatis feſſis & vulneratis inſtabant, vt paſſim per amplum eorum numerum ſternerent: reliqui tamen magna ex parte euaſuri videbantur, niſi nequaquam antea Hungari expectati ſuperueniſſent. Valentinus enim & Paulus, itemq́ue Balthaſar & Claudius è mon-

ê montibus decurrentes, cum singulis alis in transuersos impetum fecerunt, atque eos adæquato equorum cursu per sexaginta amplius stadia terga cædentes sunt persequuti, sicque eodem die tribus in locis prosperè cum Turcis fuit dimicatum. Quum Hungari insequendi finem feciſſent, Turcę solitudines syluarum petere cœperunt, sed ij demum pars ad Ferreo castrum pars ad Vesprinium & Balatonem lacum in manus effusorum ad prædam populorum deuenerunt, adeò vt ex octo millibus vix pauci ad Belgradum, nulli verò ad Solymannũ in castra peruenerint. 1532

Christianorum ad Viennã copiæ.

Porro Carolus Imperator vbi didicit Solymannũ Gratiam contendisse, Lintiana in arce duces ad consilium vocat, & sententias exquirit, an breui & recto itinere ad hostem sit properandum, vt Styriæ maturam opem ferat: Gratia, Lintium, & Vienna vrbes ita inter se sitæ sunt, vt æqualium ferè laterum trianguli figuram efficiant, sed à Lintio Gratiam iter est expedito equiti trium dierum, maximè asperum & conuehendis currulibus tormentis impeditum. Tum ex omnium sententia pronuntiatum est vt Vienna peteretur. Itaque Carolus Viennam classe deuectus, Hispanos & Italos decurrentes more militiæ & pugnæ simulachrum edentes summa voluptate inspexit. Sequenti die Germanos inuisit ferina pelle contectius, vt quale esset erga eos studium vsurpato gentis habitu testaretur. Tum Fridericus Palatinus virtute animi atque oris habitu antiquis Germanorum ducibus persimilis, iuxta peditum phalanges disploſis miro ordine tormentis, quadrata equitum agmina traduxit. Ibi videre erat prægrandes equos ferreis bardis protectos, ingentia virorum corpora longè pulcherrimis armis munita, omnibus intortæ & rutilantes barbæ, atque ora bellicum vigorem spirantia, neque enim tot principes, liberæque ciuitates gregarios equites, sed maximè generosos aut fortibus factis illustres ad id bellum miserant. Nam quicquid in Germanico nomine aut exquisiti roboris aut delecti floris fuit, à Vistula amne ad Rhenum tam latè quàm littora lambit Oceanus, & Rheticis Iulijsque alpibus ac Hercinia sylua concluditur, id totum iussu principum nomina dederat, aut sponte conscriptis adhæserat, quando nihil tale vnquam à maiorum suorum recordatione contigisset, vt consensu vno omnis Germania pro publica salute & dignitate arma capere cogeretur, præsertim contra eas gentes, quæ ab vltimis Asiæ, Syriæque, & Aegypti finibus venissent, vt Germanos Romanorum armis indomitos, & vetere militiæ gloria & præsenti libertate spoliarent, quibus maximè rebus supra cæteras gentes omnibus seculis floruissent. Nec Bohemorum castra longè aberant, Slesitarum & Morauorum copijs adaucta, quibus Sedislaus Lippa, Hardechius, & Bernesteni vs strenui duces præerant. Neque defuerunt aliquot Polonorum turmæ, priuato consilio bellum secutæ, conniuente ad ea Sigismundo rege, qui cum Solymanno inducias habebat.

Christianorum acies cõtra Turcam.

Quum tantarum copiarum numerus iniretur, repertum fuit non deductis militum præsidijs, in castris ad Viennam supra ducenta sexaginta millia hominum fuisse, in quibus centum millia peditum & quadraginta millia equitum erant, qui paulò antè centuriones, signiferi, turmarum præfecti, aut militaribus donis & officijs exornati fuerant. Tormentorum etiam currulium tantus erat apparatus apud Imperatorem, vt perpetua eorum corona instructæ acies præcingi, & latè muniri ad non dubiam victoriam facile posse viderentur. Omnium autem ducum id fuerat decretum, nihil à flumine & Vienna vrbe recedendum, ne hostium equitatus sua multitudine à latere insinuatus, ab vrbe demum Danubioque intercluſis nostris omnem supportandi facultatem commeatus eriperet. Nam Ernestus Patauiensis præsul Vvilhelmi ducis Bauariæ frater, certa pactiõe receperat, sese in tres menses omnib. copijs commeatũ transmissurũ. Itaq; exercitus noster expectare hostẽ paratus non procul à mœnib. amplissimo in loco hoc ordine statuebatur: tres peditũ hastatorũ quadratæ phalanges latis inter se distinctæ spacijs, pari & æquata fronte contra hostes sic locabantur, vt ipsis medijs interuallis equitatus omnis bipartitus reciperetur, neque enim putabant aperto in loco extra pedites eundem trecen-

1532 trecentis millibus Turcarum equitum esse obijciendum. Dextrum cornu equitum Imperator, læuum Ferdinandus Cæsar eo modo desumpserant, vt leuis armatura sclopetariorum, quę viginti milium numerum efficiebat vndiq; hastrata agmina, relicto triginta passuum spacio, circumdaret. Horum acies longior & rarior erat, & quiuis tantùm militum ordinibus in latitudine constabat, vt expediti & nihil inculcati habili manu dum primi sclopetos emittunt, & secundi implent, alternantibus eo modo ordinibus perpetuam glandium procellam effunderent: neque enim multum referebat si tenuior esset, quoniam sclopetarijs omnibus si vrgerentur paratus erat ad proximos hastatos receptus. Circundabant ergo & frontem & latera atque etiam terga continuata serie, quæ duobus tantùm in locis erat interrupta, vt egressus liber atq; expeditus, quum oporteret, equitibus densatis absq; vlla peditum perturbatione præberetur. Antè verò leuem armaturam constituta erant tormenta, ea ratione vt postquam diu emissa feruefactaque vsui esse desinerent, in valli morem firmissimo quodam munimento irrupturis hostibus opponerentur. Soli Hungari extra munimenta sepugnaturos professi, à Valentino Paulóq; ducibus in ingentes alas extendebantur.

Solymannus sibi timens retrocedit.

Cæterùm Solymannus, qui è sua vetere disciplina campos quærebat, in quibus nostros expansos & circundato equitatu, nonnunquam comminus oblata pugna fatigaret, vbi de apparatu consilijsque Cæsaris Caroli certius cognouit, vltra Muram est profectus. Is amins antiquis Sauaria fuit, effunditur in Drauum paulo infra Petouiam vrbem, Romanorum castris claram: eo superato Turcæ ad Marpurgum oppidum delati, tumultuarijs pontibus effectis Drauum transierunt, atq; ita Solymannus Styria excessit, & inter Drauum & Sauum directo itinere ad Belgradum est reuersus, passim seuitiæ suæ vestigia relinquens. Ferunt eum suprà triginta millia Christianorum capitum in seruitutem abduxisse, & aliquot millia diuersis in locis per Michalogli præsertim equites trucidasse: nam dispersę agrestium armatorum manus, dum coire in vnum conarentur, à repentinis astutisque equitibus passim ex insidijs circumuenti, facile opprimebantur. Cognito Solymanni discessu Imperator omnium opinione celerius in Italiam redire constituit, deprecante fratre Ferdinando, vt postquam innumerabiles copiæ tanto sumptu, tantóq; labore coiuissent, ea occasione atq; eo apparatu vterentur aduersus Ioannem, quem plane destitutum & in magno regionis spacio seiunctum à Solymanno, & Buda vrbe & tota demum Vngaria facile essent expulsuri. Sed Carolus quod hyems suberat, & commodissimis itineribus sibi alpes omnino transeũdas iudicabat, in proposito discedendi perstitit, præsertim cum pestis in castris iam exorta esset. Id verò Imperator communi causæ, & fratris precibus dedit, vt Italicas cohortes omnes relinqueret, quæ adiunctis Austrianis copijs in Pannonia cùm Iohanne bellum gererent, ipse autem cum Hispanis & Germanorum legionibus in Italiam proficisceretur. Verum Itali seditionem Viennæ excitantes, paulo post quoque Austriam reliquerunt, & in patriam suam inuitis suis ducibus reuersi sunt.

Eodem



Eodem tempore Andreas Auria cum triginta quinq; onerarijs & quadraginta octo roſtratis nauibus Meſſanam venit. ibi cum inſtrumenta bellica & nauticos commeatus nequaquam ingenti cura à præfecto Siciliæ (quẽ tum morbus inuaſe rat) parata reperiſſet, aliquanto ſerius, cum Rhodiorum claſſe in Græciam traiecit. Audierat enim Huneralem Ottomannicæ claſſis præfectum in Ambracio ſinu ali quandiu ſubſediſſe, cum ſeptuaginta triremibus nequaquam militariter inſtructis, ſic vt eum nullo propè negotio ſi maturaſſet oppreſſurus fuiſſe crederetur. Erat tũ ad Zacynthum Veneta claſſis ſexaginta triremium Vincentio Capellio prẹfecto, qui inſulas & vrbes Venetorũ tuebatur, vtriq; iure fœderis amictus & hoſpes. ſed ex profeſſo illorũ futurus inimicus, qui ſubiectis Veneto nomini populis vim intu liſſent. Itaq; Auria à Lacinio promontorio (quod hodie Columneum vocant) di miſſis in altum onerariis nauibus, vt rectà ad Peloponneſi inſulas curſum dirige rent, Iapygium Salentinorum legendo magnæ Græciæ oram tenuit. Indéq; Corcy ram & Cephaleniam prẹteruectus, Zazinthum venit. Venit tum ad Auriam Cana les Ionij maris cuſtodiæ præpoſitus. per eum Capellius portus ſtationes, & cõme atus amicè obtulit, excuſauitq; ſe, quòd integra ſenatus fide conſociare vires & pu blicos hoſtes perſequi non liceret. At Auria Cæſaris nomine gratias egit, quòd ſe natus eo animo eſſet, vt maiorem æquitatis atq; iuſtitiæ quàm vllam benè gerendę

Andreas Auria & Rhodij in Græciam claſſe tendunt.

1533 rei occasionem respicere cogeretur, sperare se tamen Cæsaris auspicijs talem adingentem victoriam Venetis viam aperturam, vt eæ fœderum compedes ab ipsis vltrò pietatis causa frangerentur. Certè quum hæc animo reputamus, eorum temporum conditionem deflere, Christianorúmq; principũ vesaniã detestari lubet, q dũ inter se bello aut odio dissidẽt ita Turcis parcunt, vt q toties supari delericq; potuissent, nõ immeritò adaucta in immensum potẽtia ad totius orbis imperiũ adspirent. Humerale enim tum in fugã acto, atq; eo si psecuti forent facilè deleto, quæ reliqua classis Solymãno superfuisset; quũ in Pãnonia procul ageret, & Græci ex ipsa veteris libertatis & imperij sui memoria, vt rebellare ex tuto possent, nõ quidẽ accessũ Christianę classis, sed vix ipsã tãtum aduẽtus famã erectis animis expectarẽt.

Methone vrbs à Rodijs occupata.

Vbi Auria didicit Humeralem superato Galli promontorio ad Maleam contendere, Antoniũ Auriã cũ delectis septẽ triremib. qui persequeretur misit. sed ille ad Cytheream insulã vsq; frustra persecutus, quòd hostes Argolicũ sinũ prætergressos Chalcidẽ petere audiebat, ad classem est reuersus. Ea tũ ad Sphragiæ insulæ portũ supra Methonem ad explicanda consilia se contulerat. iam enim onerariæ ab alto remissioribus vsæ ventis in conspectum se dederant. Fuere qui dicerent Methonẽ oppugnandam esse, & ante alios Saluiatus impiger iuuenis Rhodiarũ triremium præfectus, profitebatur enim se eam turrim quæ subiectum mare despiceret, & cæteris munitior esse videretur, effracturum maioribus tormẽtis & protinus occupaturũ, vtpote qui situm vrbis interiorésq; munitiones apprimè nosset. superiore siquidem anno in eum ipsum Sphragię portum cum aliquot triremibus è Melita insula noctu illatus, præmisso ignobili nauigio per simulationem exponendi mercimonij, in cuius carina armati conditi erant, fœlici dolo vrbem occuparat, Iano Mario viro Græco summæ virtutis id facinus ingenti animo patrante. Sed occisis custodibus occupatáq; porta & iam capta vrbe, cum nostri milites ad diripiendas domos solutis ordinibus discurrerent, facilè à Turcis qui animos receperant turpiter cæsi, expulsiq́ue, nobilis victoriæ initium fœdo exitu corruperunt. ob id Auria ex priore periculo intentiorem custodiam adaucto Turcarum numero futuram ratus Coronem oppugnare constituit. distat ea vrbs à Methone terrestri itinere duodecim millibus passuum, sed maritimo paulò minus viginti. Nam Acritæ promontorium medio ferè interuallo in mare procurrit, & in læuo promontorij latere sensim littora curuantur, in quo sinu sita est Corone, adeò porrecta in pelagus vt magna ex parte maris fluctibus alluatur. altera pars cuneata in latam cuspidem transuerso muro proximam littori (quam insulam vocant) excluditur, & ita à mari recedẽs sensim attollitur, vt perpetuo saxo mœnia imposita ad trianguli formam oppidum efficiant. in oppido Turcæ, in insula Græci habitant.

Corone vrbs oppugnata.

Auria terra mariq́ue explorato situ vrbis, cohortantib. maximè Græcis, aggressurus vrbem omnia in hunc modũ distribuit. Circumductæ primo sunt in amplissimam coronam naues onerariæ, & ante eas triremes, vt totam eã conuexi muri partẽ, quæ insulam à mari præcingit, contractiore ambitu complecterentur, proiectis in litus sub muro ancoris, vt inde per ductarios funes ergatarũ beneficio attracta nauigia, quantum maris vadum pateretur, ad mœnia promouerent. scaphis autem magnarum nauium pluteis asseribúsq; protectis, anchoras prouehi & in litus ad scopulos, inter tela Turcarum ab alto incidentia, collocari iubebat. ex nauium prorís pontes, paribus extantibus antennis, impositi tabulisq́ue constrati à fronte prominebant, ita vt summitati mœnium æquarentur, atque inde clypeatæ armatæq́ue cohortes procursuræ & irrupturæ in oppidum viderentur. In duarum verò longè maximarũ nauiũ Grimaldiæ scilicet & Rhodiæ summis carchesiis, ab excelsissima mali summitate, sacri falconésq; bini cõstituti erãt, vt inde nõ modo pugnatores, q in muro cõsisterent, sed interiora insulæ certis ictib. peterentur. Terrestres verò copias ita diuisit, vt Hieronymus Sarnensis comes duceret Italicas cohortes, & à læua parte supra molẽ latum propugnaculum septem tormentis quaret. Hieronymus verò Mendocius cum Hispanis à dextra, paulo à mari longius, nõ insulæ tantùm sed & oppidi murum totidem tormentis & scalis aggrederetur.

Ipse

Ipse Andreas locum sibi delegerat apud molem Sarnẽsi maximè propinquum, põ- 1533
tificiæ autem triremes contraria in parte dextrum cornu tenuerunt. Saluiatus vero
in medio instructissimas Rhodiorum triremes admouit. Nunquam ab vlla memo
ria tantum tormentorum ad vnam oppugnationem collatum fuit. nam à terra qua
tuordecim, à mari verò centum & quinquaginta muralibus tormentis vno eodẽq;
tempore murus est vehementissime verberatus. minorum verò tãta vis fuit, vt ne-
que prospici quicquam, neq; exaudiri facile posset, fumo scilicet in crassissimæ ne-
bulæ morem latè diffuso, & crepitu reboatúq; tormentorum cuncta quatiente.

Apud Sarnẽsem Itali magno animo (sed irrito incœpto) ad proruptum murum *Prælium acerrimum ad vrbem.*
scalas apponere & scandere conantes, ter à Turcis acerrimè propugnantibus sunt
repulsi. Neq; enim tantum muri dirutum fuerat vt attingere scalę possent, & vndi-
que ab latere minoribus tormentis sternebantur, nec Turcæ è muro saxa, ignes, fer
uentem arenam, calcemq;, & picem liquefactum prouoluere, & infundere subeun
tibus cessabant. Sarnensis in his periculis fortiter æquè ac feliciter versabatur, nec
reuocandi milites locus erat. nam implicati inter se hastis & in casarum angustias
quæ muro suberant metu retrusi, quanto magis à muro recedebant, tanto apertius
& certius vulnerabantur. Perierunt in eo conatu Theodorus Boschites Græcus, q
in Italia alæ equitum cum laude præfuerat, atq; Franciscus Carnaus è Neapoli, &
Iacobus à Capuo strenui centuriones, & cum his trecenti milites, ac supra mille vul
nerati & debilitati, in quibus fuit Alfonsus Capanius signifer. Ex altera parte Men
docius nequicquam quassato muro, quum omnia ardua ad ascensum forent, cauto
consilio pręlij fortunam non subijt. At nauales socij fælicius in insulam peruaserũt,
cedentibus muro Turcis metu pontium, quos superstantibus armatis appropin-
quantes continuò apprehensuros murum omnino crediderant. Primus ex naue
Grimaldia imberbis Ligur vexillum in hostili muro defixit. proximi ei successerũt
Hidrontinus à Galeone miles, atq; Rhodij aliquot strenui equites, ac demum Lã-
ba Genuensis. atq; ita multis interfectis insula capta direptáq; est, refugentib. Tur-
cis per ferratam portam intra oppidum, qui ex turrito muro nostros præda occupa
tos & vagantes, sclopetis & sagittis vulnerabant. At primis tenebris Sarnensis
suos, qui sub muro conditi protectíq; multis horis constiterant, incolumes ad se re-
cepit, & tota nocte laboratum est in erigendis munitionibus, quibus in oppugnã-
do oppido ipsi milites tormentáq; ab hostium ictibus tegerentur.

Sequenti die plures Turcarum equitum manus, vt Coroneis opem ferrent, in cõ *Corone vrbs dedita.*
spectum se dederunt. namq; singulos ferè proximorum oppidorum præfectos &
fama Aurianæ classis & auditus tota Peloponneso tantus tormentorum strepitus
exciuerant. Aderat à Lacedemone (quam Misitram vocant) Zadares Tridigito. Is
à Londario Charitena expeditos equites septingentos adducens secundum littus
iter facere cœperat, vt à dextro latere in vrbẽ irrumperet. Erat inter suburbana te-
cta ad portam in statione collocatus cum cohorte Theodorus Spinula, iussúq; Sar-
nensis milites intra sagittæ iactum, intercisa militari via transuersam fossam oppor
tunè duxerant. Itaq; Zadares quum ab Erasmo Auria, qui in id littus triremem ob-
uerterat, tormentis peteretur, à littore discedens, trium amplius millium capto cir-
cuitu ad læuam peruenit, sinuosóq; itinere intra suburbana tecta se intulit, magno
impetu ad portam prouectus, adeò vt Theodorus irruentium vim vix sustineret,
eratq; res adducta in maximum discrimẽ, nisi Sarnensis Theodoro cum paucis re-
pugnanti peropportunè opem tulisset, submisso Petro Tolsio cum trecentis sclo-
petarijs. Illi postremam partem Turcarũ agminis retro auertere, ingressíque sub-
urbana ita reliquos in fugam desperato ingressu vrbis compulêre, vt quum Turcæ
concitatis equis effugere conarentur, in fossam inciderent. Ibi Zadares labente e-
quo præceps datus interficitur, nec vlli ex Turcis omnino parcitur. Eo modo mul-
tis occisis capita ad munitiones deferuntur, quibus conspectis Turcæ qui oppido
arcíque præerant, metu & inopia commeatus adducti, ea conditione vrbem atque
arcem dediderunt, vt cum rebus suis armisque in pacatum discedere liceret.

1533 Corone capta atque ibi præsidio Hispanorum constituto & receptis in fidem Græcis, disputatur in consilio an in longo portu, qui parum à Corone distat, vt certus tutúsq; in ea ora Christianis classibus sit receptus, castellum ædificare expediat, aut luncum subiecto portu insigne (ignauia custodis Veneti Baiazethi in Methonensi victoria traditum) oppugnare conueniat? Cæterùm Auria multis de causis ad oppugnandas Patras cum classe descendit. Deseruerant adapertam vrbem incolæ & Turcæ, ac in retractiorem locum sub arce præalta fossa muróq; munitũ, milites cum magna puerorum & fœminarum multitudine se receperant. Expositis copijs subuectisque tormentis octo muralibus, Sarnensis ad mille scloperarios secernit qui defensoribus murum nudent, cæteros virgultorum singulos fasces adferre iubet, vt adæquata fossa ad murum scalæ adferantur. Non diu tormentis restitit murus, Coroneo vetustate debilior. Primus omnium Iohannes Traiani Cabaniliæ filius castrorum præfectus in fossam desilijt, subsequente ipso Sarnensi cùm tribus signiferis, & integris demum cohortibus, scandíque murus certatim est cęptus. sed defensores impetum nostrorum, fuga in arcem facta, diutius non tulerunt. Ita vrbe paruo labore, & penè sine militum nostrorum vulnere celeriter capta direptáque ad arcem in ædito sitam tormenta subuexere. Erat oppugnatio futura difficilis, si eam militari more Turcæ defendendam suscepissent: sed exemplo Coronensium, atque eius imbellis turbæ misericordia adducti, ea conditione deditionem fecerunt, vt recepti in fidem inuiolatique, saluo inprimis fœminarum pudore, cum singulis vestimentis in Aetoliam transiiciant. Id egregiè nostri præstiterunt, adeò vt inter alas militum vtrinque extensas, exeunte trium ferè millium capitum multitudine, cum nonnulli petulantius fœminas attrectare, atque his ornamenta detrahere inciperent, corripi, extemploque suspendi aut iugulari iusserint. Horum supplicio cæteris ab omni licentia deterritis, eo ordine Turcæ ad naues sunt deducti, vt Sarnensis & Saluiatus Rhodiarum triremium præfectus antecederent, Andreas verò Auria postremum agmen cogeret vultu seuero, & ad sumenda supplicia si qui iussa contemnerent maximè parato. Quærebant enim duces iustitiæ & præclaræ fidei famam apud Turcas, vt facto periculo inspicerent, in Christianis ad militare decus nec fidem nec humanitatem deesse, qui adeò moderatè parta victoria vterentur.

Patras vrbs à nostris occupata.

Seditio militum ad Peloponnesum.

Exercitu ad Patras relicto & terrestri itinere subsequi iusso, Aurias ad Naupactæi sinus angustias triremibus est deuectus. ibi fauces adeò coarctant eum influentis Ionij maris sinum, vt vno minus stadio à Peloponneso Aetolia distet, qua ad Hellespontum interfluo mari Europa atque Asia dirimantur. His angustijs gemina antiqui operis castella imminent, quæ Dardanellos appellant. In his tormenta maxima multiplici feneſtrarum ordine ad libellam aquæ ita collibrata erant, vt vel exiguis nauigijs ingressus & exitus præcluderetur. Auria citerioris castelli prę- fecto per Græcos homines extrema supplicia comminatus, si expectandum tormentorum vim putaret, facilè pepigit vt Turcæ incolumes castello excederent. Hisce eductis quicquid vel annonæ vel bellici apparatus in castello erat diripiendum militi concessit. Reperti sunt thoraces, balistæque veteres itemque loricæ & peltæ more gentis, cum modica militari supellectile. Ea spolia cum milites Auriani efferrent, cæterisque aduentantibus ostentarent, adeò cohortium animos exagitarunt, vt quum opimiorem prædam fuisse crederent, continuo seditionem misscerent, ipsi Auriæ vehementer irati, quod magis ciuili pactione quàm armis res cum Turcis conficeret. Mox etiam Neapolitanus signifer vexillum sustulit, & alta voce commilitones inuitauit, vt se ad opulentos vicos euntem sequerentur, ibi nõ visuros crudelem ducem, sed ingentem prædam virtute quæsituros. Nec mora illum quinque aliæ cohortes Italorum sunt secutæ, hisque vexillum Hispanorum accessit. Illi in propinquos pagos Græcorum iratis animis irruerunt, & omnia diripuerunt. Iam Sarnensis cum valida manu traiecerat in aduersum Aetoliæ continentẽ, vt exploraret castelli situm, & ponendis castris munitionem faceret. Ibi etiam sui

cum

eum erumpentibus Turcis prælio decertarunt,& in fugam compulerunt: vbi ve- 1534
rò Sarnensis de militum seditione & secessu certior factus est, intermisso castrorũ opere ad Peloponnesi litus confestim redijt,& desertores milites secutus comiter reprehendit,ac summa prudentia ad officium reduxit, atq; omnes cum Auria reconciliauit.

Nec mora ad delendam secessionis infamiam in Aetoliam sunt traducti,simúlq; exposita in litus tormenta,duobus millibus passuum suprà castellum. Ea attracta *Arx munita à Christianis expugnata.* funibus & impulsa militum humeris in castra conuexerũt, quę Cabanilia cum trecentis sclopetarijs antecedens,explorato prius loco,constituerat. Interea Turcæ magnas peditum & equitum copias Naupacto educunt,& in nostros pleno passu deferuntur. Nec Sarnensis ea multitudine territus sibi deest,sed ad quatuor millia peditum in vnum agmen cogit, & quadrata acie contra hostes contendit.extra ordines vero delectam sclopetariorum manum rem gerere iubet. Cum autem ad occasum solis tantũ velitationes haberentur,Sarnensis se recipere & in castra cõferre cœpit: Turcę quoq; nulla re memorabili gesta Naupactũ sunt reuersi. Tota ea nocte quæ secuta est milites ad fossas perducendas in opere fuerunt, constitutáq; suis locis tormenta muralia,quæ exterioribus ædificijs protegebantur.Oriente autem sole turres quæ prominebant magna vi quassari cæptę. nec Turcæ constantissime pugnando vlla in parte timoris signum dabant.erant enim in his plerique veteres lanizari in custodia oppidorum & arcium constituti.Ad extremum is exitus oppugnationis fuit,vt perfracto muro,multisq; intro uarijs casibus interfectis nostri in castellum irrumperent.Ibi trecenti Turcæ nemine capto trucidati:nonnulli insigni animorum contumacia media inclusi turri,seipsos & turrim totúmq; penè castellũ non sine nostrorum clade,succenso tormentario puluere concremarunt, tanto ruentium murorum crepitu,vt litora veluti terræmotu pertremerent,& triremes quę suberant ad sagittæ iactum lapidum fragmentis penè obruerentur.Accidit hęc munitæ arcis expugnatio anno salutis humanæ supra 1532. Andreas exercitus dux è prora prætoriæ triremis prælium spectauit,atq; Rhodiorum militum virtutem admiratus fuit.itaq; Sarnensem & Saluiatum singulis ingentibus tormentis donauit. tanta enim vis æneorum tormentorum in castello reperta est,vt septuaginta milliũ aureorum precium excedere diceretur.Ea demum tormenta stupendæ magnitudinis,Arabicis inscripta literis,ad victoriæ monumentum Genuam delata,in portus mole constituit.His rebus confectis,positóq; ad Coronem Hispanorum præsidio atq; vrbe tormentis & multorum mensium commeatu diligenter permunita, Mendocium ita animo confirmauit,vt fidem daret & prolixè polliceretur se, vel priuato sumptu(si Imperator id facere differret)in eius auxilium classem esse transmissurum.Interim Saluiatus cum Melitensibus triremibus in intimum sinum prouectus ad Lecheum vsq; portum(hodie diui Demetrij vocatum)sub ipsa Corintho pauorem circumtulit,& veteris Sycionis, quàm hodie Basilicam appellant, & quæ in aduersa parte est Creusæ litora , succensis hortorum ædificijs,latè vastauit, atq; suorum virtute Barbaris magnum vndiq; terrorem incussit.Nec multo pòst Andreas appetente hyeme,& acceptis à Carolo literis,quibus discessum à Pannonia Solomanni,& suum in Italiam aduentum significabat,fęlici vsus nauigatione,in Italiam redijt.Mox etiam Saluiatus Melitenses triremes multis spolijs hostium refertas magnóq; triumpho,ex Græcia Melitam domum reduxit.

Interea cum Carolus Imperator pacem cum Clemente pontifice firmasset,& Christianorum victoria contra Turcas lætus in Hispaniam reuersus esset, ineunte *Noua Melitensium in Græciã expeditio.* æstate anni 1533.crebris nuntijs allatum est,Turcarum classem Gallipoli eductam in Peloponnesum cursum tenere.Nec multo pòst Mendocius,qui Coronę in præsidio erat,Petro Toletano proregi Neopoli literis significauit,se terra marique vehementer obsideri,sed egregiè defensurum vrbem,dum alimenta suppeterent.Proinde Cæsarem etiam atq; etiam admonebat,vt Grecorum studio deesse nollet,si Coronem defendi vellet,& ad id maiores copias suppeditaret. facile sperari vt Turcæ

1534 rebellantibus Græcis tota Peloponneſo pellerentur. Sed in primis ab Auria maturam opem implorabat, & monebat, vt datę ſibi fidei memor eſſet. His reb. cognitis, Carolus Auriæ præcipit, vt claſſem inſtruat, & duodecim triremes in Hiſpania ædificatas ſe continuo tranſmiſſurũ pollicet̃. Hortatur etiã Melitenſes eqtes vt claſſem ſuã contra Barbaros armẽt. Idcirco Auria coactis circiter triginta onerarijs nauib. & totidẽ triremib. Neapolim peruenit. Ibi veterani Hiſpani, q̃ ab authoritate proregis diſceſſerãt & Auerſam vrbẽ occuparãt, p̃ſoluto ſtipẽdio nauib. ſunt impoſiti, Roderico Maciaco duce: cõtẽdit etiã in triremes cũ manu nobiliũ Fridericus Toletanus ꝓregis filius. Aderãt & Ioannitæ eqtes inſtructis triremib. paratiſſimi. Dũ hęc parant̃ Andreas Chriſtophorũ Pallauicinũ cũ velociſſima trireme Coronẽ præmiſit, ne deſpatis auxilijs durius ſibi cõſulerẽt. Is interdiu p̃ mediã Turcarũ claſſem directa prora in portũ inuectus, obſeſſos ingẽti alacritate impleuit. nec multò pòſt reb. exploratis, vt hoſtiũ conſilia ad Auriã deferret, meridiano tẽpore improuiſus erupit inter medias Turcarũ ſtationes, adeo vt eius factũ inſtar miraculi eſſet. At Auria è Neapoli Meſſanam profectus vbi de hoſtium maritimis & terreſtribus copijs didicit, oẽm ſpẽ & rationẽ inferẽdi præſidij in celeritate poſitã ratus, nequaquã Hiſpanis expectatis in Græciã curſum intendit. Audiebat enim prædonũ acceſſu quotidie adaugeri hoſtiũ claſſem, Morúmq̃ præſertim archipiratam Alexandrinũ expectari, cuius cõſilio Turcę in omni eius belli adminiſtratiõe vterentur.

Turcarum ad Coronem claſſis.

Quũ Zazinthũ veniſſet, docentibus Venetis, aliquanto ampliorẽ claſſem hoſtiũ ad Coronẽ ſtare cõperit, quàm putarat. Nã Luphtibeiũ Gallipolis Sanzachũ & Solymannũ Acarnanẽ, Morũq̃ ipſum circiter octoginta triremes coegiſſe, magnũq̃ numerũ propugnatorũ ex Ianizerorũ ordine in triremes diſtributũ eſſe referebãt, adeo vt noſtros, niſi pleniore vento vterent̃, Ottomannieę claſſi impares futuros eſſe iudicarẽt. Itaq̃ Andreas vt de claſſe hoſtiũ certius exploraret Chriſtophorũ Auriã cum ſua trireme ſpeculatũ præmiſit. Is quũ Acritẽ promõtoriũ ſuperaſſet, in proximo ſinu vniuerſam claſſem iuxta litus cõſpexit, aduerſis ad terrã puppibus longo ordine collocatam. confeſtim ergo inde perſequentibus Turcis ad Auriam reuerſus, retulit, duplo ampliore triremium numero (quã ante vidiſſet) hoſtes adauctas, eóq̃ conſilio ſub Acrite in ſtatione conſiſtere vt confligerent, quũ noſtri ſuperato promõtorio ad Coronẽ proueherentur. At Auria nihil cunctari & inſtituti itineris curſum tenere conſtituit. Itaq̃ ſub orientib. Eteſijs ventis noſtri inſtructa acie Acritẽ ſuperant, & recto curſu Coronẽ deferuntur. Antecedebant duo maximi Galeones quorũ alterũ Aurias magno ſumptu ædificauerat, alterũ adduxerat Belhomius Siculus. his erat iniunctum vt in lęuam vela conuerterent, & quũ hoſtium claſſis à litore proueheretur, deiectis anchoris medio inter vtranq̃ claſſem loco cõſiſterent, vt quum opus foret tormenta, quæ erant eximiæ magnitudinis, in aduerſam diſploderent. Hos onerariæ naues plenis velis ſequebantur. in tergo fuere triremes omnes latiſſima fronte onerariarum agmen cogentes. dextrum cornu põtificiæ Rhodięqúe triremes, quib. Saluiatus præerat, læuum Antonianæ hoſti proximum obtinebant. mediam verò aciem ipſe Auria gubernabat.

Naualis pugna.

Turcæ ad primum conſpectũ à littore non diſcedentes, ꝓcul tormenta emittere & demũ prouehi cœpunt, vt ex propinquo rẽ gererẽt, cohortãte ante alios Moro qui audentius in noſtrorũ latera & deniq̃ in terga vertebat̃. Nam noſtri quũ propoſitũ ſuum tenerent, & nihil in læuã ſed conuerſis proris rectà ad Coronẽ contenderẽt, fugæ ſpeciẽ præbebãt, eò p̃ſertim, quòd triremes à dextro cornu metu tormẽtorũ adductę in altũ magno circuitu ferebant̃, & pleręq̃ alię ex media Antonianáq̃ acie onerarias cõſecutę, cõfuſius quàm deceret inter eas ſeſe inſinuabãt: quãquam nullũ ꝓpè detrimentũ ab hoſtiũ tormẽtis acciperent, nec Galeones curſum intermiſerant, quũ conſiſtere debuiſſent. In ea perturbatione noſtræ claſſis Morus Luſitibeiũ eſt cohortatus, vt pulcherrimę occaſioni nõ deeſſet. ſed illo cũctãtius & cõſideratius ſeſe proueheṅte, Auria triremes ab onerarijs explicauit, & ad Coronẽ ſecũdo vẽto eſt deuectus: duę onerarię implicatis inter ſe antẽnis in tergo hæſerunt.

ad has

ad has opprimendas extemplo vniuersa hostium classis aduolauit. Tum verò Hi- 1534
spani nequaquam pro sua virtute, vti deserti, & negocij naualis rudes, insano pauore conterriti in scaphas desilire cœperunt, ut nostros consequerentur: nonnulli, mirum dictu, quanquã natare nescirent, quòd eos scaphæ non caperent, in mare præcipites se dabant, ut ad nostros enatando perfugerẽt. At Auria perturbato sed ingenti animo ignominiæ loco ducens si in oculis nostrorum naues circumuentæ atque expugnatæ caperentur, cohortatus trierarchas vt proras cõuerterent & remis contenderent, ad opem ferendam in hostes cursum intendit.

Id conspicati Turcæ, quod iam pleniore Fauonio ad Coronẽ sensim detruderentur, et ab ingenti colubrina, q̃ in turri erat constituta, emissæ pilę ad ipsorũ triremes perueniebãt, magno tumultu explicare remes & desertis nauib. se recipere cœperunt: In eos Auria ad sexaginta pilas ferreas contorsit, & in multo spacio diuerberatis eorum puppibus est persecutus, iam Antonio Auria ad oppugnãdas onerarias conuerso. Ibi Hispani qui egerrimè pugnam sustinebant, quũ Turcis cõmutata fortuna animus concidisset, in medio nauis põte repugnare audacius cœperãt, & Antoniani mirabili celeritate vndiq; scandentes in summa castella euaserunt. in ea cõtentione trecenti Ianizeri, qui naues occuparant à suisq; deserti fuerant, interfecti aut capti sunt. In his fuit Iusuphius senex mille Ianizaris prepositus quem Auria sericeis vestibus ac aurea torque donatum ad Methonem sine precio dimisit. Turcarum præfecti tum Lusitubeium increparunt, quod oblata occasione dimicare noluisset, sed ille secretiora mandata Solymanni adferebat, qui iniunxisset vt classem seruaret, & omnem pugnæ aleam deuitaret. Interea Mendocius in deserta hostium castra eruperat, in quibus magna copia commeatus & castrẽsis supellectilis est reperta. Postea Andreas frumentum, vinum, & reliqui commeatus magnam copiam tormentarijq; puluerís cados plures exponit, ac Macicao cohortibusq; eius vrbẽ custodiendam tradidit. Græcos etiã hortat, vt ea obsidionis & belli incõmoda patienter ferãt: Cæsarem enim ineunte vere terra mariq; in Peloponneso cum Turcis bellum gesturum, & Christianos dura seruitute tandem liberaturos. Deinde Auria vetere exercitu in naues impositò à Corone discedens, suprà Acritem constitit, ratus Methonensi portu egressuros hostes, vt prælio contenderent. Sed quum millis artibus elici possent Corcyram venit, atq; inde ipse Messanam, Rhodij verò equites fœlici reditu Melitam peruenerunt.

Corone obsidione liberata.

Hyeme postea præterita Hispani & Græci ad Coronã multarũ rerũ inopia labore cœperũt. Nullos enim egressus tutos Turcarum stationes incursionésq; relinquebãt. Itaq; milites nostri brumalibus ferè diebus cum tædio tam lentæ & diutur næ obsidionis, tũ multarum rerũ inopia adducti, à Maciaco duce petierũt, vt cõtra hostes ad insigne aliq̃d facinus edendũ educerent, præsertim cũ nulla spes esset expectandæ classis ante calẽdas apriles. At Maciacus cõpescere has voces, & docere quãtũ flagitij cõmitteret, si presidio temere excederẽt, parsimonia & tollerãtia eas difficultates supari posse, pinde sibi in animo esse vrbẽ tueri, & Cęsari seruare. Verũ Touarres & Hermosilla cẽturiones, re p triduũ in vtrãq; partẽ deliberata, tãdẽ Maciacũ precib. vincũt vt eũdũ decreuerit: testabat tamẽ se inuitũ trahi, & nimia eorũ cupiditate totius belli summã in discrimẽ adduci, in quo nulla ppe spes secũdi euẽtus. Verũ ad id fortiter audendũ magnopere cogebat à Græcis, de sua salute & libertate solicitis, inter quos rei bellicæ peritia & Turcarũ stipendijs clari eminebãt Lazarus Macedo, Buseus eques auratus, & Barbatius Greçorũ fortissimus. is Turcicę linguę ꝑitus singularẽ totius regionis & itinerũ notitiã tenebat, hortabatúrq; vt se duce & antesignano ad eam expeditionẽ vterent, se enim daturũ operã vt occulto itinere ad hostes consopitos, aut nihil tale uerentes, opportunè peruenirent. Macicaus ergo Liscanio & Mẽdesio vrbẽ cõmẽdauit, ac secũda noctis vigilia educto agmine ad Andrussã clã cõtendit inusitatis itinerib. vt culta loca & Turcarũ custodias deuitaret: ea nocte dimidia ferè itineris parte cõfecta. exorto sole in nemorosa valle copias cõdidit, atq; vespi curatis corporib. ad Andrussã prexit, vt paulò

Hispanorũ temeritas punita.

1534 ante auroram hostib. appropinquaret. Erat ibi Caranus cum tribus milibus Ianizaris in oppido, extra vero Achomates in suburbanis cum mille delectis equitib. sententia nostrorum erat nullo cum strepitu equitum stabula ptransire & oppidum ex tẽplo adoriri. Ita Maciacus ad oppidum ꝓgredit̃, & Hermosilla contra hostiũ equites ꝙtus cõsistit: sed tanto silentio negotium patrari non potuit, quin nõnulli Turcæ stabularij casu excitati nostros sentirent, & sclopetorũ collucentes funiculos ꝑspicerẽt. Hi primi omniũ vigiles, et demũ eqtes sopitos somno clamorib. excitarũt.

Andrussa frustra oppugnata.

Itaq; Hermosilla experrectos & adhuc imparatos, priusquã coeant & equos ascẽdant: magno impetu inuadit. Turcæ eo casu perturbati ædificiorum ianuis se defendunt, nostri stabula perrumpunt, multos trucidant, ignémq; stramentis injiciunt, vt equi, viri, arma & ædificia eodẽ igne cõcremarent̃. Tum verò cuncta tumultu clamoreq; misceri, ꝑsertim vero equi discurrentes hinnitu suo inusitati tumultus strepitum reddebant. Eo modo excitatis in oppido Turcis nostrorum spẽ fregit ac animos imminuit. nã Carano spacium datum ad arma capienda, & Turcæ ad murum portásq; accurrerant, ac paucitate nostrorum animaduersa, intrepidè densatis ordinib. ꝓliabantur. Hermosilla delendis equitib. intento & serius auxilium adferẽte, Macicaus dum portulę valuas refellit sclopeti glande ꝑ frontẽ traiectus cadit: mox & Didacus Touarres & milites muro ꝓximi interficiunt̃, atq; Turcæ luce iam existente erumpunt. Nostri ab accliui accessu in æquum locum retrogressi, secundum agmen receperunt, & in hostes fortiter perrexerunt. Tum Hermosilla insequentes per sclopetarios submouebat atq; expeditos ad latera disponebat, vt vndiq; proruentes Turcæ certis prope ictib. sternerent̃. Iam etiam equites, qui ab incendijs euaserant, cum Achomate cristis cõspicuo frequentes adcurrebãt. At nostri ea animorum constantia gradum referebãt, vt Turcarum impetum egregiè propellerẽt. Sed Acomates ducentos sclopetarios à Carano acceptos ab totidẽ equitib. in clunes equorum recipi iussit, & nostros persequitur. alios quoq; equites sagitarios & hastatos aduocauit, sed dum audacius in nostros equum adigit, sclopeti glande ꝑ lunatã peltam trajicitur. Eo modo duce amisso Turcæ persequendi finem fecerunt, indéq; nostri quietiore agmine Coronem sunt reuersi: nec diu Turcæ ad Andrussam morã traxerunt, sed ad Londarium (ꝙ Megalopolis olim fuit) reliquũ hyemis egerunt.

Corone à nostris relicta.

Turcis à Corone discedentibus iterum Andrussa à nostris est repetita, vt tot fortium virorum cadauera feris & volucribus relicta humarentur, & in his sepeliẽdis vicini Græci singulare Christianæ pietatis officium præstiterunt, & à nostris Maicai caput, quod hostes in prẽlonga hasta præfixerant, Coronẽ est relatum. Nec multo post suborta peste multiplicatis funeribus. Coronem vastare cœpit. Quib. de causis Hispani nacti naujgia, quæ frumentum à Sicilia detulerant, susceptis Græcis cũ eorum supellectile, allatisq; tormẽtis, Cæsaris voluntate, oppidum vacuum reliq̃runt, nolebat enim Carolus ob vnius vrbis possessionem grauissimis sumptibus id bellum alere. Vnde etiam eandem prius Venetis, Pontifici, & Rhodijs militib. qui in Melita erant, possidendam & tuendam obtulerat. cum autem illi ad tantos sumptus pecuniam conferre grauarentur, milites suos cõseruare voluit. Cupiebat quidem Clemens pontifex prudenti consilio in multos annos Turcarum metu liberari, egerátq; Byzantij cum Ludouico Gritto, vt reddita Corone in decem annos inducię essent Solymanno cum omnibus Christianis, quod maxime vt fieret Habrayemus appetebat. nam excitato iam pene Persico bello in Orientem animi omnium & arma vertebantur. Sed dum Cæsar hinc dedecoris metu, & illinc præclara commoditate animi consilium tardius explicaret, transigendi negotium tempus effluxit. Paulo pòst etiam Clemens pontifex obijt, atque Alexander Farnesius in officio succesjit, qui se Paulum eius nominis tertium, secundo nonas Nouembris anni 1534, appellare fœlici auspicio iussit.

Tumultus in Transsyluania ortus.

Paulo antè venerat Aloysius Grittus Andreę Venetorum principis filius, à Solymanno cum amplissimis mandatis Byzantiæ missus ad Ioannẽ regem Vngariæ, vt Budæ consideret, ac consilijs omnib. pacis & belli interesset, dum ipse cõtra Persas profi-

proficiſcereť. ducebat ís aliquot Turcarum equitũ alas, atq; inſignem peditum ex 1534
Ianizaris manum præſidij cauſa ſecum, quorum numerus ad ſeptẽ milium ſummã explebat. Is in itinere cũ Petro Moldauię duce fœdus inijt, & elatior factus in Trãſyluaniã perrexit edicta paſſim ꝓponẽs, vt proceres & ciuitatum legati ad ſe tãquã Solymanni legatum cõuenirent. Erat tum Americus Cibachus Epiſcopus Varadinẽſis eius regionis præfectus, quẽ Vayuodã appellãt. Is ab Turcarũ amicitia plurimum abhorrebat, atq; ſtrenuè cauẽdum putabat, ne ꝓuincia viris, equis, auro rebúsq; omnib. abundãs paulatim in Mahometanorũ poteſtatẽ deueniret. Itaq; amicis paſſim cõfluentibus, adeo inſtructus ad Grittum acceſſit, vt is comitatus ꝓpe iuſti exercitus ſpeciẽ prẽberet. Ea res Gritto ingenium vehemẽter cõmouit, ita vt cõcepta ira fremeret, & his nõ obſcure minareť, qui impijs ſuis minime paruiſſent. Eã etiã iram Ianus Docia Vngarus Americo inimicus egregie augebat, inferens eam ꝓuinciã duos præfectos capere nõ poſſe. Itaq; Grittus Americũ cõprehendere & vinctum Bizantium ablegare ſtatuit. Ad eãrẽ Docia deſtinaťur, cui validiſſima Turcarum ala & Hũgarorum aliquot turmæ traditæ. Is noctu ab Braxouio, vbi tũ Grittus erat, clam diſcedit, & ad caſtra Americi repẽtinus aduolat. paulo antè enim per Vngaros ſpeculatores didicerat Americum, patentib. in cãpis vitandi æſtus gratia iuxta pagum tentoria collocaſſe, & ſine cuſtodia militari cum familiarib. in tabernaculo pernoctare. Ita prẽfectus cum hoſtes magis contemneret quã timeret, à Docia opprimitur. Iacenti & vix dum à cubicularijs experrecto, ipſe Docia caput detruncat, atq; cum ſuis caſtrorum ornamenta & equos diripiunt. Itaq; caſtra omnib. in locis trepidatione, luctu, & fuga cõplentur, & proximiores vndiq; excitantur. At Docia tanto patrato facinore Braxouiũ reuerſus Americi caput ab auricula manu ſuſpẽſũ Gritto ſpectãdũ detulit. Aderat tũ & Laſchus Polonus, cui crudele hoc factũ diſplicebat, licet aliquas ſimultates cũ Americo haberet. Nec mora plerique Turcæ et Hũgari diſcedũt ad occupãdos Americi theſauros, q; in remoto oppido ſeruabãť.

Alayſius Grittus Turcæ legatus occiſus.

Cæterum vbi de eius cæde fama percrebuit, propinqui & prouinciales ferè oẽs aduerſus Grittum coniurant, & vindicandam armis optimi antiſtitis mortẽ decernunt, paucis dieb. ſupra quadraginta milia peditum et equitũ coiuerunt, duce Stefano Mailato ipſius Americi intimo amico. Porro Grittus quum tantum iratæ multitudinis armorum apparatum cognouiſſet, ad oppidũ Meges expediis itineribus ſe recepit. Incolę Gritti copias in inferiorem partem receperunt, ipſi vero ſeſe réſq; ſuas in æditiorà ſubduxerunt. Ibi Grittus ſeſe tantiſper cõmunire ſtatuit donec auxilia conuenirent, quæ hoſtes propellerent, & ei aditum in Pannoniam aperirent. Mox etiam hoſtes ſuperueniunt, et munitiones horribili clamore adoriunťur, verum per Turcarum ſclopetarios & ſagittarios primo impetu reiecti fuerũt. Eo detrimẽto accepto Mailatus hoſtem obſidione cingere inſtituit, ſperãs breui ſine vllo ſuorum vulnere hoſtes fame cogente in poteſtatem venturos. Interim Grittum fruſtra auxilia expectãtem morbus inuaſit. Itaq; tandem dubia ſpe ad condictam horã ab ea porta quę ad Moldauos ducebat erupit, & dextra Solymanni diplomata oſtendit. Ibi vero in Franciſcum Scẽdenum Americi propinquum incidit, qui tegumen capitis precioſum è Sibillina pelle detraxit, & Grittum comprehenſum equitib. tradidit. Tum vero à Tranſyluanis eius copiæ cęduntur, & in fugam cõuertuntur. Conclamantib. poſtea cunctis vt ea hoſtia Americi manib. mactareť, Mailatus eum Franciſco ad ſupplicium tradidit, atq; ita caput eius ingenti machera detruncatum eſt. In eius cruore proceres penulas militares more gentis intinxerunt, vt diu ſecum exactæ vindictæ memoriã deferrent. Sed Ianus Docia maiore ira & grauiore ſupplicio affectus diſcerpťusq; eſt. Quum Gritti truncus à carnifice nudaretur, loculus in fœmorali cum gẽmis immenſi precij repertus eſt, adeò vt ea omnis pręda aureorum nummũm quadraginta myriadas ſuperaſſe dicaťur. Nec multo poſt & ipſe Laſchus à rege Budam euocatus non mediocre vitæ periculum adijt, quum in quæſtione ſub tormentis Gritti conſilia explicare cogeretur. Sed ís demum, deprecante pro eo Sigiſmundo Poloniæ rege, carcere eductus in Poloniã ſe recepit.

Soly-

1534 *Hariadeni Barbarussæ fortuna.*

Solymannus Turcarum imperator eadem æstate, effusis vltra Euphratem ingẽtibus copijs, aduersus Tamasum magni Hismaelis filium bellum suscepit, validaq; simul instructa classe Africam inuasit, occupandæ Melitæ, Siciliæ, & Italiæ maxime opportunam. Conceperat enim ingenti spiritu totius orbis imperium. In vadendæ verò Africæ author Hariadenus Mytheleneus extitit, vetere Horucij fratris cognomento Barbarussa à nostris appellatus. Is in Numidia proxima Mauritaniæ Algerij regnum à fratre antea partum, adeo frequentibus victorijs amplum clarumq; reddiderat, vt nostri æquè ac finitimi Pænorum reguli & vagi Numidæ eius opes & audaciam magnopere timerent, & Solymannus ad fortissimi viri famam frequẽter excitaretur. Erant hi fratres patre Græco, atque eo Mahometis sacra secuto, in insula Lesbo geniti: quum inopiam ferre non possent, arrepta bireme spes suas omnes mari commiserunt, sese Camali archipiratæ in disciplinam tradentes: sub hoc Herucius cum Hariadeno multis seruis & nauigijs adauctus prædabũdus in Mauritaniam peruenit. Eo tempore Algerij regulus cum fratre armis de imperio cõtendebat, hic quum Numidas equites (qui nunc Arabes dicuntur) precio sibi in auxilium asciuisset, alter opportune nouę gentis aduentu lętatus, pecunia cũ Horucio transegit, vt se defendendum susciperet, paucisq; diebus Horucius cum valida manu scleptariorum eo impetu confecit bellum, vt Turcarum nomen omnibus terribile esset. His rebus gestis, quum eo bello comperisset Mauros, per se inermes ignarósq; militiæ, facile per partes opprimi posse, Numidas vero vagos & inter se dissidentes, improuisò fidem abrupit & repente hostis factus, breui Algerio regno potitus est. Nec multo post finitimum regulum Circello imperantem vi & dolis expulit. Inde mare vndiq; infestum reddidit, & in mediterraneis quoq; locis cum expeditis cohortibus euagabatur, vt nihil terra maríq; pacatum relinqueret. Ab eo rerum successu Bugeam inuasit, Hispanis qui in præsidio erant ad summas rerum difficultates redactis. Mox etiam Hispanorum exercitum Didaco Vera duce fusum deleuit. Ad extremum quum Tremisenij regem Caroli Cæsaris amicũ regno expulisset, Punica simul & Christiana arma aduersus se concitauit. eo bello superatum & fuga in solitudinem euadentem Hispani consecuti cum paucis familiaribus interfecerunt. Horucij caput in Hispaniam transmissum, & in lancea circumlatum populis maritimis insignem attulit lætitiam.

Hariadenus Algieram occupat.

Postea Hariadenus frater acclamantibus militib. imperiũ suscepit. Is regni hęres factus ad imperiũ totius Africæ adspirare cœpit. Itaq; arma proferre, Mauris & Numidis terrori esse, modò cũ his pace ac inducijs vti, modò bellum gerere: porro aucta classe Hispaniæ, Sardiniæ, Siciliæ, Melitæ ac aliarum insularum ora prędari, & formidolosus finitimis esse cœpit. Hæc audentem & molientẽ fortuna nõ destitit. Nam Hametem Numidam sibi infestũ per insidias interfecerat, & Benchades multis prælijs superatus in solitudines abscesserat. Mari quoq; ita res gessit, vt Hugo Moncata supra Sardiniã nocturno prælio victus amissis aliquot triremib. vix effugerit, & Portundus Hispanicæ classis præfectus, amissa classe, cũ filio fuerit interfectus. Cùm etiã aliquot Siciliæ, Neapolitanæ, & Venetæ rostratæ varijs interceptis casib. accessissẽt, terribilis omnib. esse cœpit. Ipso quoq; Andrea Auria ad Circellũ repulso, famã eius auxit. Postremo arcẽ scopulo impositã Algerio vrbi imminentẽ defensamq; per aliquot annos ab Hispanis, summa vi adortus deleuit, ruinis profũdo mersis & iacta mole, vt regię vrbi percõmodus portus adderet. Quũ hac rerum gestarũ fama floreret, Solymãnus è Pannonia reuersus ad eũ legatos misit, q eũ euocarent, summósq; honores & maris prefecturã Byzantiũ veniẽti pollicerentẽ. Itaq; Sinas & Mangalis Rhodi præfectus ad eũ legati missi, q à Hariadeno summo cum honore susceptí fuere: audita legatione incredibili lætitia afficitur, haud inani spe cõcepta totius Africæ potiundę. Itaq; reb. Algerię cõstitutis, classe quadraginta triremium instructa discessit: circa maris Thyrreni oram aliquot Lygusticas naues adeptus cruento prælio expugnat, & incẽdit. Inde cõuersus ad Iluã insulã Rinũ oppidum nocturno prælio capit, incolis in seruitutẽ abductis. Cũ ingenti præda onustus

stus Bizantiũ veniſſet, ad Solymannũ ꝓducitur, & læto vultu ſuſcipit, vel ob id ꝙd 1534
dono dabat aliquot pueros decora facie, itẽq; lectiſſimas virgines, Eunuchos, leones, & pardos. Reliquis dieb. de gerẽdo bello & de tota ratione rerũ Punicarum & Chriſtianarũ diſſerunt. Cũ aũt ob familiaritatẽ cũ Solymanno ſibi apud Aulæ ꝓceres inuidiã cõflaſſet, facile intellexit quã importunè abeſſet Habraymus, cuius amicitiã annuis muneríb. colere erat ſolitus. Is eo tẽpore ad Perſicũ bellum profectus in Comagena ad Alepum hyemabat, Euphratem ad prima veris ſigna traiecturus.

Solymannus tandem per Aiacem & Caſſinum Baſſas reſpõdit, eius negotij ſum- *Hariadenus maris Imperium à Turcis nactus.*
mã ad Habraymi iudiciũ deferendum, q̃ eius præcipuè hortatu è Mauritania eſſet euocatus. Proinde ſi ꝙd impetratum vellet ad eum in Syriã ꝓficiſceretur. Eo modo in Syriã reiectus, quum repulſæ nomine exiſtimationis ſuæ iacturã facere videret, tñ diſſimulãter tulit, & terreſtri itinere eò peruolauit. Habraymus ipſum Alepi honorificè ſuſceptũ, & in colloquijs de ordine gerendi belli & Africa occupanda diſſerentẽ ita admiratus eſt, vt neminẽ eo ꝓtius mari geſturum bellũ arbitraretur, Solymannóq; reſcriberet, in Hariadeno ingeniũ vigere omni bellicę virtutis laude cumulatum, propterea eum rectè facturum ſi viro fidẽ adhibeat, inter Baſſas adnumeret, & vniuerſæ claſſis imperiũ tradat. Eo modo Hariadenus cõmendatus Habraymi voluntate Byzantium rediit & ꝓpenſiſſimis animis ſuſcipitur. Aduexerat autẽ ſecum Algerio Roſcetẽ Pæanum Muleaſſis regis Tunetani fratrem, aliquot antè annis domo pulſum, ſpe ꝓpoſita ut à Solymanno in paternum regnum reduceret. Hoc Roſcete in occaſionẽ Africani belli purpuratis oſtẽtato, ad Solymannũ introducitur, vbi multa de Africis, Hiſpanicis, ac Italicis reb. & belli gerendi ratione diſſeruit. At Solymannus collaudato Hariadeni ſtudio, tum conſiliũ dimiſit. Nec multo pòſt decretum factum, vt Hariadenus trib. Baſſis quartus adderet, eſſetq; ei ſummũ maris impium, ita vt inſulæ, portus, vrbes, populiq; maritimi ei parerent, ius ei faſq; eſſet vbi vellet remiges, nautas, milites conſcribere & in naues cõpellere. His promulgatis Solymannus poſtridie idus Maias ei vexillum, ſceptrum, gladiumq; de manu tradidit, atq; ad naualia deducere iuſſit, octiéſq; ei cẽtena millia aureorũ in bellicos ſumptus ex ærario depromũtur, atq; octingenti lanizari ex ordine Prętorianorum addũtur. Itaq; claſſe octoginta triremium armis, uiris & commeatu abunde inſtructis Helleſponto egreſſus, in Italiam curſum intendit.

Quum improuiſo aduentu Meſſanæ fretum tranſiret, Mamertini ad arma con- *Italiæ ora à Hariadeno uaſtata.*
clamantes, vrbi portuique magnopere timuerunt: ſed præteruectus Hipponiatem ſinũ, in Brutiorũ ora S. Lucidij oppidum inuaſit rupi impoſitũ, & muro parũ munitum. Sed is à terra Turcarum ſubeuntium impetus fuit, vt diu defendi nequiuerit. Inde ingenti rerũ & hominũ potitus præda ad Citrariũ cõtendit, vbi claſſem ædificari à captiuis audierat, id vti vacuum incolarũ fuga ſtatim eſt accenſum. Vbi vero à Capreis ſuprà Neapolim claſſis in cõſpectum eſt data, adeo eã oram conterruit, vt plericq; affirmarẽt ſi hoſtis expoſitis copijs ad mœnia repentè ſucceſſiſſet, Neapolitanos vix vrbem fuiſſe defenſuros. Eo curſu ad Prochytam prouectus vrbẽ cepit, & quum in Caiatę portum noctu inueheretur, ita ad Speluncam ſuperato ꝓmõtorio curſum deflexit, vt occupandę Caietæ occaſionẽ prętermiſiſſe crederet: Speluncani inexpectato appulſu tantæ claſſis territi, vix tẽtata defenſione animos deſponderũt, ingreſſúsq; hoſtis circiter mille ducẽtos homines cœpit. Eadẽ quoq; nocte ad duo millia Turcarũ è claſſe per aſperos colles ad vrbem Fundos peruenerunt. Ea vero aduolantium celeritas fuit, vt Iulia Gonzaga vix ſpaciũ ſit nacta quo ſeminuda iumento imponeretur, atq; inde ſe ad montes proriperet. Ferunt Barbaruſſam eam formæ & virtutis fama florentem capere cupiuiſſe, vt Solymanno dono daret. Cæterùm Fundani cæduntur & capiuntur. Alia quoq; triremium manus Tarracinam diuertit, ibi populo ad montes fuga elapſo in templa ſæuitum, inualidiq; ſenes & ægri aliquot in lectulis trucidati.

Is terror à Priuernatibus propere Romam delatus, ita omnium animos conſter- *Hariadenus in Africam deflectit.*
nauit, vt ſi hoſtis eo impetu ad Hoſtium eſſet deuectus, tota ciuitas ſeſe in Sabinũ

He-

1534 Hetruſcumqûe agrum effuſura crederetur. Coiuere tamen in eo periculo Cardinales, & effractis ęrarij repagulis Hyppolito Medici cardinali pecuniam deprompſerunt, vt oram maritimam tueretur. Is alacriter cohortes conſcripſit ex incondito hominum genere, qui per ſummam iniuriam Priuernatibus ex itinere direptis, in hoſtilem rabiem animos vertiſſe videbantur. Porro Barbaruſſa vetere ſuo conſilio innixus, quum Melitenſes ſua claſſe appropinquare audiret ſumma celeritate vſus in Africam traiecit. Voluit autem ea diuerſa nauigatione Muleaſſem fallere, vt imparatum opprimeret: vnde ſimulanter famam ediderat Melitæ, Sicilię, & Italię deuaſtandæ. Veneti quoque Muleaſſi & Pœnis timorem minuebant, quum validam claſſem inſtruxiſſent quinis decumis ex ſacris redditibus ſacerdotũ ordini (vel inuito pontifici) impoſitis, vt remigibus ſtipendia præberentur. Ad hæc quoque Muleaſſes per ſpeculatores didicerat Roſcetem fratrem, quem maximè metuebat, Byzantij in libera cuſtodia relictum, veluti aliena tum ab Africæ rebus expeditione ſuſcepta. Ea vero tempeſtate in Africa Tunetani & Feſſani reges opibus & authoritate cæteris præſtabant: ſed à Tunetanis ab longa imperij poteſtate ſacra & omnia iura petebantur. Imperium Tunetanum octingentis milibus paſſuum in ora ab occaſu in orientem extendebatur. nam Bugea & Tripolis emporio & gymnaſio claræ vrbes, quas Hiſpani prius in diuerſis regni finibus bello ceperant Tunetanæ ditionis erant, quum & ea introrſus, ad Aethiopum harenas vſque pertineant. Tum etiam Tripolis Melitenſium forti præſidio tutebatur.

Muleaſſes Tunetarum rex.

Lentigeſia Muleaſſis mater, Doracis reguli ſoror, virilis animi mulier effecit, vt Muleaſſes regnum arripuerit. Nam Mahometes, qui triginta duobus annis regnarat, quum ſibi vitæ finem adeſſe cerneret, Maimonem inter duos & viginti filios natu maximum, iure regni hæredem ſcripturus eſſe videbatur, niſi Lentigeſia, corruptis precio regijs ſatellitibus, maritum in ſupremis vitæ anguſtijs precibus fatigatum præuertiſſet, vt in filium regnum transferretur. Itaque Maimo patre expirante interficitur. Roſcetes ſecundo natus, qui extra arcem cum vxoribus habitabat, comprehendi non potuit. Cæteri fratres partim iugulantur, partim candenti ferro oculis admoto Barbarico ritu lumine priuantur. Eo modo Muleaſſes paterno regno potitus deſęuijt in paternos amicos, nouercas, & concubinas nefaria crudelitate, quum ipſe in mares procliuior patrem effeminatum diceret, qui exhaufto ærario ducentas ſimul fœminas ad libidinem in regijs hortis aluiſſet, è quibus tot ſuſcepiſſet liberos qui in imperio æmuli forent, ob idque ſibi in his occidendis plenum inuidiæ negotium reliquiſſet. Nec multo póſt Dorax aduerſus Meſchinem regulum Numidam peculiari nomine bellum ſuſcepit. Sed Meſchines prępotenti, hoſti facile ceſſit vti imparatus, ſcilicet vt coactis auxilijs opportunè reuerteretur. Ea contentio vtrinque vario belli euentu ſæpius agitata, ad extremum ipſum regem in id bellum traxit: Itaque Muleaſſe in Doracis caſtra cum magno equitatu & Turcarum mercenarijs peditibus profecto, res eum habuit exitum, vt Meſchines profligeretur. Hæc iniuriæ acerbitas adeo vehementer Meſchinis animum permouit, vt ſingulos Numidarum duces acceſſerit, ac ferè totam Africam ad bellum excitarit. Roſcetes quoque à Biſcari in ſpem regni fuit euocatus. Hi caſtra fecerunt non longè à Bechia vrbe, quæ itinere vnius diei à Tuneto diſtat. Ea aduentantium hoſtium fama Muleaſſem, ex ſcelerum conſcientia ſibi diffidentem, magnopere conterruit. Verum is nõ minus aſtu quàm ſæuitia inſignis, adeo metum diſſimulabat, vt compreſſis portarum cuſtodia de Roſcete rumoribus, feſta hilaritate Amidæ filij nuptias celebraret, & vniuerſo populo ſolenne epulum præberet.

Roſcetes fratrem Muleaſſem bello adortus.

Vbi Roſcetis aduentus diutius occultari non potuit, vexilla, arma, tormenta ex arce per Doracem proferre, Numidas quot poterat mercede cõducere, & Turcas prædones ad ſuas partes trahere iuſſit. Tum enim piratis ad Tunetum erat tutiſſimus receptus, cum quinta pars captiuorum & prædę ad fiſcum pertineret. Quum Roſcetes adpropinquaret, Dorax ante portam urbis in acie conſtitit, cum ſeptem millibus equitum Numidarum magnáque Afrorum peditum multitudine,

aderat

aderat & Caradinus Turca cum delecta cohorte sclopetariorũ, & septẽ currulibus tormentis. his accesserat ala prætoriana Christianorum equitum, qui ex reliquijs veterum expeditionum in Africa remanserant, & ob virtutem in honore habiti vxores duxerant. Prouolauit ante alios Meschines cum quatuor milibus equitum, hunc Morhabitus cum ampliore agmine continenter est subsecutus: Roscetes postremam aciem tenuit. Restitere aliquandiu regij, Dorace primos impetus fortiter sustinente. Sed Morhabiti vim non tulerunt, ac multa cæde præcipites acti in fugã conuersi sunt, defuit etiam spacium Caradino ad dirigenda tormenta, dum puluere omnia miscerentur. Postea Roscetes vrbe excluſus, ad proximam regionem quam Martiam vocãt deflexit, ea est circa magnę Carthaginis ruinas omnium rerũ copia & fertilitate abundans. Ibi circiter viginti dies moratus, quum frustra expectando vrbanos motus nihil proficeret, vt Tunetanorum animos grauiore periculo aduersus Muleassem concitaret, totum id Oliuetum immani crudelitate succendit, quod summa amœnitate atq; vbertate ad Tuneti vsq; mœnia protenditur. Sed conturbatis ciuibus rex omnes solatur vt eam calamitatem æquissimis animis ferrẽt, se enim ea detrimenta singulis præsenti pecunia liberaliter exoluturum. Nec multo pòst quum Tunetani animos suos efferatos à Roscete penitus auertissent, Numidæ dilabi ac Roscetem vt longè secederet monere cœperunt. Itaq; suadentibus amicis Algerium ad Barbarossam confugit, vt illic vlteriores spes suas ad inuadendum paternum regnum securius agitaret. Eo modo apud Turcam in cultu propè regio permansit, vsq; ad id tempus quo Byzantium (vti diximus) est deuectus. 1534

Is Punicarum rerum status erat quum Hariadenus Pontia profectus perpetuo cursu ad Bisertã improuisus classem appulit. Bisertani tædio Muleassis & sua mobilitate impulsi audito Roscetis nomine Turcas oppido recipiunt, præfectumq; repugnantem expellunt, postea copijs celeriter eductis præteruectúsq; Vticã & Carthaginis promõtorium, eius turris atq; munitionis, quam Gulettã nostri vocant, in cõspectum se dedit, ita vt eos displosis omnib. tormentis in amicitiæ signum de more salutaret. Guletani custodes, quum salutem redderẽt, responderunt se in eius potestate statim futuros, qui Tunetanæ vrbis imperio potiretur. Iam ab excelsa Tuneti arce conspecta classis ingentem in vrbe tumultum excitauerat: Erat enim ciuitas erecta in expectatione noui regis, cum ipsius Roscetis amore, tũ odio Muleassis, quem crudeliter imperantem per aliquot annos pertulissent. Nam Tunetani ei erant vehementer irati, quod eorum inopiam priori bello acceptã non subleuasset. Itaq; egressum arce & in foro concionantem deseruerunt. Monuerunt quoq; specie amicitię, vt extemplò fortunę cederet & profugeret. Vnde à ciuibus destitutus fuga sibi consulere statuit, idq; ea celeritate vt & in arce aurum, gemmas, et regia ornamenta relinqueret. Primi omnium duo Hispani à Muleasse ad Hariadenum defecerunt. Abezes ex vrbe Granata, & Feniches Taraconensis, qui custodiæ arcis erat præpositus. Hic Roscetes vxorem & liberos, qui à Muleasse in custodia seruabãtur, statim eduxit & regio cultu ornatos in Muleassis solio constituit: Nec mora Hariadenus expositis in terram copijs, conscenso equo cum quinq; millibus Turcarum ad eam portam peruenit quæ stagno & naualibus est coniuncta. At Tunetani quũ Hariadenum per mediam vrbem ad regiam contendentem magnis gratulationib. excepissent, perturbari cœperũt, quòd Roscetes nusquam cõpareret. Auxere tumultum Roscetis familiares, qui amicis submissè dicerent, ipsum frustra expectari, qui Turcarum & Hariadeni fraude in Asia, & in cathenis quidẽ esset relictus. *Hariadenus Tunetum occupat.*

Eo modo detecta fraude Tunetani frementes circa forum conglobantur, quibus se Mesuar authoritate Pœnorum facile princeps ducem præbuit. Is Muleassem reuocabat, & Turcas in arce obsidere & oppugnare statuebat. Itaque ad populum conuersus: Nefaria, inquit, fraude decepti sumus, Roscetes enim quem pro legitimo rege expectatis, Byzantij in cathenis suam calamitatem luget. Nec mora omnes ad arma conclamant, & repentino impetu Turcas inuadunt. Erat Tunetanorum ingens sed incondita multitudo, quæ vix sustineri posset, nisi periti ducis im- *Prælium in vrbe cõmissum.*

1534 perio regeretur. Vnde concursu vndique facto ad arcem contendunt, & ad propugnaculum aduolant, quod ad oppidum suburbanum spectabat. In eo Turcæ vexillum præfixerant, ac inde fortiter propugnabant. sed scandentibus Afris ægrè sustinere, & sese in munitiorem locum recipere cœperunt, donec tormentum æneum in arcis speculam eductum in confertissimos hostes emiserunt. eo ictu multorum strages edita, præsertim cum à tota muri corona sagittis peterentur, & sclopetorum ictibus sternerentur. Verum Mulealses cum suis reuersus oppugnationem bis intermissam renouarunt. In ea rerum asperitate Hariadenus statuit eruptione dimicandum, si arcem defendere & salutem omnium tueri cupiant. Itaque duobus portis erumpunt, & circumuentos ab diuerso latere trucidant. Tum tribus in locis editur pugna, & inter multos Pænos Mesuar glande traiectus cadit. Tum verò ab oppugnatione cessatum, ac in plateis cruento prælio aliquot horis est decertatum. Ad extremum Tunetani superati & intra domos compulsi. Ferunt ea die supra tria millia Tunetanorum desiderata, & ad triplum vulnerata. In eo statu Mulealses desperatis rebus cursu se proripuit, & protegente Doracis equitatu in pacata loca peruenit, vbi in Constantina vrbe ad Caroli Cæsaris aduentum à Dorace liberaliter sustentatus fuit. Ea olim Cyrtha Numidiæ regia fuit.

Tunetum ædificijs ornatum.

Cæterum ea nox quæ prælium & regis fugam secuta est, Tunetanis pariter & Turcis insomnis fuit. Nam Pæni cæso Mesuare pacem quàm bellum malebant, præsertim quũ rex ipse in solitudines effugisset, & id Hariadenus impetrare cupiebat. Itaque impetratis & acceptis inducijs in Solymanni verba iurant, & Hariadeno eius præfecto obedire pollicentur. Postea Numidarum principes Hariadenus sibi fœdere & beneuolentia iungit, atq; Asanagum Eunuchum & Halum Leuanũ cum Ianizeris & tormentis currulibus ad recipiendas Africæ vrbes misit. Paucisq; diebus nullo labore, aperientibus cunctis portas, mediterraneæ pariter atq; maritimæ vrbes deditionem fecerunt, vna omnium vrbs Caruena aliquandiu restitit, sed victa excidij metu Turcarum armis cedens præsidium accipit. Inde Hariadenus regiam nouis ædificijs exornare atque munire orsus, septum in Cauedio, in quo Turcarum more pro tribunali ius diceret, instituit. conatúsq; est multis seruilibus operis aperire nouas fauces, ac immittere per eas id mare quod à promontorio Carthaginis lunato flexu ad stagni munitiones extenditur. In eo littore geminæ sunt turres ab aquæ salisque nomine à nostris appellatæ, vbi olim ille insignis Carthaginensium portus visebatur. Id opus ea ratione Hariadenus efficere contendebat, vt tuto & maximè expedito portu vteretur. nam vadosæ admodum erant angustiæ, quibus Guletana turris ab ortu aduersæ continenti ligneo ponte committitur, ita vt triremes ęgrè humeris seruorum in stagnum educantur: ab his faucibus Pæni leuib. nauiculis propter humida vada ad vrbem Tunetum adnauigant. vide turq; id stagnum centum ferè stadiorum diametro in orbem veluti circino circumductum, & id multo cœno passim uadosum. Cæterùm id opus Aquilones facile disturbarunt, inuecta scilicet continuis fluctibus arena.

Solymanni in Persiam expeditio.

Dum hæc in Africa & circa Melitam insulam magno equitum Ioannitarum periculo fiunt, Sophusq; Hismael Persa nondum quatuor & quadraginta annos natus fatis concessisset, reliquit quatuor filios ex legitima vxore susceptos. eorum natu maximus erat Tammas totius imperij hæres, ea conditione vt reliquis fratribus regnorum præfecturas impartiretur. Is ergo paternum imperium nactus Turcis resistere atque regni sui fines ampliare constituit, præsertim cum cognouisset Solymannum sibi totius orbis imperium proposuisse. His rebus nunciatis Solymannus vehementer excitabatur viriumqúe suarum conscius elato animo Persarum bellum agitabat. indignabatur tamen sese à Christianis regnis, quibus inhiaret, importune reuocari. Eum itaque pari studio diuersa bella meditantem, Habray mus impellebat vt arma in orientem conuerteret, is enim inter purpuratos principes summa authoritate & gratia pollebat, qui tamen in Epyro à Christianis natus, & ad Turcarum religionem puer abductus fuerat. Nihilominus tamen Christia-

nos

nos diligebat, ac oblata occasione ipsorum causam egregiè fouebat. Itaque Solymannus Habraymi consilia complectitur, & vtrunque militiæ Magistrum admonet vt Sangiachos ad signa vocent, Europeique omnes in Asiam trajciant, & ad Niceam inter se coniungantur. Luffribeium autem in Peloponneso Coronem obsidere iubet, & Aloisium Grittum in Pannoniam dimittit, vt ibi in regni procuratione Ioanni regi assistat. Ipse ex suæ superstitionis ritu votis pro victorijs nuncupatis, in templo rite se ipsum lustrat, & Vlamene Persa itineris duce vsus, in Lycaoniam ad Iconium progreditur. Inde per Mesopotamiam Persarum ditionis fines quartis & quinquagesimis castris Coim peruenit in maiorem Armeniam, tanta Turcarum admiratione, vt veriti sint insidias subsistere, & castra munire cogerentur, cum nondum pro certo didicissent, vbi nam Tammas esset, & quid consilij pararet. 1534.

Sed Vlamane cum Alcanzarum equitatu præeunte, & hostium consilia explorante reperieba t eam esse Tamasi mentem, vt nullo in loco diu consistere nec acie confligere statueret, sed Hiberorum & Albanorum auxilia expectare proposuerit, qui leuis armaturæ operã præstare, & Persarum cathaphractos antecedere consueuissent, vt ex occasione Turcas fatigatos & sub alieno cœlo ægrotantes adoriretur. His rebus Solymannus exploratis castra mouit, rectà in eam regionem profectus in qua Tamas copias cogebat. Postea Taurisium mœnibus nudatum intrauit, & copijs tantum ostentatis ad vrbem Sulthaniam contendit. Cum ibi per multos dies castra haberet, atque Tammam expectaret, vt è montibus descenderet & in aciem prodiret, subitò sæuissima tempestas exorta fuit, quam vnquam Persę antea per id anni tempus meminissent. nam circa æquinoctium æstiuum tanta copia imbrium & niuium decidebant, vt repentina hyems inuecta videretur. ea etiam ventorum inter se certantium erat rabies, vt Turcarum castra euersis tabernaculis sternerentur, magnúsque camelorum numerus interiret. supra etiam procellæ tantæ detrimentum, improuisi hostis aduentus maxime timebatur, nec deerant qui dicerent eam tempestatem à Persarum hostium Magis diro carmine & notis incantamentis cœlo euocatam ad Turcarum exitium. Eo graui incommodo Solymannus permotus, castra sinistrorsum vertit, & in Assyriam perrexit, multis de causis id suadente Vlamine, qui Solymanno spem occupandæ Babyloniæ iniecerat, præsertim cum Machometes eius loci præfectus Vlaminis amicus esse videretur. Verùm is muneribus & promissis incorruptus nunquam eò adduci potuit, vt fidẽ falleret. Itaque Solymannus eundem subitò opprimere, atque armis Babyloniam occupare statuit. *Tempestas impedit consilia.*

Non defuit fortuna Turcis. Nam Vlamene magnis itineribus cum Alcanzarum equitatu præcurrente, vbi non procul à Babylone abesse renunciaretur, Mahometes qui nunquam ad se venturos hostes putarat, rebus omnibus imparatus animũ despondit, & per Mesopotamiam ad Berhlim profugit, ita vt Solymannus nõ multo pòst à Babylonijs propter odium in Mahometem susciperetur. In ea vrbe clarissima Caliphę sacrorum principis sedes est, qui à cunctis Machometani nominis regibus excolitur, veteremq; obtinet prærogatiuam adoptandi & confirmandi Assyriæ regis, sicuti etiam Sulthanos Memphiticos, qui per Saraconem Comanorum ducem ante trecentos annos Aegyptijs principatũ eripuerant, vt ibi Mamaluchorum seruorum imperium conderent. Ab hoc Calypha Solymannus, veteris superstitionis instituta sequutus, insignia & ornamenta suscepit, ac multa largitione sibi populum conciliauit. Vnde etiam in regia & antiqua illa vrbe hyemare statuit. Tãta vero propensione Mesopotamiæ Assyriéq; vrbes Solymanno deditionem fecerunt, vt ad eum vsque à Balsera emporio quod est ad ostium Euphratis in Persicum sinum erumpentis, legationes venirẽt, atq; Mesopotamiæ insigniores vrbes Caramida, Meredinum, Orfa, & Asancepha Turcarum præsidia acciperent, & per totius Babyloniæ prouinciæ oppida Turcæ milites in hyberna constituerentur. Nam præter copias ex Europa & Asia minore in eius belli expeditionem perductas, e- *Turcarum successus.*

1534 tiam tetrarchæ cum Memphitico Bassa, qui sunt eius Sanzachi Alexãdriæ, Iudææ, vtriusq; Syriæ, & Comagenæ, ad Imperatorem peruenerant. Per totam quoq; hyemem magnæ celebritatis spectacula ædita sunt.

Taurisium à Turcis occupatum.

Cęterum Solymannus recreatis per hyemem copijs nunquam instaurandi exercitus Persicíq; belli curam remiserat. Igitur adulto iam vere è Babylonia profectus, ductante Vlamene, per idoneas regiones ad Taurisium iter intendit. At Tammas qui interim Taurisium redierat, cognito eius aduentu, vti imparatus in Coraxenos iterum se recipere instituit, certas tantum suorum manus passim relinquens, quę se persequentibus hostibus ostenderent, & montiũ vallium q; notas angustias tuerentur, obseruarentq; eorum itinera, nec nisi ex insidijs insequentium hostiũ agmina abruptis locis lacesserent. Eo modo recedentem Vlamenes frustra persecutus, ad Solymannum redijt suasitq; ei vt Taurisium deflecteret, & cõfessione hostis retro per asperos montes fuga elabentis sese victorem ostenderet, ex vsuq; victoriæ eius regia potiretur. Itaq; Solymannus indignãte animo Taurisium hostili irruptione inuectus, incolas magnis detrimentis affecit, quanquam inermes essent, ideóq; victoris imperium se paratos subire demisse profiterentur. Ante omnia verò Solymannus Vssumcassanis atq; Hismaelis ornamenta ex regia tolli iussit, ita vt & ingentes familias telæ sericæ opificijs celebres abducendas iuberet, magnúmq; iuuentutis vtriusq; sexus & seruorum numerum comprehendi & abduci sineret. Postea circa æquinoctium autumnale motis castris in Mesopotamiã est reuersus. Vix Coim & Calderanos campos præterierat, quum Persarum agmina abeuntes hostes lacessere, impedimenta diripere & fatigatos trucidare inciperent. Crebri quoq; rumores totis castris permanarunt, Tamasum breui iustis copijs adfuturum. Ea hostium audacia Solymannus permotus singula agmina expeditis præsidijs cõfirmauit, & duo millia sclopetariorum in corona constituit, cum aliquot maioribus tormentis, vt è longinquo in persultantes hostes disploderentur. Vnde fiebat vt Persę minus audacter erumperent, & remissiorem quàm antea impetum facerent.

Turcarum clades.

Per hunc modum Tyrannus triparrito exercitu pergens cum primo agmine Amidæ constitit, & ibi reliqua duo agmina aperiri statuit. Interea Tammas iustis copijs comparatis è Coraxenorum montibus erupit, & Taurisium repetijt, vt hostem vrbanis delicijs hærentem repentina irruptione opprimeret. Sed eo elapso, & inspectis eius vrbis incommodis vehementer indignatus, statuit eum persequi, & ad Coim vsq; progressus est. Ibi vero mutauit cõsilium, & Delimenthem fortissimum satrapam, cum tertia parte equitum extremum Turcarum agmen carpere iussit. Is ea celeritate vsus per viarum compendia, vt hostes ad Tauri montis radices assecutus fuerit. Ibi Bethlis oppidum in finibus Persici imperij Mesopotamiã attingit, habétq; arcẽ Persarũ præsidio custoditã. Turcarũ præfecti, Vlamane duce, ibi idoneo in loco consederant, rati cuncta se pícula euasisse. Hæc vbi Delementhes p incolas exploratores pcepisset, obscura nocte & pluuijs impedita hostes fortiter aggressus est. Tanta aũt & tam fælix fuit eius temeritas vt cõsopiti & nihil tale timentes Turcæ vndiq; opprimerentur, & ipsis pene Bassis ad equos ascẽdẽdos spaciũ eriperet, nec in tenebris lanizeri sclopetos expedirent, & currulia tormẽta caperent. Persis aũt sese mõtani agrestes aggregarũt, q prius Aladolo regi paruerũt & à Turcis detrimenta accepant. His omnis castrensis apparatus & sarcinæ camelorũ in prędam cesserũt: incidit ea clades Turcis ad tertiũ idus octobris, q dies ingẽti Persarũ lætitia postea semp celebratus fuit. Id cũ Solymaño nunciatũ fuit, adeo eius animũ concussit vt oẽm renouãdi cõtra Persas belli cogitationẽ abijceret, præsertim cũ id vultus mater ei prædixerat. Itaq; Habraymo cõsultori valde iratus Byzantiũ redeundũ decreuit. Applicãtẽ verò cõfectis itinerib. ad Bosphorũ, vt Byzantiũ traijceret, Habraymus q anteceſſerat litus ei honoris causa triũphali serico strauit, atq; ita bireme peculiariter adornata, sublatus in oppositos septæ regiæ hortos sese intulit.

Habraymus vita priuat⁹

Tum verò multis de causis in Habraymum atrox inuidia sensim erupit, immodicè eius potentiæ sæua comes, sic vt in arcano apud principem tota eius gratia con-

conuelleretur, ingenti conspiratione multorum procerum. Ea fatalis odij semina à 1534
fœminis matre scilicet ac vxore iacta fuisse constat, quæ Imperatorem ad nutus Habraymi impotentis serui circumagi indignũ esse dictitabant, mater quidem quod filius contra auguria Persici belli periculis obiectus fuerit. Roxolana vero, quod Mustapham priuignum vti ex liberis maximum impense colerẽt, ac imperatorios honores intempestiue deferrent, cum tamen ipsa muliebri libidine accensa Baiazethem suum filium præferri cupiebat. Præterea Habraymi famam non obscurè aggrauabat, quod Christianos adaperto studio complecti foueréq; diceretur, vnde etiam Turcica arma in orientem conuerterat, vt ea in re Carolo Cæsari gratificaretur, qui tamen Tãmæ amicus censebatur. His ergo insidijs circumuentus Habraymus & conceptæ perfidiæ reus factus circa idus Martij in regiam pro consuetudine admissus postea nunquam comparuit. Ferunt eum seueriſſimè à Solymanno obiurgatum, quod summis honoribus auctus beneficia nefario scelere corrupisset, nec Tyrannum vllis iacentis ad pedes lachrymis ad misericordiam flecti potuisse. Eadem nocte in cubiculo in puluino dormitãs à carnifice cultro adunco (quod Solymannus tradiderat) iugulatus est. Oborto sole quæstores supellectilem & omnem eius pecuniam in fiscum retulerunt, ita raptim & diligenter, vt nihil ferè præter dotem miserrimæ vxori relinquerent. Hunc vitæ potentiéq; suę exitum Habraymus tulit, quo nemo eorum vnquam antea, qui maximorum regum gratia potentes euaserunt (ad exemplum illudentis fortunę) ante obitum fortunatior atq; fælicior fuit. Sed ideo minus dolendũ q; ipsius consilio Solymannus antea Rhodum oppugnarat, ac tandem in suam potestatẽ, ablegatis Ioãnitis, redegerat. In eius locum Aiax Vesir cooptatus, & Barbarussa ob rei nauales peritiam Amiras declaratus.

Dum Solymannus in Persia bellum gereret, Carolus imperator Africanam ex- *Belli Tunetani occasio.*
peditionem animo agitabat, vt Hariadenæ Barbarussæ insolentiam compesceret, atque Christianorum fines defenderet & propagaret, præsertim cum Franciscus 2. Sfortia obijsset & Mediolanum cum toto ducatu 24 octobri anni 1535 in Caroli potestatem venisset. Fama enim erat Barbarussam validissimis omnium prędonũ coactis classibus, non modò vti superiore anno fecisset, Italię litora prędaturum, sed etiam proxima æstate in Melitam ac Siciliam cum ingenti Turcarum, Afrorumque multitudine, vt ad reliquas spes proferendas (quibus arroganter Neapolitanũ imperium concepisset) Italiæ horreo potiretur. Itaq; Paulus pontifex collaudato Cæsare ei statim in bellicos sumptus sacerdotiorum totius Hispaniæ decumas concedit, ipséq; pecunia sua nouem triremes Genuæ exornari iubet. has ad veteres tres q̃ in custodia Romani littoris esse consueuissent adiungit, omnibus Virginium Vrsinum præficit, eíq; Paulum Iustinianum Venetum consiliarium adiungit. Tum etiã Desiderius de Tolono ordinis Ioannitarum 45 princeps classem suã egregiè armauit, eámq; armis & fortissimis viris, ex celebri Rhodiorum equitũ numero delectis Georgio Schillingo Germano (qui postea Alemanię prior constitutus fuit) rei bellicę peritissimo commendauit. Excitata quoq; ad pium bellum vniuersa Hispania: Cæsar è Carpentanis Barchinonem venit, atq; terrestrium & naualium copiarum maximum apparatum instituit, quibus Mendocius pręerat. Andreas etiam Auria, quem Cæsar toti maritimo negocio præfecerat, multarũ ingentium nauium ac triginta rostratarum classem instruxit, in quibus erat quadriremis vna, quæ prætoriæ loco Cæsarem veheret. præterea vim ingentem nautici cõmeatus, instrumenta naualia noui operis, tormẽtorum omnis generis, ac telorum copiam vel maximo bello suffecturam, in naues distribuerat, quibus Ligurię iuuentutẽ imposuerat. Huic pontifex gladium de more consecratum dono miserat, cum villoso ducali pileo, vt non immerito strenuus senex ad petendam noui decoris laudem accenderetur. Deliguntur etiam viginti quatuor cohortes à tribus fortissimis præfectis Hieronymo Tutauilla Sarnẽsi comite, Friderico Carecto, & Augustino Spinula, quibus Alfonsus Vastius, vt & cæteris pedestribus copijs, dux designatus. *Africani belli apparatus*


Interea Maximilianus Eberstenius, dux vetus per Tridentinas alpes octo millia

1535 Germanorum in Lunensem agrum perduxit, in quibus fuêre plerique nobiles sine mercede Punici belli famã secuti. Hos Auria & Vastius humaniter liberaliterq; Mediolano Genuam aduectos suscepit, & admonuit, vt patienter dum nauigarent maris tędia perferrent, ac vbi Africam attigissent, certam victoriam sperarent. Pugnaturos enim ipsos pro Deo & Cæsare, qui nunquam pijs & fortib. defuissent. Ita summa alacritate cum Italis triginta octo onerarias naues ascenderunt, quarum præsidio Antonius Auria duas & viginti rostratas adducebat. Hi primum ad Centumcellas peruenientes ibidem à præsente pontifice benedictionẽ acceperunt, postea Neapolim cursam direxerunt. Ibi Petrus Toletanus prorex aliquot triremes adornarat, ac multis prędaris militibus armarat, easdem quoque noxijs hominibus ad remum damnatis repleuerat, dum oram solueret, vniuersa prope Campaniæ iuuentus subsecuta est, arreptis vndiq; nauigijs, tanta omnium cupiditate vt pauci Neapoli relicti esse viderentur. Inde paucis diebus Panhormum in Siciliam est peruentum: postea in Sardiniam nauigant. In eum locum & Carolus Cęsar ex Hispania cũ ingenti classe peruenit, in quibus octo millia peditum & mille equitum egregiè armatorum inerant. Inter eos etiam Ferdinandus Toletanus Albæ regulus fuit. Venerat etiam ab Oceano Ludouicus Lusitaniæ regis frater, cuius soror Isabella Cæsaris vxor erat, cum vigintiquinque nauium classe, eius generis quas Caruelas vocant Indicis nauigationibus asuetas, tormentis & bellico apparatu instructissimę. Ibi præter nautas duo millia peditum recensebantur. Applicarunt etiam ex Belgico oceano per Gaditanum fretum supra sexaginta onerariæ naues, quæ copias passim paratas, & commeatus singulis mediterranei maris portubus susciperent.

Imperatoris in Africam aduentus.

Nec multo post Imperator in Africam traiecit, & in Vticæ portum vniuersam classem intulit. Ab Vtica mox discedens, classis circumuecta promontorium Carthaginis, totum eius regionis litus quam Martiam vocant appulit, contra turrim quam de subiecto fonte Aquariam vocant. Barbari qui ab imminentibus Vticæ collib. aduentum & cursum explicatæ classis conspexerant, Hariadeno renunciarunt, hostilem classem innumerabilibus omnis generis nauigijs constare. Erant enim septingentæ naues, in quibus duæ & octoginta rostratæ triremes frequentib. exornatæ vexillis conspiciebantur, quæ speciem æquo maiorẽ hostium oculis prębebant. Verùm id Hariadeni animum perturbauit, quod nuntiarent in classe, præcerto esse Cæsarem Christianorum maximum Imperatorem. Non putarat enim Barbarus Cæsarem inexplorati maris casibus (in ignota præsertim terra) dubio bello se commissurum, sed tantum per legatos non Tunetum, verum ignobilia eius oræ oppida tentaturum. Itaq; ad gerendi belli cogitationes se conuertit, primúmq; triearchis in consilium aduocatis, docuit uiris fortibus nihil de victoria dubitandum, præsertim cum Cæsari omnia aduersa, atq; ipsis viri, arma, commeatus, tormenta, vrbes, arces, propugnacula abunde sufficerent, cum vel vnica Guleta hostium vim sustinere queat. Triearchi vno cõsensu respõderũt, se paratissimis animis cũcta facturos quę iuberet, nec commissuros vt dedecus pristina sua virtute indignum admitteretur, id quod & iuramento confirmarunt. Hos omnes Sinas Smyrneus dextro oculo captus anteibat, huic proximi erant Haidunus Cilix, Salecus ab Ionia, Tabaches Laodicenus & Giaffer Ianizarorum centurio. Is autem Guletæ situs est vt lateritia turris cum adiecta insigni munitione his faucibus immineat, per quas Carthaginensis sinus maris ad australe litus allidens sensim in stagnum se insinuat, quo paruis nauigijs ad vrbem Tunetum aditus patet. neque enim hęc palus longior aut latior est duobus miliaribus Germanicis. sed vtrinque ita humilia sunt vada vt nisi medio alueo pernauigari queat. Ingressum à mari turris prohibet, eam Barbarussa multis tormentis instruxerat, vt suam classem quam intra stagnum propulerat ab hostili iniuria tueretur.

At


Franciscaner
Hortus
B
Lustgartn
Lustrū
Thiergartū
C
Castrū
Schloß
Sepulchra
Spital
Suburbiū
Vorstat
Arsenale
passo
GOLETA
D
Thermę
Maomet
Clupea
Vtica
Ruinę Carthaginis
Bagrada fl.

1516 At Cæsar tota classe ad anchora constituta pronuntiari iussit, vt milites expediti in triremium magnarum nauium scaphas desilirent, & toto littore descensiões facerent. quod vsq; adeò cõpositè administratum est, vt tota vndiq; litora Barbarorũ agminib. nudarentur. neq; enim nostrorum clamorẽ & sclopetorum strepitum ferre potuerunt, qn in fugã nullo contracto certamine protinus se darent. Veteranos Hispanos, Itali, & hos demum Germani subsecuti sunt. cũctósq; munitis castris Vastius consistere nec temere vagari iussit, donec equites & reliquæ oẽs copiæ, totusqúe tormentorum apparatus in terram exponeretur. Descendit & Cæsar ipse bonę spei & certę alacritatis plenus. Erexit autẽ prætorium idoneo in loco inter duas turres, quarum alterã Aquariã, alterã Salinariã Barbari vocãt. Interim variæ militũ manus emissæ sunt, quæ proxima loca explorarent, & cisternas puteósq; quæritarent, hostiúmq; simul casas & vicos mapalibus similes occuparent, vsq; ad sumos colles, vbi vetusti templi ædificia visebant, quo in vertice duarum cohortium Italicarum vexilla præsidij causa constituta sunt. Afri pedites equitésq;, præsertim Numidę, omnib. horis locisq; nostris occurrebãt, locorumqúe notitia cõfisi nostros sæpe incautos circumsistebant, sagittis, iaculis, & lapidibus rem gerentes, tanta feritate vt nemini vel dedito parcerent. Ita Hieronymus Spinula Ligur Centurio, & Friderícus Carectus regulus succubuerunt. Sed ea hostium agilitas Cæsarem minimè retardabat, quin ipse cum paucis exploratum iret, & cuncta plustraret. lã Vastius nõ longè à Guleta legiones promouerat, crebris passim obliquis fossis & munitionibus cõstitutis, vt tuto milites cõmeare, in opere versari, & hostilium tormentorum ictus contemnere possent. Tantos siquidem spiritus Barbari sibi desumpserant, vt vltrò erumpere, nostros prouocare, & munitiones subire auderent.

Barbarorũ primus conflictus.

Christianorum cædes.

In prima aggeris fronte Sarnensis regulus præcipuum sibi locum poposcerat. Is cum fortè hostes se in cõspectum dedissent, contineri non potuit, quin in eos confestim erumperet. Salecus eñ ausu astúq; pyratico insignis, cum delecta suorum manu ad eius munitionẽ aduolarat, magnúmq; tumultum excitarat, sic tamen vt sclopetorum glandib. repulsus se recipe videretur. Tum vero Sarnensis præfectis suis increpatis ira feruidus erupit, ac obuios quosq; prostrauit. Cum autẽ Salecus videret nostros magno interuallo à reliquis seiunctos, suos hortat, vt se cõuertant, atq; hos veluti ĩdagine clausos excipiant. Nec mora, cõglobantium sese ea fuit impressio vt nostri pauciores non diu resisterent, sed tumultuosè terga darent. Sarnensis ipse antè alios acerrimè depugnans cum Belingerio affine suo cohortis præfecto trucidatur. reliqui eandem in fuga oppressi fortunã subeunt. Cæteros intra munitionem confugientes, irretitósq; tabernaculi finibus Turcæ audacter intrantes trucidant, à quibus etiã argentea supellex Sarnensis direpta est. Caput Sarnensis cum dextra ad Barbarussam delatum est. At nostri, Barbaris lætitiam tormentorum bẽ-dis celebrãtibus, magnopere tristes vix ignominiã sustinebant, quærebantúrq; itidẽ ab Hispanis proximis non fuisse alacriter adiutos. Sed fortuna id Hispanis non indulsit, vt diu socios Italos ab inflicto hesterno vulnere contemnerent. par enim eis dedecus Tabacches attulit sub auroram nanq; erumpens, Hispanorúmq; munitiones adortus vsq; adeo stationem perturbauit, vt conscenso aggere aliquot operis labore fessos, alios reposita arma repetentes, in fossa oppresserit, clamoréq; edito reliquam custodiæ manum perterritam terga dare coegerit. Atq; ita Barbari fossorĩs potiti ferramentis, & rapto Francisci sarmenti vexillo, interfectóq; Mendesio cohortis præfecto, & multis improuiso cæsis, prius se receperunt, quam auxilia nostris superuenirent. Adcurrit & ipse Cęsar armatus ad tumultum, seuerè increpitis ĩs, qui commissum stationis locum trepidè deseruissent.

Turcæ fugati.

Sedato tumultu Vastius veteres Hispanorum præfectos primorúmq; ordinum centuriones in tabernaculum vocauit, atq; diligenter admonuit, vt pristinæ virtutis memores horum inermium prædonum insolentiam fortiter excipiant, atq; acceptam cladem insigni quodam facinore resarciant. Itaq; si hostis denuo ad munitiones accedat fortiter erumpant, atq; malè mulctatos intra Guletæ portum repellãt, ac stre-

ac strenuè instent, vt immixti perturbato ordini munitiones simul intrent & occu- 1534
pent. Id quod Aluares & fortissimi quiq; ei sunt pollicíti. Nec Barbari successu elati plus triduí mora conquieuerunt, meridianóq; tempore Giaffer cum Ianizaris Africorumq; iaculatorũ manu superiores munitiones inuasit, ratus se ea hora nostros in statione segnes aggressurum. Iam etiam Barbari inopinãtibus nostris aggerem ascenderant, & certatim in subiectos vndiq; glandes, sagittas, & lapides cõijciebant, quum extẽplò nostri ad tímpani sonitum duobus simul locis eruperunt. His Vastius subsidiariam manũ ex galeatis thoracatísq; militibus, qui Halebardis rem gererent, submisit. Phalanges autem intra munitiones ordine constituit, vt fugientes fortè reciperent, & ad pugnam parati castra tuerentur. Pugnatũ est vtrinq; summa cõtentione. Sed Giafferre ipso glande traiecto, Ianizari ora conuertere, & fugere cœperunt. nostri tanto ardore persecuti sunt, vt Guletani primis receptis periculum veriti quartã suorũ partem excluserint. Verum hi versus stagnum deflectentes postico aditu se intra munitionem receperunt. In eo tumultu nostris difficilis receptus datus, quoniam è tota munitione Barbari omnis generis tela & tormenta extra suorum periculum certatim in nostros contorquebant. Eo tamen die Barbarorum audacia repressa, & spes expugnãdę munitionis nostris præbita, quòd ex propinquo eius natura explorata, certã victoriã aggressuris promittere videretur.

At Cæsar paucis dieb. in ipso rerum apparatu deliberationéq; cõsumptis, statuit nõ esse terendum tempus, quin protinus Guletanis vim oẽm & verum terrorem admoueret. Didicerat enim varia Numidarũ agmina mercede conducta ad Tunetũ appropinquare, contra suos aduersa tentari valetudine, vtpote qui interdiu immoderato solis feruore torrerentur, noctu verò largissimo cæli rore madefacti astrictis artubus rigerent, nec aqua dulci leuandę sitis desiderĩũ explerent. Itaq; ad Idus Iulias 1535 promotæ sunt munitiones in conspectum hostium, prolatúsq; omnis tormentorum apparatus. Hæc omnia protegebat oblonga munitio ex vimíneis corbibus confectis, & ligneis item vinarijs dolijs, quæ arenis complebantur, quòd Africæ solùm his in locis neq; glebã neq; cespitem ad opus faciendum praberet. Auria cùm Melitensibus à mari oppugnandæ Guletæ negotium susceperunt, ita totius classis diuisis ordinib. vt rostratæ naues sibi per vices tripartito succederent, dispositísq; tormentis cedendo sequentibus locum darẽt: maiores verò onerarięqúe naues, idoneis in locis ad anchoras constitutæ, ex castellis prorarũ & puppiũ, & ab excelsis summi mali carchesiis iugiter operam nauarent. A terra autem tribus in locis Vastius copias partiebat, vt singulę acies ex ęquo attributi laboris onus, & speratæ laudis fructũ sentirẽt. Nunquã ab vlla hominum memoria, postquam tormenta ad excidiũ generis humani repta sunt, vel acriori vi, vel maiori apparatu exactíoriq; diligentia munitus vsquã locus est oppugnatus. Tanto em̃ crepitu adeóq; horríbili reboatu fragor ingentis terræmotus instar, est editus, vt non quati modò verùm tota passim terra hiscere & mortales absorbere videretur. Mare autẽ, quòd modo tranquillitatem ostenderat, fluctuosius concitari in orbes, remotáq; pelagi spacia spuma conturbari spectabatur, quum cœlũ superfusa caligine omniũ oculis esset ereptum. Ab aurora ad meridiem maiorib. colubrinis nusquam est cessatum.

Guleta oppugnata.

Itaq; turris cum adiecto suo antemurali terebrata vndiq; & penitus diffracta ita concidit, vt tormenta suis apposita fenestris horũqúe libratores corruentiũ parietũ & prosciss̃æ testudinis ruina cõtegeret, munitionésq; circũ omnes nudatis propugnaculis nõ difficilẽ nostris ascensum præberent. Nec mora cohortes, quib. singulis senæ scalæ erant attributæ, ad signum tubarũ hostiles munitiones inuaserunt. Neq; diu Barbari, quanquã in subeuntes tela omnis generis cõijcerẽt, vim nostrorũ sustinere potuerunt: sed occupatam à scandentibus munitionem amissa spe defensionis deserere, præcipitésq; se in fugã conijcere coacti sunt. Sinas ipse cum ducibus ponte ligneo in aduersam continentẽ Tunetũ profugit. quo itinere magna pars suorum se proripiebat. Alij cæsi pulsíqúe in stagnum protrudebantur, quos sclopetarij venatoria arte passim opprimebant, vt tota palus Barbarorum cadaueribus

Guleta à Christianis expugnata.

1536 ueribus constrata videretur. Nostri paucis amissis omni tormentorum apparatu to-
tág; hostium classe sunt potiti, quo nihil iucundius Cæsari, Hariadeno verò acerbi-
us accidere potuit. Cæterum Barbarussa tanto accepto incommodo perturbatus
venientẽ ad se Sinam Iudæum ita infesto supercilio excepit, vt ignauiam ei & reli-
quis exprobraret, grauíq; admissi dedecoris cõtumelia prosequeretur. Ad ea tamẽ
Sinas pro omnibus ita respondit, & in tormentorum vim fortunã suam reiecit, vt
Hariadenus compresso animi dolore verborum contentioni finem imposuerit. po-
stea quoq; eos vehementer est cohortatus, vt secum pro republica salutéq; omni-
um aduersus hostes bellum sustinere vellent. præsertim cum Afrorum auxilia pas-
sim appropinquarent.

Cæsaris & Mulcaßis cõgressus.

Interea rex Mulcasses ex vlteriore Numidia, cum modico propinquorum comi-
tatu, ad Cæsarem in castra peruenit. Consederat Cæsar in sella regia medio in præto-
rio, in quòd Mulcasses admissus est, suo cultu mitratus, cui lintea fascia à mento de-
missa guttur protegebat, & tibias talaris adornabat vestis, è serico viridi & cyaneo
discolor. Erat is procera statura, subfusco vultu planéq; virili, sed oculorum lumine
ita peruerso, vt spectantes malignè contueri videretur. Postquã vero exosculatus
est Cæsaris dextram, tapete substrato humi collectis cruribus more patrio conse-
dit, & per interpretem in hanc sententiam locutus est: Nullo meo officio, Impera-
tor, prouocatus (quòd ita diuersæ religiones tulerunt) in hanc terram armatus ve-
nisti, instinctu Dei (quem & nos colimus) vlturus Tyrannum, de quo propè iam
partam victoriam ita prouideo, vt te vindice propediem cum pœnam daturũ spe-
rem. & eo quidem magis, quod victoriæ tuæ fructus ad me sit rediturus. me quidẽ
enim id tibi in primis vtile & decorum. Nec recuso vel tributum pendere, vel me
beneficiarij iuris nomine Christiani Imperatoris clientem profiteri. Cæsar ad ea re-
spondit: se ideo in Africam traiecisse, vt multorum temporum iniurias, quas Barba
russa suis regnis intulisset, armis vindicaret, & pyratas excinderet. Huic suo voto
Christum Deum successum dare, vt Tuneto capto victoria potiretur. Tum verò se
cuncta ei quæ ex vsu rerum forent concessurum, modò fidem non falleret. Postea
Mulcasses sese comem ducibus ostendit, & equum ascendit in quo hasta longa pe-
ritè quassata & cõuoluta in aduersos aut auersos ictus mirabiliter se exercuit, & se-
rio præliantibus nostris se admiscere cupiuit. per otium autem cùm philosophis de
natura vniuersi, de motu cœli, & potestate syderum ex Auerrois disciplina exactè
disputabat. Ei Cæsar tabernaculum tendi, & hospitalis munificẽtiæ munera præ-
beri iussit. Proceres quoq; eum humaniter susceperunt, & multa ab eo ad geren-
dum bellum opportuna didicerunt.

Caroli Cæsa ris fortitudo

Hæc suo ordine ad Cæsarẽ perlata eum in sua spe non dubiæ victoriæ cõfirma-
runt: itaq; quam primum vniuersas copias Tuneto admouẽdas decreuit. Cæterùm
parãdis his reb. cum impensè Cæsar vacaret, nostri quotidie varia prælia cum Nu-
midis serebant. Barbari em̃ æneis aliquot tormentis inter Oliueta dispositis pilas
cõtinenter in castra iaculabant̃. Ea re cognita Cæsar, omnib. Italis & veteranis cõ-
pluribus Germanis & Hispanis aggeri & castris præsidio constitutis, reliquas co-
pias & eqtatum educit, quum paulo antea Mõtegiũ eqtatui Hispanico præfectum
cõtra hostes præmisisset. Cum Barbaris aliquãdiu vario euentu certabat̃, donec &
ipse dux Montegius vel acerrimè pugnans, solido thorace Numidica cuspide pso-
rato grauiter sauciaretur, & idem vitæ periculum vulnere accepto Garzias Lasius
adiret, nõ modò genere, sed etiã Poetico Lauro perillustris. In eo concursu Cæsar
ipse (vti ante agmen armatus constiterat) D. Iacobum pro tessara clara voce appel
lauit, & in Barbaros ita inuectus est, vt non modò intrepidi ducis sed pugnacissimi
etiam militis officium præstaret, coronęq́ue ciuicę honorem promereretur, quum
Andream Pontium equitem è Betica nobilem equo perfosso deiectum & grauí-
ter in facie vulneratum, ideóque circumuentum ab hostibus, suo interuentu seruas-
set. Vni eo die paucissimi equites Græci duce Lazaro Coroneo Barbaros vsq;

adeo

adeò mirabili feriendi ac eludẽdi arte repellebant, vt sæpè terga dare cogerent. Per 1536
eos quoq; dies accidit vt triginta millia Barbarorum ad occupãdam turrim in antiquæ Carthaginis tumulo magno studio contenderent, in qua prius Cæsar præsidium paucorum militum reliquerat. Hostium agmen magus quidam sacerdos Numida superstitioso vlulatu ædito præibat, spargens circumquaq; quasdam syngraphas, quib. Christianis militibus dirum exitiũ imprecabatur. iãmq; nostros in turri igne & fumo vehementer præmebãt, quum Cęsar ipse promotis ordinibus eos inuasit, atq; Mago sacerdote ante alios interfecto, reliquos perculsos infugã cõiecit.

Christianorũ ordines.

Postea Cæsar præsidio Guletæ impositio, dirutæ munitionis aggerem restaurari captáq; tormenta more nostro subditis rotis reconcinnari iussit. Indéq; latè explorata regione quæ inter Oliueta & dextros stagni margines nudũ & expeditũ iter ad vrbem ostendebat, castra permouit, ita composito agminum ordine, vt parati ad pugnã instructa acie aduersus omnes insidias incursusq; Barbarorum iter facerẽt. Ad lęuum Itali stagno proximi, Hispani ad dextrã oliueta spectantes, mediam Germanorum phalangem suo incedentem passu vtrinq; tuebãtur. Iuxta hanc erant tormenta, & secundùm hæc impedimenta totius exercitus. In principijs erat Vastius penes quẽ concessu Cæsaris eo bello, eóq; præsertim die militaris imperij potestas erat. Albanus valido equitatu delectisque cohortib. cõfirmatus in postremo agmine curabat. Cęsari in medio apud vexilla locus fuerat attributus, cuius lateri cohęrebat Ludouicus regis Lusitanię frater. Italis erat adhortator princeps Salernitanus Hispanis Alarco dux vetus, & Germanis Maximilianus Eberstenius. sed cunctis ordinibus adequitans armatus Cæsar aderat alacri vultu, superiorum temporũ victorias cõmemorans, atq; cedentis arenæ molestias, pulueris & solis æstũ, ipsámq; deinde sitim aliquantisper ferrent admonens, vt opulentã prædam nanciscerentur. Succlamatum est à cũctis ordinib. ne his difficultatibus angeretur, sed speraret suos milites cuncta incõmoda æquissimis animis toleraturos, vt egregiè pugnando veterem spectatæ virtutis opinionẽ non fallerent, & ipsum non in Africa modò, sed & in Asia summæ gloriæ imperatorem cõstituerent. Subduxerat Vastius è dextra Hispanorũ acie duas sclopetariorum manus, vt cum Barbaris dispersim extraordinario pugnæ genere pręliarent, q; postremum agmẽ vndiq; carpebãt. Verùm Alban. ꝓeos sclopetarios & ad id aliq̃t equm turmas institutas fortiter hostes repellebat.

Sitis incommoda nostros turbat.

Iã ad cisternas quas Muleasses indicarat erat peruentum. hísq; procul cõspectis, nostri immodica siti fatiscẽtes, potandi desiderio abruptim ordines deserere & ad eas citato cursu deferri cœpunt, frustra vetãte Vastio, q magno incõmodo dissolui aciẽ in hostium ꝓpinquitate prouidebat. Quum ergo ille nihil ꝓficeret eo Cesar decurrit. vt ęgrè parẽtes in acie cõtineret: quosdã etiã properãtius se demergentes vt potarent hasta percussit. Tum quoq; Arpinas insignis centurio auidè potabundus in cisterna perijt. Per hunc modum ordines sunt restituti. Vastius autẽ pridie ꝓnunciari iusserat, vt quisq; miles vtriculum aquæ aut uini lagũculã sibi ad zonã subligaret, quod aliqui neglexerant. publica etiã diligẽtia per acies opportuna aduersus sitim remedia pleniorib. vasis circumferebãtur. nec defuêre, q propemodũ exanimati à ꝓximo cõmilitone aquæ semihaustũ binis aureis ægrè impetrarẽt. Mox postea signa aduersus hostes ꝓmota sunt. Barbarussa em̃, magnis peditũ & equitũ explicatis agminib. in qb. Barbarorũ consuetudine multa ad terrorẽ inanémq; speciẽ vexilla spectabant, ad tertium ab vrbe lapidem peruenerat, productisque aliquot currulib. tormentis nostrorũ aciem pturbare conabat. Vastius crebro displodente Barbarussa, nec vllum tñ Christianis detrimentum afferente, tormenta ꝓferri in primã aciei frontẽ iussit, vt his aduersi hostes peterẽt. Ea verò cum in arena tardius adduci possent, consiliũ repẽte mutat, Cæsarẽque edocet, in ea occasiõe, qua milites pugnæ desiderio flagrarent, rem militũ dextris & fortunæ cõmittendã, ne Barbaris mora interposita augeat animus, & nostris cõceptus ardor frigescat. Ad ea Cæsar pugnæ auidus respõdit: Si tibi hoc probatur, quòd disciplinæ ratio mihi pariter ostendit, signa canere iubeto. Vastius subintulit: placet. sed volo cum me tanti exercitus

1536 ercitus ducem hodie esse volueris, vt hinc ad mediam aciem discedas vbi sunt vexilla, ne fortè incidentis pilæ casu communis salus vnius periculo discrimen subeat. Ad id Cæsar subridens, & ne id timeret subdens, quando nullus Augustorũ tormenti violentia vnquam concidisset, atq; sese ad signa contulit.

Barbarorũ in vrbem recessus.

Pugnæ signo multo tympanorum crepitu & tubarum clangore ædito, in hostes est procursum pleniore ordinum gradu, vt emissas ab hoste pilas celeriter euitarẽt. Erat in procurrentium fronte Ferdinandus Gonzaga, qui concitato equo insignẽ Afrorum ducem hasta transfixit, districtóque gladio ita proximos perturbauit, vt consequentibus nostris hostilem aciem facilè perrumpendam præbuerit. Tanta autem extitit glandium procella, vt ante congressum trecenti amplius ex Barbaris sternerentur, ex reliquis peditibus consisteret nemo, sed agminatim desertis tormẽtis ad Barbarusse aciem confugerent. Is incumbentium nostrorum neq; vim neque conspectum diu tulit, sed præ dolore atq; ira dentibus infrendens equum conuertit, in vrbémq; cum Turcis est reuectus. Postquam enim suscepti consilij initia aduerso conatu minimè processerant, nequaquam vniuerso prælio decertandum rebatur, vt qui Cæsatis copias intolerandi æstus incommoda non diu perferre posse crederet, sperareteq; ab his hostium difficultatibus præberi sibi posse occasionẽ rei bene gerendæ, si tantisper defensis vrbis mœnibus cunctaretur. Numidarum autem & Afrorum agmina ad suburbana tecta diuerterunt. quidam ad Bardeos vsq; hortos sese extenderunt. reliqui in Rabatinorum ædificia vrbi coniuncta recepti sunt. Cæsar ea hostium fuga, quorum centum millium numerus esse ferebatur, magnopere lætatus, eodem in loco vbi hostis constiterat castrametatus est, inito statim consilio, vt sequenti die omnem tormentorum apparatum Tunetanis mœnibus admoueret. Interim Barbarussa metu perculsus Christiani nominis seruos occidere statuit, circumposito & incenso tormentario puluere, vt omnes in ergastulis concremaret. verum Sinas Iudæus facinus disuasit, testatus huiusmodi consiliũ viro forti indignum existimari. Itaq; Tyrannus concessa miseris vita, arce est egressus, & in maximo vrbis templo, Tunetanorum primoribus euocatis, quæ ad defensionem vrbis paranda essent edocuit.

Seruorum memorabile facinus

Hæc agente Barbarussa lætus dies miserrimis seruis illuxit. Id nanq; Tyranni vo tum diu cęlari non potuit. nam atrocis periculi rumor per arcem totam vsq; ad ergastula permanarat, misericordia quorundam libertorum, qui domini truculentiam abominati, tactiq; religione, primates seruorum sibi notos ad libertatem excitarant. In his fuerunt Franciscus è Medelino Hispaniæ oppido, & Vincentius Catareus Dalmata Eunuchus. Hi memorabile facinus ausi patefacto carceris aditu, erectis in occasionem ad abrumpendas Cathenas instrumenta præbuerunt. Atq; ita Dei miraculo circiter sex millia hominum varijs rebus saxisq́ue præsertim dextras armantium, in Turcas eruperunt, atque aliquot tumultuariè interfectis arcem occuparunt. mox etiam armamentarium refringunt, atque omni regia gaza, commeatu, armisqùe potiti, ab excelsa parte arcis de sua victoria Cęsarianis partim fumo partim flammis significant, expansóq; demum vexillo, quòd Sarmentinæ comorti prius ademptum fuerat. Hæc tametsi nostri nequaquam clare perspicerent, crebris tamen Tunetanorum ad Cęsarem transfugijs adducebantur, vt grauem apud hostes tumultum exortum crederent. mox etiam Cęsar expeditam manum, quæ seruis opem ferret, vbi atq; arci appropinquare iussit. Interea Hariadenus Ludęo, qui cõsilium euertisset, iratus ad arcem reuertitur. Obseruata autem porta supplex seruos orat, vt se cunctis parcere integra fide paratum extemplo recipiant. At illi iusto exacerbati odio in eum certatim lapides conijciunt sic vt ille ira & dolore prępeditus & furens in conspectos sua manu sagittas dirigeret, & rebus planè perditis in deformem fugam verteretur, secuta sunt fugientem Turcarum agmina quorum numerus septem millium summam implebat, eo consilio vt ad vrbẽ Hipponam se conferrent. Ibi enim suas triremes conscendere, mariq; reliquos fortunę suæ casus experiri volebat.

Cæsar

Cæsar vbi hostem desperatis rebus effugere, Bardeôsque prętergressum hortos 1536
extentis itineribus properare certius didicit, Tuneti portis omnes copias admouit. Aduentanti præstò fuerunt ciuitatis magistratus, qui allatis portarum clauibus deditionem fecerunt, parati cuncta quæ imperaret facere. Id vnum tamen petere, vt milites extra vrbẽ in castris continerentur, & ciuitatem inuiolatam susciperet: nihil enim milites ex vrbanis rerũ copijs desideraturos. Pro suis quoq; ciuib. deprecator aderat Mulealses. Sed Cæsar quòd de Punica fide non temere dubitabat, vt id polliceretur adduci non poterat, præsertim cum turbidas frequentium militum voces audiebat. Suspenso adhuc Cęsare, Vastius cum parua manu ad arcis portam accessit, & à seruis cum insigni gratulatione receptus fuit. Inspectanti autem Barbaricas opes, & arcis apparatum, seruus Ligur absconditæ pecuniæ latebras indicauit. demerserat enim Barbarussa ad triginta millia coronatorum in culeis insuorum. Hos Vastius à Cæsare donatiui nomine accepit. Verum arce in potestatem redacta & seruis cuncta diripientibus miles diutius contineri non potuit, quin agminatim intraret vrbem, & per cunctas regiones ad prædam discurreret, Tunetanis frustra Mulealsis fidem implorantibus. Primus inhiantium prædę impetus promiscua cæde cruentus fuit. Verum Cæsar sæuitiæ modum imposuit, pronunciariq; iussit capitale fore, si quis Tunetanum ciuem violaret, aut in seruitutem abduceret. Cæsar arcem ingressus, seruos collaudauit, diuisáq; viritim pecunia liberos fore dixit, pollicitus nauigia & commeatum quibus in suam terram transportarent. In ea arcis direptione tria detrimenta Mulealses deplorauit, inprimis vsum Arabicorum voluminum, quæ direpta bibliotheca perierunt. deinde vnguentorum odoratiq; Indici aromatis officinam, in quam prodigiosi sumptus inusitatæque luxurię ostentis opes contulerat. postremo varia pigmẽtorum genera, quæ ab ignaris militibus prætermissa & dissipata sunt. Ingens quoq; balistarum & nostri moris telorum & armorum, thoracúmq; præsertim ex laminis, & galearum apparatus, est repertus. agnitæque sunt in his cassides, ocreæ, & femoralia Gallorum equitum, ab eo tempore quo S. Ludouicus rex Galliæ Tunetum ante trecentos annos obsederat, à Pœnis de Christiano hoste parta, quæ ad eius belli memoriam custodita seruabantur.

Interea Hariadenus ad Bagradam amnem iter intẽdit, vadóq; reperto transgressus est, nequicquam persequente Numidarum ala, quam Mulealses ad id parauerat. Eo nanq; ordine Barbarussa iter habebat, vt postremo suorum agmine certis sclopetariorum & sagittariorum præsidijs confirmato facilè eos contemneret, & Hipponam intactus euaderet. tamen in Bagradæ amnis trãsitu Haydinum Smyrneum insignem pyratam desiderauit. Vbi Hipponam peruenit, recreandis copijs bidui quietem dedit, suósq; consolatus vt incommodum benignè ferant, idque nõ hostium virtuti, sed seruorum perfidiæ attribuant: sibi esse in animo classem educere, atq; inde continuo Algerium proficisci, vbi maioribus præsidijs comparatis rẽ ipsorum votis parem, & sua existimatione non indignam sit ausurus. Cum autem illi incredibili studio suam operam pollicerentur, triremes quatuordecim in stagno demersas admirabili celeritate educit, suisque impositis armamentis protinus exornat. In margine etiam stagni aggerem erigit, productáq; munitione in eam tormenta confert, non inani coniectura iudicans, non multo post nostrorum classem adfuturam, quæ egressum impediret. In eo quoq; consilio Cæsar versabatur, vt hostem euadere parantem præoccuparet. Ad eam rem conficiendam ab Auria Adamus centurio Genuensis delígitur, non magnopere rei naualis peritus, sed affinita te Auriæ & multis diuitijs æquè fidus & potens. Is certum triremium numerum socijs imperat & sublato vexillo, cum quatuordecim tantum rostratis ad Hipponã veniisset, Barbarussam summa celeritate classem eduxisse, & munitionem tormentis instruxisse didicit. Qua re vehementer perturbatus, certaminis aleam vitauit, proras obuerti iussit, ac velis remisque regreditur, vt maiorem partem classis accerset. Itaque Barbarussa modico Turcarum præsidio arci imposito, oram soluit, & Al

Barbarussa fuga.

1536 gieram nauigauit. Postea cum Sina Iudæo Bizantium contendit, atq; ad Iconium Solymanno redeunti ex bello Persico fortunam suam expossuit. Tyrannus eos clementi vultu accepit, atq; ad pedes proiectos erexit. ipsum enim maturè daturum operam vt sarciendi incommodi, spectatæque ipsorum virtutis latius extendendæ locus daretur.


Muleasses Cæsari subiectus.

Redeunte Adamo rebus infectis, principes ægerrimè tulerunt quòd exoptatæ victoriæ occasio elapsa esset. Itaq; Auria & Melitenses sua classe Hipponam contendunt. Cognito autem Barbarussæ discessu Auria vrbem cæpit murósq; diruit. arcí uerò, quam tormentis in potestatem redegit, præsidium imposuit, & cum suis ad Cæsarem rediit. Cum autem arx illa nisi magno sumptu defendi non poterat, ea Caroli iussu funditus fuit euersa. Exinde consultatum est de Muleasse. Cæsárq; eum Tuneti regem constituit, binósq; tantum falcones ad aucupium, & binos è Numidia Perníces equos tributi nomine quotannis imposuit, ea conditione vt Christiani nominis amicus. Turcarum vero gentis perpetuus hostis, Cæsaris nomen coleret, & Guletano præsidio (quod ex Hispanis amplius mille imponebatur) stipendium persolueret. Cogitatum subinde est de vrbe Africa oppugnanda, quæ olim Leptis fuit, & Turcarum valido præsidio tenebatur. sed aduersæ tempestates Clupeæ promontorium superare, seseqûe in sinum Adrimentinum inferre prohibuerunt, atq; ita classis Siciliam tenuit. Ibi Cæsar Iohannitarum classem ob præclaram nauatam operam collaudauit, atq; multa præda ditatam liberaliter à se dimisit. In primis verò Georgium classis præfectum virum strenuum amplexus, summis honoribus ornauit, atq; cum is post decem annos ad Alemanniæ prioratum euehere-tur, inter principes Romani Imperij cum omnibus successoribus assumpsit, vt suo loco dicetur. Propterea Melitenses equites opibus & honoribus aucti, domum Melitam reuersi sunt, vbi etiam à suo principe & fratribus ordinis magna gratulatione susceptí fuerunt. Cæsar verò Panhormí & Messanæ triumphalí pompa ex ceptus, donatusqûe passim pecunia Rhegium traiecit, & per Brutiorum oppida Neapolim peruenit.

OCTAVI LIBRI FINIS.

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MAriique fortiter geſtarum,

Liber nonus.



SOLYMANNVS Turca ob Tunetanam victoriam Chriſtianis omnibus, præſertim verò Carolo V. Imperatori, erat infenſiſſimus, atq; occaſionem quærebat vindictæ ſumendæ. odium verò illud augebatur quoque, quod Luſitanæ claſſes Arabici ſinus nauigationes intercluſiſſent, quibus Memphim atque Alexandriam aromata & odores, Indiæque omnis generis mercimonia aduehi in Europam ſolerent, magno quidem totius Aegypti vectigalium detrimento, quum ea mercium negociatio ferè omnis per immenſum Oceanum in Hiſpaniam auerteretur, diſpenſareturque inde per emporia Belgarum, Britannorúmq;, & extremæ Germaniæ, quarum regionum regna Venetorum aduectionibus repleri paulò antè ſolita conſtabat. Itaq; Solymannus Anno 1537 adhortante

1536 *Luſitanorũ in oriente cũ Turcis bellũ*

Aegypti præfecto ingentem triremium classem instituit, qua Lusitanos aggrederetur. Præerat tum Aegypto Solymannus Eunuchus natione Epyrota, propter militaris ingenij solertiam inter Bassas receptus. Is singulari studio octoginta insignium nauigiorum classem per artifices effecit, atque omnis generis tormentis armauit. In ea fuere rostratæ triremes viginti, biremes viginti septem, prælatæ verò (quas Galeacias vocant) ad ferenda maxima onera, quatuor atque capaciores naues, quas Mahonas vocant, septem: reliqua porro nauigia iustæ magnitudinis supradictam summam efficiebant. Hanc classem, per Arsinoes portam rubri maris in vastum pelagus deductam, Eunuchus conscendit, atque in India vario marte cum Hispanis bella gessit. Statuerat quoque Solymannus Habraymo sublato, cum classe in Italiam trajicere, atque Salentinorum regionem Epyro proximam occupare, vnde postea reliquas Christianorum prouincias inuadere posset.

Solymannus Italiam inuadit.

Sub id quoque tempus Troilus Pignatellus Neapolitanus exul se ad Solymannum pro transfuga contulerat, propterea quòd Petrus Toletanus prorex Andreæ eius fratrem, Rhodiæ militiæ equitem, aliquanto seuerius quàm ipse putarat, capitali supplicio condẽnasset. Is à Solymanno liberaliter susceptus, & inter Mutfaracas fuerat ascriptus, cuius ordinis equites è toto terrarum orbe lectissimi, quæ velint numina colere permittuntur, peculiaremqúe tantũ vni eunti ad bellum Imperatori operam præstant. Hunc Barbari idoneum fore iudicabant, quem ipsis inuadendæ Apuliæ consilijs adhiberent, tanquam multa de situ littorum atque opportunitatibus conditione opportuna traditurum, & cuncta ad id bellum secunda futurum pollicentem. Affirmabat enim Troilus eam esse Apulorum & Salentinorum voluntatem, vt oblata occasione à Cæsarianis, à quibus immodicis tributis diu vexati essent, omnino deficerent, modò Galli aliqui conspicerentur, quibus se dederent. His persuasionibus Tyrannus adductus terra mariqúe vno tempore Italiæ arma inferre constituit. Classis autem numerosa in Ionium delata, à Cephalenijs & Zacinthijs penè prius spectata est, quam Veneti iustam classem ad tuendam ipsorum ditionis oram versus Corcyram nauigare, atque inde terrestres & maritimos Barbarorum motus obseruare possent. Cæterum Solymãnus è Thracia profectus, emensusqúe totius Macedoniæ latitudinem, ad Scardos montes perrexit, & per eorum valles ad mare descendit. Nec multò post Luftibeius & Barbarossa ab Hellesponto Maleam superantes, ad Ficerium portum aquandæ causa peruenerunt. Indeqúe Acarnaniæ & Epiri litora lambentes, præteruectiqúe Corcyram, vbi Veneta classis Hieronymo Pisaurio præfecto stationem habebat, mutua salutatione multis tormentorum bombis celebrata, per piscosas fauces ad Aulonem classis partem intulerunt.

Salentini à Turcis vastati.

Tum vero Solymannus Italiam, quam habebat in conspectu, statim petendam ratus, vt si cœpta prosperè prouenirent, ipse etiam totis copijs trajiceret, Luftibeium & Barbarussam transfretare, atque Salentinorum voluntates explorare iussit. Aderat eis Troilus exul nauandæ operæ cupidus. Is vti rerum peritus, quòd insignes vrbes Brundusium & Hidruntem egregiè munitas Cæsarianorum præsidijs teneri intelligebat, ab Iapigio promontorio ad Castrum oppidum deflexit. distat id octo millibus passuum ab Hidrunte, habetqúe arcem collis dorso impositam. Id erat ditionis Mercurini Catinariæ: qui improuiso Barbarorum aduentu territus ita deditionem fecit, vt illi ab omni maleficio se temperaturos pollicerentur, præsertim quod Forestium regis Galliæ legatum adesse existimaret. Qui tamen ad Aulonem substiterat, lethali morbo oppressus, vbi paucos post dies interijt. Itaque Barbari, nauales qúe prẽsertim turmę, prędę inhiantes, nulliusqúe imperio parentes oppidum sublato clamore diripuerunt, delectęqúe ętatis captiuos cum Mercurino ad classem deduxerunt. Verum Luftibeius pudore abruptę fidei perfusus, Mercurinum incolumem dimisit. Eodẽ etiam tempore magnus omnis generis hominum, & maioris pecoris numerus, toto Salentino littore ab equitibus Turcis interceptus est, sic ut à Tarento Brundusium vsque Salentinus ager magno metu quatere-

quateretur. Eodem tempore Andreas Auria Cæsareanæ classis præfectus apud Messanam certior factus est Solymannum ad Aulonem positis castris constitisse, classemq; eius eodem peruenisse. Itaq; Melitēses equites fortissimos cum sua classe ad se acciuit, & superato Spartiventi promontorio per Ionium vela dedit, atque ad Zacynthum & Cephaleniam vsq; obuiam progressus est, sperans sese aliquibus hostium nauigijs occursurum. 1536

Incidit tum fortè Auria in aliquot eius generis nauigia, quæ à Turcis Schiratia vocantur. Ea erant onusta varij generis commeatus copia, & lino Alexandrino, quæ ad Solymannum contendebant. Cum ea procul Auriana vexilla conspexerant, Veneta & amica esse iudicabant. vbi vero suum errorem propius cognouissent, nihil tentata defensione sese irrumpenti Auriæ dediderunt, qui omnibus Turcis vel Aegyptijs captis & ad transtra triremium traductis, translata continuò in triremes præda, nauigia incendit. Tum etiam Solymanni alias duas biremes occupauit. His Iunusbeius supremæ authoritatis interpres, quem Barbari Dragomanem vocant, à Solymanno ad præfectum classis pro legato missus, Corcyram aduehebatur. Cum enim Turcæ insulæ appropinquantes nullam honoris causa de more salutationis signum fecissent, Veneti aliquot trierarchi indignantes in eas hostilem impetum fecerunt, & in littus Turcas se eijcere coegerūt, ita vt magna pars Turcarum cū ipso Iunusbeio ab Acroceraunis caperētur. Iunusbeius tamē præsenti precio se redimens ad Solymannum est deductus. eas triremes vacuas Auria nactus, vt semifractas incendit. Ex ea re Barbari in Venetos odij sui vim omnem intenderunt, ita vt pacis abrumpendæ initia quęsita fuerint, eóq; properantius, quòd per eos dies Auria omnes portus explorando, nactus duodecim hostium triremes apud Merleias insulas nocturno & cruento prælio deleuerat. Erant ibi Ianizeri ex prætorianorum ordine atque delecti equites quos Spachos vocant, qui incredibili virtute propugnantes triginta quinque triremium impetum ita sustinuerunt, vt faucij fessi q; pugnando occumbere, quàm se dedere maluerint. Ea autem victoria non multum Auriam lætatum fuisse constat, quum magnum numerum ex propugnatoribus suis amiserit & ipse Antonius Auria vehemēter vulneratus discesserit. Parta victoria Andreas ad Leucam promontorium orientale Corcyræ classem cōtulit, vt aliena suáq; incommoda certius inspiceret. Nec mora, quòd audiret Barbarussam à Solymanno cum 80 triremibus aduersum se proficisci, anteuertit iter, & abductis aliquot hostium triremibus captiuis, feliciter Ionium emensus ad Lacinium promontorium peruenit, atq; inde Messanā ad repetendam classem traiecit.

Triremes Turcicæ occupatæ.

Hoc insigni ab Auria & Rhodijs militibus detrimento affectum & à Venetis lacessitum Solymannum, vsque adeò acri iracundia exarsisse ferunt, vt Barbarussæ maledicendo asperrimè succenseret, quòd per incuriam nusquam vtilem operam præstitutisset. Venetis autem grauissimè comminatus capitalis odij clades denuncia ret, à quibus se despectatum, & uana antiquæ pacis specie deceptum differebat, ita vt eos procul dubio cum Cæsare ab occulta societate consensisse iudicaret. Eos propterea Aurianos consilio & commeatibus iuuisse, atque portubus recepisse. In hunc modum suapte natura inflammatum Iunisbeius, Barbarussa, & Aiax nouis additis facibus vt pacem abrumperet incitabant. Illi enim proximis insulis Corcyræ præsertim, Zacintho, & Cephaleniæ inhiabant, postquam in Italia ad inuadendum expugnandum q; omnia duriora spe ipsorum essent inuenturi. Itaque Solymannus ira percitus commutato consilio bellum aduersus Venetos decernit, & ab Aulone castra mouens ad Communitiam contendit. Quum eo in litore castra haberēt, Acroceraunij agrestes feriq; homines consiliū susceperunt tabernacu-li regij noctu inuadendi, vt incredibili præda, atque inusitati facinoris gloria potirentur. sed illis ad id audendum facinus paratis fortuna defuit. nam dux ipse Damianus è notis rupibus delapsus ad explorandum prætorij situm, vigiles non fefellit. conspectus enim in arbore ex fragore abruptæ frondis, vti erat semipensilis à

Solymannus bellum contra Venetos decernit.

1536 lanizeris est comprehensus, & per tormenta detectis insidijs beluæ captæ modo discerptus. Emissis postea Asappis & Acanzis, venationis modo, ad trucidandam & delendam horridæ gentis stirpem. Ab hac enim genus ducunt Huscochi maritimi prædones Dalmatiæ scopulis asueti, & Haydones qui Illyricis nemoribus inerrant, & cunctis mortalibus ex professo hostes, vsq; ad interiores Pannonias latrocinia exercent.

Corcyra frustra oppugnata.

Postea Solymannus Corcyram oppugnare constituit, & Barbarussam cum omni tormentorum apparatu in insulam transgredi iussit. Hisce Turcarum consilijs perspectis, Pisaurius vtramque arcem oppidi aucto præsidio communiuit, & se imparem mari Barbaris fore iudicans, cum vniuersa classe ab insula se subduxit, & in Hadriaticum sinum profectus est, vt cum socia altera Veneta classe, cui Ioannes Vetturius præerat, se coniungeret, & littora tueretur, postquam & Auria & Melitenses sibi auxilio futuros confideret. In id quoque consilium, si pugnandum foret Alexandrum Buondelmerium, qui cum ingenti Galeone circa Zacynthum erat, admonuit vt in Dalmatiam ad se nauigaret. Interea Solymannus magnam copiarum suarum partem ad diripiendos Corcyreorum vicos transmisit, qui omnes pagos perscrutati infinitam miseræ gentis multitudinem in seruitutem abduxerunt. Ad oppidum verò Aiax & Barbarussa accesserunt, singulis aduecti nauiculis, vt certius quæ opportuna essent ad oppugnandum specularentur. sed ea visa est turriti oppidi & frequenti præsidio confirmati, portusque munitio, vt eam Solymanno inexpugnabilem esse diceret. Aloysius etiam Ripa & Simon Leonius suburbana tecta magnifica vltrò excederant, & imbellem multitudinem oppido expulerant, vt certius & diutius hosti resistere possent. Tum etiam Angelocastrum ex omnibus Corcyreorum castellis in mediterraneis insulæ, ad decimũquintum lapidẽ ab vrbe positum, frustra oppugnantibus Turcis oppidanorum virtute defensum fuit. Turcæ quoque ad terrendos Corcyreos occupato monte multa tabernacula in ea constituerant, & è scopulo (qui Maripetrus vocatur) maiores pilas in oppidum contorserunt vt plerosque in corona mœnium certis ictibus vulnerarent, & circumuecti triremibus è proris maiora tormenta disploderent. Cum autem nihil proficerent Solymannus susceptæ expeditionis pertæsus soluere obsidionem & Constantinopolim reuerti constituit, non sine pudore irriti conatus, quòd in Salentinis & Corcyræ fortuna eius fefellisset vota.

Venetarum & Turcarũ varia fortuna.

Cum Tyrannus per Acarnaniam & Aetoliam cum sedecim millibus omnis sexus & ætatis hominibus domum esset reuersus, dedit operam vt Cassinus Bassa omnibus Veneti imperij vrbibus bellum inferretur. idem vt facerent Illyrici præfectis imperauit. Barbarussa quoque sua classe Butretum oppidum subito occupauit & deleuit. Econtrà verò Pisaurius Scardonam vrbem, quam Aethiops Turca tuebatur (à fuscedine oris sic dictus) oppugnandam decreuit. decussis etiam toto muro, propugnaculis impetu facto in vrbem perruperunt, & cæsis auctis captis hostibus eam diripuerunt. & vetera mœnia funditus euerterunt, ne Turcæ repetita possessione opportunæ vrbis castellum ibi ædificarent. Postea Obroatium oppidum Gabrielem Ripeum oppugnare iussit, qui inopinantes Turcas aggressus plurimos trucidauit. Sed quia muralibus tormentis carebant, & idcirco de expugnatione desperarent, superuentu Amurathis & Turcarum equitatu terrore perculsi in fugam coniecti, & profligati fuerunt, eo exitu vt vix Gabriel conscenso equo desertisque militibus cædi se eriperet: itaque ignauiæ ignominia notatus in ipsa prætoriæ prora capite plexus fuit. Hoc modo Amurathes ad Vstrefum totius Illyrij præfectum victor rediit, cum paulo ante quoque ad Clissam insignem cladẽ Christianis attulisset. Erat enim supra vrbẽ Salonam oppidũ Clissa in edito colle permunitũ, quod à Petro Crossicio tenebat. id his in locis ad sustinẽdas

Turca-

Turcarum incursiones erat opportunum. Cum autem ipse viribus diffideret ad Ferdinandi regis & Pauli Pontificis auxilia confugit, vt eorum ope adiutus se atque oppidum tueretur. Huic itaque Pontifex aliquot cohortes Anconæ conscriptas, cum instrumentis bellicis & commeatu, Ferdinandus vero Nicolaum Turrianum cum duobus millibus Germanis transmisit, vt amicis, sociis in summa necessitate succurrerent. 1537

Turcæ per id tempus duo castella erexerant vt Clissam arctius obsiderent. Itaque Turrianus, & Lucas Anconitanus vtrumque castellum adorti eas munitiones diruere cœperunt. Ibi fortè Amurathes cum trecentis equitibus & septingentis expeditis peditibus superuenit, ab illo Illyrici præfecto missus. Vnde terribili impetu facto clamoreque sublato nostros tanta vi inuasit, vt profligati terga verterent. Petrus quoque ipse quum incitato equo ad mare peruenisset, se in nauigium contulit, vt ad salutem compendio paruæ nauigationis vteretur, præsertim cum impius hostis summa festinatione insequeretur. Cæterum id nauigium prægrauante insilientium multitudine propelli in altum mare è vado arenoso non potuit, sic vt Turcæ superuenientes in nauem insilirent, trucidatisque omnibus ademptum Petri caput ad Amurathem referrent, quo capite Clissanis ostentato, oppidani desperatis rebus aufugerunt, & vacuum oppidum victori reliquerunt. Turrianus autem & Lucas cum media suorum parte euaserunt. Mox etiam Amurathes Nadinum castellum Iadrensis agri, quod est in edito monte pro specula positum, per proditionem auari custodis occupauit, magno eius prouinciæ incommodo. Sed Veneti his exagitati iniurijs non multo pòst misso in Dalmatiam, qui Iaderæ præesset, Camillo Vrsino, paria ferè hostibus detrimenta rependerunt. Nam ab Laurana oppide coactis copijs duo præfecti in Turcicos fines progressi, Ostrouizzam oppidum expugnarunt & incenderunt. Obroatium etiam, quod nuper amiserant, receperunt, sed id quod non recte custodiri posse iudicabatur, ab Vrsino ex præscripto senatus dirutum, & solo æquatum fuit. Per idem tempus Melitenses quoque in omnem occasionem intenti sua classe Mediterraneum mare Græciam versus peruagantes, Turcis magna damna intulerunt, & aliquot eorum nauigia interceperunt. *Clissa à Turcis occupata*

Eodem vero autumno quo Solymannus Byzantium ex Corcyra redierat, & de Dalmatiæ castellis cum Venetis certabatur, grauissimum damnum Ferdinando regi ad Exechium à Turcis fuit illatum. Superiore enim bello Turcæ à Mugaciano prælio victores eam citerioris Pannoniæ regionem, quæ Possega ab Hungaris appellatur, sibi vendicarant, eo decreto vt nequaquam Ioanni regi tradendam sed sibi retinendam existimarent, propter opportunitatem itineris, quo ipsi superato ad Belgradum Danubio peruasuri in Vngariam vti consueuissent. Possegam duo amnes Sauus & Drauus, longo cursu ab occasu in orientem versi, æquali ferè spacio totam præcingunt. Eo tempore præerat Belgrado Mahometes Iahiaoglis, vir prudẽs & fortis, qui superiore anno supra triginta castella regiæ ditionis, quæ ad Despotis Rasciæ patrimonium pertinebant, in potestatem redegerat, & Illyricæ præfecturæ, quæ Bosnensis dicitur, adiecerat. Vnum verum Exechium accuratè muniuit, quod ad traiectum Drauí in Pannoniam pertinere prouidebat. Eum etiam locum belli arcem fecit, vnde innumerabiles agebat prædas, ac arma nostris insidiosus inferebat. manebat tamen certa inducíarum conditio, quæ ibi minuta prælia & incursiones extraordinarias admittebat, nisi iustis copijs cum tormentorum muralium apparatu vis inferretur. His de causis Ferdinandus lacessitus, paranda arma iudicauit eo consilio, vt si Turcas Possega depelleret, inde mox superato Drauo Budam aduersus Iohannem proficiscceretur. Non deerant tamen qui dicerent non temere bellum contra potentem hostem, nisi communi Europæ principum consensu, suscipiendum. Verum Vngari usque adeo erectis animis in id maximum bellum ardebant, vt *Ferdinandus bellum Turcis mouet.*

1537 hac occasione neglecta se nunquam postea aduersus Turcas arma laturos confu-
marent.

Bellicus apparatus partium.

Itaque rex Ferdinandus vndique pios & fortissimos quosque milites ad sacrum bellum euocat breuique iustus exercitus efficitur, in quo phalanx erat Germanici peditatus, cui tanquam cornua aliquot Italicæ cohortes aderant, quos Ludouicus Lodronius in Tridētinis alpibus & in Gallia cisalpina mox conscripserat. Hic peculiari imperio peditatum regebat. Coiuerant etiam ad regia vexilla Bohemi equites, & Silesij Morauique his coniuncti, qui fulgentibus armis tegebantur, quibus Ioannes Macer præerat. Carinthios quoque & Styriæ equites ducta-bat Ioannes Vnganotus. Hungari magna ex parte peltati, qui Vsarones appellantur à Paulo Bachitio ac Ludouico Pechrio regebantur. Horum omnium numerus octo millium equitum, & sedecim millium peditum censebatur, quibus omnis generis tormentorum apparatus aderat. Hisce omnibus imperabat Ioannes Cazzianer Croatus, qui defensæ vrbis Viēnæ fama inclytus euaserat. erat autem is turbidæ & præcipitis mentis, vt multis leuis armaturæ equitum alæ, quàm totius exercitus præfectura dignior videretur. At Mahometes his rebus cognitis, è proximis Pannoniæ præsidijs milites accersit. Budæ etiam præsides ei auxilia transmittunt. Bosnensis vero Vstrephus ante alios Amurathem alumnum suum, recenti Clissana victoria clarum, cum numerosa equitum manu ad ipsum direxit. Huic etiam pedites ex feris & montanis hominibus pecunia conductis adduntur. Eam turbam Ianizeri Prætoriani ex præsidijs deducti, & à Belgrado ac Samandria euocati, regebant. Hos sequebantur multi ex Rascianis & Seruianis spe stipendiorum & prædæ allecti. hisce omnibus coactis Machometes nostris obuiam processit, & ad Exechium hostes expectare constituit.

Christiani ad Exechiū veniunt.

Iam Cazzianer ad Caprunzam oppidum peruenerat, satis accurate antea constitutis rei frumentariæ rationibus, si eius præcepis commeatus curatores celeritate & diligentia respondissent, vt Simon zagabriensis Episcopus promiserat. Verum nostrorum conuectiones Mahometes perturbabat, atque per alas equitum intercipiebat. Itaque Cazzianer à Caprunza eo ordine mouet, vt alternis diebus modo ipse modo Schlithius Bohemus præcederent, atque decimo die ad arcem Veruczæ peruenirent. nam propter septem prægrandia tormenta tardius procedendum. Vnde & tum à peritis annonæ penuria prouideri ceperat. Postea Paulus Bachitius cum ala mille Vsaronum præmittitur, & duabus cohortibus Italicorum sclopetariorum, qui ad zopiam arcem præcurrat, & ex captiuis hostium consilia cognoscat. Id cum Turcæ ad zopiam sentirent statim aurecto omni commeatu, & incensa arce ad naues confugerunt. Ex his tamen aliquot in fuga captis, Paulus cognouit Machometis esse consilium vt ad Exechium castris positis hostem expectaret. Eo biduo Saxonum equitum ala superuenit, & commeatus non procul abesse nunciabatur. disputatur in consilio an progredi, aut socios operiri expediret? Est mons qui Sclauoniam atque Possegam diuidit, qui in longum protenditur, à dextra eius montis radice per Possegam, à sinistra Sclauoniam iter ad Ezechium patet. Igitur statuunt omissa Possega per Sclauoniā iter faciundum. Antecessit vsq; ad zopiam Ladislaus Moreus cū trecentis Vsaronibus, quibus cathaphracti Saxonum cum duobus vexillis præsidio succedunt. Illinc octo diebus ad Valponium arcem munitam Petri Perenij perueniunt. occurrebat progressuris Crastus fluuius. Lubi dum pons efficitur, ad traiectum septem dies immotis castris absumuntur. Postea extemplò procedendum esse statuunt, & copias recensent.

Velitationes cum Turcis.

Censa sunt ad decem millia equitum vtriusque armaturæ, sed peditatus vehementer erat imminutus, vtpote qui vix octo millium integrorum militum esset, alijs morbo languentibus, inter quos etiam Iulius Hardechus erat. Tertio die perueniunt in vallem, ad tertium ab Exechio lapidem, atque ibi castramentantur. Postridie Turcarum agmen conspicitur, & à nostris acies instruitur, verum id nullo certamine comminuis edito tormētis tantum maioribus egregie repellitur.

Sequen-

Sequenti die effusis ab oppido hostibus leuia certamina conseruntur, & multis v- 1537
trinque interfectis æquo Marte discedítur. Eo die zagabriensis antistes cum suo equitatu aliquantáque annonæ copia superuenit, cuius aduentu apud nostros timor de inedia minuitur, sed interdicuntur à ducibus leuia certamina, quod plures ex nostris vulnerarentur. Interim tamen in prodeuntes Turcas maiora tormenta diriguntur, quibus ea detrimenta sumebant, vti & ipsi leuia certamina vitare cuperent. Hoc periculo animaduerso Mahometes in proxima palude Nazadas multas sclopetarijs completas constituit, quæ totius paludis margines obsiderent, & nostros aquatione prohiberent, castra etiam nostra minorum falconum globulis infestarent. Valli nostrorum imminebat collis, in quo erat pagus vbi Turcæ constiterant leui prælio nostros excepturi. Ad eos deijciendos postero die ab omnibus ad arma conclamatur, instruiturqúe acies, ac in progredientes tormenta displodi iubentur, eo successu vt Turcæ locum deserere cogerentur. Superato colle, Exechium in planicie ad Drauí ripam positum conspicitur, ad duo millia passuum à colle.

Ibi Cazzianer loco idoneo castrametatur, sed cum pilæ tormentorum Eze- *Christiani laborãt inedia*
chium attingere non possent, castra in æditam planiciem ipsa valle superiorem, atque ideo oppidi mœnia æquantem transferunt, tormentisqúe murum adoriri constituunt. Tum vero Mahometes nostrorum consilio animaduerso, in saltum mille expeditos equites & Ianizarorum sclopetariorum manum præmittit, qui vltimum nostrorum agmen quod ex Italico & forti Bohemico pedite constabat carpant. Hisce laborantibus Carinthij equites subsidio aduolant, & hostes in fugam conijciunt. Postero die summo diluculo nostri castris egrediuntur, & post decoram armorum ostentationem hosti pugnandi copiam faciunt. Mahometes de nostra inedia certior factus suos pugnam flagitantes, & à Solymanno admonitus, obsidionem ferre statuerat. Cum hoc modo nostri pugnandi auidi distinerentur, absumptoqúe omni commeatu exercitus inedia permeretur, ita vt certissimus futuræ cladis timor omnium mentes occuparet, Balthasar Pamphilus Hungarus in consilio admonuit, castra statim ad Hermandum castellum mouenda, vt eius expugnati loci commeatu vniuersus exercitus recrearetur. Aberat id ab Exechio decem milibus passuum, in quod plerique Turcarum vxores suas & liberos, atque item preciosiores sarcinas contulerant. Erat castello pagus coniunctus, intercedente non magna fossa, murus autem quadrati ambitus sine extantibus propugnaculis, vt nullo prope negotio expugnari posse videretur. Laudatur ab omnibus consilium, ipseqúe Pamphilus præmittitur ad exploran dos castellanorum animos, & ad pagum occupandum. arridet cœpto fortuna, sed in dedito pago tritici multò minus opinione sua inuenit, vini autem aliquot vegetes, cuius copia languentibus militibus opportuna erat. Ad eam famam castra ad Hermandum mouentur, secunda noctis vigilia mox etiam ex pago castellum tormentis oppugnari cœptum. protracto certamine ad meridiem, Turcæ deditionem fecerunt. Aperto castello bina tantum farinæ tritici, & totidem milij vasa reperta sunt.

Duces id incommodum dissimilant, & stolidæ suæ credulitatis vitium incu- *Ducũ inter se dissensio.*
sant, pollicentur tamen exercitui amplissimam commeatus copiam, instaurato ponte subiecti fluminis. Siquidem Bodrogus amnis ab aduersa parte oppidi decurrit ita profundus & cœnosus, vt vadari nequeat, propterea Turcæ muniendi sui causa demptis asseribus pontem sustulerant. Sicqúe continenti trium dierum labori pons reficitur. Postea currus totius exercitus transuehuntur, cum minoribus tormentis. post hæc & sex è maioribus transmissa sunt, sed sub septimo pons onere fatiscens est interruptus. septimo autem die cunctis rebus traductis pons iterum fuit intercisus. Superato Bodrogo disputatur in consilio an maiora tormenta ad expeditius iter sint confringenda, ne his potiantur hostes, & versus Valponium in locum opportunissimum redeundum, vbi copiæ escu-

1537 esculentarum rerum copijs recreari queant. At alij per Possegam redeundum & oppidum Iuuancha ex itinere expugnandum, quum in eo magna frumenti & vini copia à Barbaris seruaretur. neque etiam tormẽta diffringenda, quę essent totius prouincię præsidium, sed si extremi casus necessitas ferret, stilis ferreis per spiramenta adactis esse configenda, præsertim cum nihil turpius sit, quàm rebus infectis de receptu cogitare. In hanc sententiam Cazzianer & magna pars ducum trahitur. Itaque indicta profectione magna cum difficultate tria millia passuum conficiuntur, eoque modo vesperi nostri pariter & hostes Iuuancham perueniunt. Sub hoc castello erat oppidulum, cuius incolæ nostris portas aperiunt, neque milites ingressi à præda contineri potuerunt. Eadem nocte hostes oppidum incendunt, & cum vndique imminerent, ad arma conclamatur, inalbescente cœlo diuersis in locis acri certamine dimicatur, sed vehementius ad Bohemorum turmas, vbi etiam Petrus Rascinius Mareschalckus fortissimè dimicans cum multis suorum concidit. Tum vero nostri duces de profectione statuentes, quaternis curruum ordinibus latera claudunt, & fortissimos milites in fronte & fine collocant.

Nostrorum perturbatio

Hac re Machometes animaduersa, expeditos Ianizeros & Martellosios præmisit & angustias occupare iussit, vt ibi nostros perturbarent, alas etiam equitum apertis in locis instare & agmina nostra distinere præcepit. Hac Barbarorum astuta velocitate nostri passim multa vulnera & incommoda etulerunt, ipseque Paulus Bachitius falconis globulo interfectus est, quum & plerique viri fortes ex Hũgaris cecidissent. Iis incommodis & commeatuum inopia nostri milites afflicti, extremæ calamitatis casum horrebant, præsertim cum Turcis noua auxilia aduentare dicerentur, simulque prospicerent ex Vsaronibus plures præsumpta fuga saluti suæ consulere. Quum vero in campum oppido Garæ subiectum esset peruentum, nunciabatur hostes proximas syluas decisis arboribus præsepsisse, ne per eas vel tormenta vel currus traduci, & equites nisi dissolutis turmis induci possent. Ea res nostris magnum mœrorem attulit, præsertim quuum Ladislaus Moreus diceret duas tantum euadendi vias supereſſe: alteram qua per syluas eas itinere decem millium passuum ad Valponium ibatur, alteram versus castellum Zentuerzebeth Ladislai ditionis, quę via si caperetur, hostes ob locorũ angustias à nostris persequendis cessaturos. sed in consilio præfertur via quæ Valponium ducebat, quod illic satis esset commeatuum, & pecunia à rege Ferdinando in stipendium missa. Itaque dimissis illis tormentis quæ conuehi non poterant, atq; corruptis instrumentis & sarcinis, quæ equis imponi nequibant, properandum esse censent, siquidem obiectos arborum truncos paruo aurigarum labore dissici posse prædicabant. Profectionis vero signum futurum instrumentum Musicum, quo fistulatores è turribus auroram prænunciant, & à Germanis Schalmeyen vocatur: signi dãdi cura Cazzianero data. Hæc quum pugnantibus sententijs in consilio iactarentur, res eo deducta est, vt quisque ducum perturbato iudicio vnam spem salutis in fugam collocaret.

Duces aliqui fugam exercitum relinquunt.

Ex aduerso Mahometes per exploratores singulis horis de nostrorum incommodis certior factus, intentis excubijs & insessis longè latéque per equitum turmas itineribus, nostrorum motus obseruabat, vt nostros disiunctos ac dissipatos in locis opportunis inuaderent, ita vt equitatus & peditatus eius, magna lunati flexus indagine, nostros inclusisse viderentur. Erat iam prope exactum secundæ vigiliæ tempus insomnésque omnes exeundi signum expectabant, vt minimum quódque moræ spacium singulis ingratum esset, ita vt aliquot duces vecordi instinctu discedere, & iniussu cæteros anteire properarent. Initium ab Vngaris ortum, qui tramitum notitia freti Valponium versus contenderunt. Hos Ladislaus Moreus imitatus, ad zentuerzebeth castellum suum contendit. Eos quoque Stiriaci omnes Ioanne Vnganotto duce properantibus turmis secuti sunt. Idem

dem fugæ consilium sibi quoque antistes zagabriensis præsumpserat, cuius in- 1537
gens Lucerna per syluas errabunda noscebatur. Interim Cazzianero trepido nunciatur aliquos effugisse: itaque reliquos nihil expectato plane vecors equum ascendit, oblitusque signi dandi sese in fugam coniecit, deserto prætorio, quod erat argentea supellectile opulentum. In eo tumultu Ladronius excitatur, qui se à maxima copiarum equestrium parte desertum frustra proditum quæritur, nihilominus tamen pedites hortatur, vt pristinæ virtutis memores, iniquam rerum sortem vna fortitudine superent, sibi omnino constitutum ipsos repulsis hostibus in pacata loca reducere, aut vnà secum egregiè pugnando decoro exitu mortem oppetere. Mox etiam Carinthij Saxones, Austriaci, & Bohemi equites, qui ignominiosæ fugæ comites esse noluerant, ad Lodronnium concurrunt, obsecrantes vt pro desertore duce imperij munus susciperet ipsos enim quæ iuberentur facere non recusaturos. Id quòd tamen non suscepit, sed quam diu licuit, cum conditione fortiter exercuit.

Christianorum strages.

Quum concionaretur ad milites, ac omnem fugæ spem detestaretur, Veteranus Germanus miles subintulit. Neque vero Lodroni, dux optime, vsque adeo turpis fuga apud te videri potest, quum eam nobili equo euectus circumspectare existimari possis. Intellexit Lodronius argutiam ingentique animo in pedes descendens, stricto gladio equi suffragines detruncauit, exclamans: Hodie commilitones me ducem pariter & militem pedibus pari sorte vobiscum pugnantem habebitis, vos date operam ne opinionem meam fallatis. Reliquos suos equos languentibus notis militibus dono dedit. Vix primæ legionum cohortes sublatis vexillis castrorum septis exierant, quum Barbari vndique truci vlulatu ingruentes sese circumfuderunt, & multa simul prælia ex itinere ab equitatu conseri cœpta sunt. In his primò Carinthiorum dux ardentissimè pugnans, cum viginti quatuor illustris nominis equitibus, capto eorum signifero, primo trucidati fuerunt. Alio in loco cruentissimè pugnarum est cum Saxonibus, Misnijs, Thuringis, & Francis. horum enim vel eximia virtute depugnantium supra triginta sex splendidiores, aut præfecti, aut signiferi, aut alarum legati occubuerunt, Cuchenricho Saxonum primario duce capto, qui postea in vinculis apud Barbaros perijt. Eadem quoque irritæ virtutis sorte Austriani, elabente Nicolao Turriano eorum præfecto, aliquandiu resistentes ad extremum deleti sunt. Verùm longè maxima cædes ædita est in Bohemos equites, quum nemo circumuentis opem ferret, & dux ipse Slithius è media cæde maturius quàm oportebat se recepisset. Peditum vero phalangem à lanizeris Asapisque, qui tantum eminus sclopetis & sagittis rem gerebant, magno detrimento affectam Amurathes cum Bosnensibus alis è diuersa parte inductis ita perfregit, vt conturbatis vexillis tota solueretur, ac concideretur. Lodronius ipse equitum incursu in palustrem locum adactus est. Ibi quum grauiter sauciatus supremæ virtutis conatum ædidisset, adhortantibus Barbaris cum tribus cohortibus ita in deditionem est receptus, vt cum reliquis suis proiectis ad terram armis seruaretur. Iam enim Barbaros cædis satietas cœperat, præsertim cùm ad prædam sese conuerterent.

Turcarum proteruitas.

Machometes victoria potitus & direptis nostrorum castris in pratulo cadaueribus repurgato consedit, epulatúsque hilariter, nobiles captiuos, splendida spolia & vexilla ad se deferri iussit, laudatísque palàm omnibus præfectis, his qui detruncata capita, aut decisas nares, & annulatas dextras afferebant, statim pecuniæ præmia tribuebat. Lodronius vero cùm graui ex vulnere iactationem ferre nec viuus cùm reliquis captiuis Byzantium perduci posse videretur, à custodibus est interfectus, & caput eò transmissum. Nam sicuti nonnulli viri nobiles, & in his Laurentius Streytbergus & Dietmarus Losensteinius retulerunt, quitandè ingenti redempti pecunia ad patriam, familiam charissimam, pœnatesq; suos

1537 suos postlimino reuersi sunt: inter captiuos qui à Machomete cum vexillis conspicuisque aliquot castrensis apparatus instrumentis, splendidisque præsertim & inauratis thoracibus & galeis, per legatos Solymanno offerebantur, tria summorum ducum capita argentea in pelui conspecta agnitaque sunt. Ea fuêre Pauli Bachitij, Ioannis Macri, Ludouicique Lodronij. Ea Tyrannus obliquis oculis aspexit, & tã quam tabo fluẽtia auersatus fuit, mox autem atroci nutu iussit, vt captiui illico cæderentur, sed deprecantibus Ianizeris, vt quos strenuè pugnantes sub fide cœpissent, tanquam viros fortes seruare vellet, qui in seruitute fortem operam ipsis præstare posse crederentur, remisit vultum, militibúsq; obtemperando, multi fuerunt humaniter in vita conseruati.

Cazzianeri perfidia punita.

Ipse vero Cazzianer quum ad castellum suum profugisset, à cunctis proditionis exercitus accusabatur, & tanquam publicæ cladis author maledictis incessabatur, quibus execrationibus perstrictus à Ferdinando postulauit, vt sibi tutò venire ad dicendam causam liceret. Concessit id rex, exceptusque est ambiguo vultu. sed cũ eius cognitio aliquanto longius protraheretur, atque ipse interim honesta sub custodia seruaretur, Cazzianer moræ impatiens & de salute sua dubitans, effugere quàm iudicium expectare maluit. simulato nanq; morbo, lateritium sub cubili patimentum noctu sensim per commissuras cultello scalpens, vno atque altero latere culo facile exempto, subiectam testudinem aperuit; atque inde ex linteis lodicibus effecto fune se dimisit & effugit, quum paratos extra arcem equos celeres ad fugã arripuisset. Nec multo pòst rebus desperatis ad Turcas transiuit, eum Machomete libenter suscipiente, pollicenteque præter stipendia totius Croatiæ præfecturã, si Solymanno syncera fide ad subigẽdas Austriacas vrbes operam præstaret. Tum vero constituta transitione, cum Nicolao Sdrinio eiusdem prouinciæ ꝓcere fidẽtius agere cœpit, vt vnà secum transiret, in spem certissimi præmij, quando Solymãnus erga ambos beneficentissimè acturus existimari deberet. Promisit tum Sdrinius, aut se promittere simulauit, in sententiam inuitantis concessurum, paratáque transitione cum ala familiarium equitum ei transeunti comitem futurum. Verum Sdrinius amicum veterem nihil tale domi suæ expectantem post epulas obtruncauit, atque detruncatum caput ad Ferdinandum misit, à quo Cazzianeri castellum ac omnem eius substantiam, in præmij locum, dono accepit.

Cæsaris, Venetorum & Põtificis fœdus.

Interea Veneti diuersis Turcarum iniurijs terra marique insolenter exagitati, quum Solymannus Corcyra vrbe impotenter oppugnata multóq; immanius peruastata insula superbe pacem abrupisset, & tum in Pelopõneso Epidaurum & Nauplium ipsorum ditionis vrbes per Cassinium Bassam continenter obsideret atque oppugnaret, nullam sibi moram attulerunt, quin aduersus Tyrannum nullas vel iustæ satisfactionis vel demissæ precationis rationes admittentem, bellum gerendum censerent, inuitantibus eos Cæsarianis & Melitensibus, ac Paulo põtifice plurimum adhortante. Itaque per totam hyemem diligenter elaboratum est de numero generéque classium, de militibus imponendis, & de ascisendis socijs, vt quam validissima classis in proximam æstatem distributa in principes portione pararetur, & in Græciam aduersus Barbarum tyrannum educeretur. In id consilium Paulus pontifex ad sextum idus februarij in Vaticano Romæ senatum habuit, & cum Cæsare ac Venetis fœdus iniit, sub his conditionibus: vt Cæsar cum Rhodijs octoginta duas triremes instituerent, totidem quoque Veneti, & pontifex triginta sex, vt ducentarum triremium numerus efficeretur. Renunciati quoque sunt classium duces: Cæsarianæ Andreas Auria: Venetæ Vincentius Capellius: pontificiæ autem Marcus Grimanus patriarcha Aquileiensis, quibus Paulus Iustinianus adiutor datus. Cautum vero est, vt si discedendum in hostile littus foret, Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus cum imperio præesset, & si quid de Barbaro hoste siue in Græcia, aut Dalmatia pararetur, id Veneto imperio toties à Barbaris lacerato adderet. Cæsar autem socijs tritici Siculi venalem copiam æquo precio præberet, ac sine vectigali exportari sineret.

Soly-

Solymannus quum aduersus se maritima arma parari prospiceret Hariadenum Barbarussam exornare classem iussit, vt maturè Hellesponto egressus hostibus occurreret, & quanta posset detrimenta insulis Venetis inferret. Quo accepto imperio Barbarussa ingenti cura classem refecit, ac omni militari apparatu diligenter instruxit. Hellesponto Gallipolicq; profectus in Cretam insulam cum centum triginta nauibus cursum direxit, primumcq; omnium superato Cyamo promontorio Caneam vrbem adortus, magnam suorum partem temere exposuit. Nam Gritto prætore vrbem tuente, Turcarum impetus eum habuit successum, vt quum vndique è mœnibus tormentis peterentur, atque aliquot cohortes eruptione facta hostes inuasissent, Barbarussa multis suorum amissis receptui canere cogeretur. Constat eũ supra mille Turcas qui longius prædatum processerãt deseruisse, qui ad vnum omnes postea à Cretensibus armatis interfecti sunt. Exinde Drepano promontorio superato, in Amphimaleum sinum classem intulit, quum Ioannem Morum totius Insulę prefectum Cydonijs opem allaturum didicisset. Inde ad Retimum processit, pariq; euentu ab ea vrbe repulsus fuit. Mox deflexit ad vrbem Candiam, quæ olim Cytheum fuit, & hodie toti insulæ nomen præbet. Hanc Barbarus munitissimam adoriri non est ausus, sed sese ad orientale insulæ caput Salmonium conuertit, Ceciliumq; oppidulum ab incolis desertum incendit, atq; ita à Cretensibus littoribus decessit. Nam Vincentium Capellium Venetæ classis præfectum, qui iam Corcyram appulisset, Cretensibus rebus maturam opem allaturam intelligebat.

1537 *Creta frustra à Turcis oppugnata.*

Per idem tempus circa Melitam insulam magnæ turbæ exortæ sunt. nam Hispanorum cohortes stipendijs fraudatis ad Guletam seditionem excitarãt. Propterea Bernardinus Mendocius Hispanicæ classis præfectus Afrorum arma veritus, ea labe hominum Africam exonerare cogitauit, ac omnes in Siciliam trãsuexit. Cum eò venerant nec pecuniam à Gonzagâ acceperãt, Hispani ad sex millium numerũ agros atq; oppida impetu facto inuaserunt, & circa Messanam vicum Castanetum, Montefortem, & S. Luciam occuparũt & diripuerunt. His rebus cognitis Gonzaga Aluarem Sandeum Siculos armare, & seditiosos opprimere iussit. Nihil his minis Hispani territi, verum impetu facto omnem eam Siculorum turbam profligarunt, & in altos montes confugere coegerunt. Inde præfectorum & signiferorum loco, qui ab ipsis discesserant, tribunos crearunt, & hisce omnibus Herediam præposuerunt, qui prius cucullatus sacerdos, & ob habitas sacras conciones facundus existimabatur. Is ad oppidum Randatium copias duxit & vi occupauit, vbi partiti inter se hospitia per tres menses hybernarunt. His tantis contumelijs Gonzaga affectus tametsi vera vi ac armis ea latrocinia coercenda existimaret, tamen quod veteranam militum manum nisi multo cum sanguine superari non posse prouideret, seditiosos primò pacare, & postea eorum insolentiam vlcisci statuit. Itaq; per Aluarum Sandeum, Ioãnem Vargam, Sancium Alerconum, & Alfonsum Viuem antiquos eorum præfectos, impuritatem maleficij, & quatuor mensium stipẽdia præsenti pecunia promisit, si ad sanitatem redirent. Id si abnuerẽt, nemini eorũ unquã ad penates reditum in Hispaniam fore, atq; omnes simul vt perfidiæ damnatos totius Siciliæ arma aduersus se experturos. hocq; modo ad officium redierũt. Postea tamen Heredias & huius seditionis authores diuersis locis intercepti, ac in crucem sublati fuerunt. quod quidem Gonzagæ factum Cæsar approbauit.

Hispanorũ seditio punita.

Ea seditione composita Andreas Auria superato Messanæ freto Melitenses socios suscepit, atque ad Corcyram insulam cursum intendit, eò enim & Venetorum classis conuenerat, cui sese coniunxit. Tum vero Barbarussa Ambracio sinu cum tota Ottomannica classe se continebat, & ibi nostros propter arctas fauces expectare videbatur, tanquam ex æquissimo loco dispositis vtrinque tormentis intrantes oppressurus. Paulo siquidem antea Grimanus Patriarcha cum pontificijs triremibus progressus è Corcyra, ad fauces eiusdem sinus Præuesam oppidum in Actia eo promontorio admotis triremium proris oppugnare adortus fuerat. Cum etiam milites cum tribus tormentis in terram exposuissent, & Præuesæ castellum ita con-

Christianorum ingens classis.

1537 cussisset vt expugnari posse videretur, Turcę ab Aetolia cum valida equitum & pe-
ditum manu obsessis auxilio venerunt. Itaq; Patriarcha sublatis in naues tormentis
Corcyram redijt, nihil eius consilij pertæsus, postquam eius sinus angustias explo-
rasset, & hostium classem toto sinu ad anchoras stantem prospexisset. Concesserant
tum classes nostræ in Comunitiæ portum, ac consultabant quid primum tentan-
dum foret. Tandem in eam sententiam ituri, vt si hostis extra sinum ad pugnam eli
ci non posset, superare Leucadem, ipsamq; Neritum saxis asperam, & directo cur-
su in Naupactum sinum classem inferre, vbi & expugnari possit Naupactum op-
pidum, & multa alia quę ad intimum sinum Corinthiacúmq;. Isthmum pertinerẽt.
sic etiam accidere posse vt Barbarussa suorum periculo permotus sinu egrederetur
& conserendæ pugnæ facultatem ipsis præberet. Exinde Auria constitutis classis
ordinibus ad Prævesam contendit, & ita omnes naues (quarum ducentę quinqua-
ginta erãt) extendit, vt ab hoste facile numerari potuerint. quo spectaculo magnus
timor Barbarussæ animum incessit, qui ingenti classis apparatu vehementissimè
permouebatur, ita vt quidam Eunuchus Barbarussæ à Solymanno comes datus, e-
um cunctantem insolenter obiurgaret, quod in prouocantes Christianos non sta-
tim sinu erumperet, & eos adoriretur.

Turcarũ classis promota. Eunucho adhuc sic vociferante, Barbarussa ad Salechum archipyratam conuer
sus, inquit: nobis vt video vel iniqua conditione pugnæ fortuna tentanda est, ne
huius semiuiri latrantis delatione pereamus, atq; ita classem educere cœpit, quum
iam Auria ad Leucadem vela flectere iuberet, ratus hostem his faucibus nõ egres-
surum. callido vero Barbarus consilio vsus, proris in hostes obuersis, terræ puppes
applicauit, vt si à nostra classe vrgeretur, milites exponeret, ac saltem nauigiorum
iacturam faceret. Cæterum Auria ea eruptione hostium commotus, animum egre
giè componit, & classem ad ineundam pugnam comparare sese, & prætoriæ suæ si-
gna sequi iubet. Iam tota Turcarum classis in apertum pelagus euaserat, eo ordine
vt Hariadenus ipse mediam teneret aciem, vbi eius prætoria purpureis vexillis cõ
spiciebatur. dextrum latus obtinebat Tabaches, sinistrum vero Salecus, pari propè
triremium numero instructi, quarum erant centum & quinquaginta. Antecede-
bant classem triremes viginti velocissimæ, quibus Dragutes archipyrata præerat,
multis postea in nostros maleficijs clarus. Capellius Venetus erat pugnæ ineundę
auidus, itaque ad Auriam accedens primam aciem deposcebat. Egit gratias Au-
ria, laudatóq; eius studio rogauit, vt se præcũtẽ subsequeretur: se enim quid fieri vel
let opportunè signum daturum.

Classiũ velitationes. Iam prima Turcarum biremium manus ad Galeonem appropinquabat, & aliq̃t
triremes à Saleco missæ id ingens nauigium oppugnabant, ita tamen vt non mul-
tum vtrinq; proficeretur. Nam Bondelmerius eius nauis præfectus expectabat, vt
propius accederetur, ex improuiso sæuam omnis generis tormẽtorum procellam
in subeuntes effusurus. neq; eum fefellit opinio: nam Turcæ audacius accedentes
adeo graui glandium & pilarum grãdine perfusi sunt, vt inhibere remos & magno
accepto detrimento trepidè se recipere cogerẽtur. Auria interim reuocabat naues
quæ præcesserant, & triremium trierarchos hortabatur, vt se ad pugnam confirma-
rent, paratíq; essent ad imperia, quum tubę cantu atque explicato maximo vexillo
signum daretur. In eo autem consilio erat Auria vt, nisi onerariarum nauium fretus
præsidio, confligendum sibi non esse iudicaret. Idem astutus hostis prouidebat,
qui pari vtrinque triremium concursu procul ab onerarijs, quæ castellorum instar
erant, dimicare cupiebat. Sed Auria crebro rotatu classem suam circumibat, vt ad
se hostiles triremes pelliceret, & in prouectas è castellis certius tormenta dirigere
iuberet, atque ipse demum in perturbatas directis proris inueheretur. Interim sub-
sistente Barbarussa, & quorsum ea hostis flexuosa nauigatio recideret spectante,
quod dolum aliquem suspectaret, cornuum suorum triremes iam vergente ad oc-
casum sole diuersis in locis rem gerebant. pars enim in oppugnando Galeone fru-
stra perseuerabat, pars aggressa onerarias duas ita grauiter coniectis in eas pilis af-
flixerat,

flixerat, vt perituræ crederentur. duas etiam triremes sub ipsum crepusculum Salecus intercepit. 1538

Cum hac ratione ad omnem pugnæ occasionem vtraq; pars attenta esset, grauis imber cum tonitru & procella, flantibus Euris, exorta est. nec dubitauêre nostri cum vidissent Barbaros attollere dolones, quin & ipsi præeunte Auria dolonibus simul & maioribus expansis velis se inde explicarent, & ad Corcyram vnde venerant verterentur, vsq; adeo dissipatis agminibus, vt intento etiam remigio nequaquam se recipere sed effugere viderentur. Ferunt Barbarussam nostros eodem vento ad aliquantum spacium persecutum tandem substitisse, atq; cum lumina in prætorijs extincta videret, dixisse: Ergo Auria lumen abijcit, vt certius fugã suam tenebris recondat. Nec multo post ad Paxum insulam prouocabũdus ad pugnam peruenit, quæ centum stadijs ab vltimo orientali Corcyræ promõtorio distat. Quamobrem Gonzaga fremens singulos duces adijt, & rogauit, vt insolentis Barbari vires retundere niterentur. résque eò deducta est, vt quaterna acie hostem inuadere decernerent. Verùm hæc consultatio tam diu prolata est, vt Barbarussa circa nonas octobris aduersam tempestatem metuens in sinum Ambracium reuerteretur. Ab ipso hostis discessu de expugnando Dyrrachio cogitatum est. sed quum eius litoris stationes nauigijs malefidæ dicerentur, non multo post in Rizonicum sinum cursum direxerunt, vt Castronouum Turcicæ ditionis oppidum expugnarent. oppidani partim Dalmatici partim Epirotici sunt generis. sed qui iam pridem immixti Turcis à Christiana religione defecerant, & mercaturæ studerent. arx etiam ipsa à paucis Turcis custodiebatur. Itaque intrantibus in sinum classibus, magna vi tormentis admotis, oppidum expugnatum & occupatum fuit. Multa eius oppidi præda fuit, & ingens incolarum multitudo vtriusque sexus in seruitutem abducta. Triduo post superius castellum Turcæ præsidiarij, frustra pacti incolumen fore libertatem & vitam, dediderunt.

Christianorũ receptus.

Quum autem id oppidum cõmunibus viribus captum ex fœdere Venetis deberetur, occupatum est à Hispanis, quos Auria & Gonzaga extra Italiam alere cupiebant. Itaque repugnante Capellio Franciscus Sarmentus cum quatuor millibus veteranorum militum, qui apud Insubres prius à scelerata secessione regionem ad Galeritum oppidum peruastarant, Castronouo præpositus est. Eam rem senatus Venetus molestissimè tulit, præsertim dum considerarent gentem eam imperij auidam & rapinis asuetam, Catarensibus facile vim allaturam. Vnde auerso à Cæsareanis animo eius detrimentosæ expeditionis pœnitebat, ita vt in spem pacis inducias à Solymanno petendas esse decernerent, quæ etiam opera Laurentij Gritti celeriter impetratæ sunt, quoniam Antonius Rinco regis Galliæ legatus Byzantij purpuratos docuerat, id fœdus quod apud Neapolim cum Cæsare initum fuerat, magnæ parti senatus displicuisse. Quum hæc agerentur Barbarussa classem eduxit vt Castrensibus opem ferret. sed quum ad Saxonem insulam peruenisset, aduersa tempestate oborta aliquot triremium iacturam fecit, quas atrox ventus Africo & Austro permixtus Acrocerauniis cautibus illiserat, id quod ex armamentis eiusqúe naufragijs fragmentis toto Dalmatico littore cernebatur. Ea re cognita Capellius censuit Barbarussam persequendum, cui consilio Gonzaga faueebat, qui amissum decus ad Leucadem nobili facinore redimendum esse dissuebat. Sed Auria multis de causis consilium improbabat, ac sibi in Italiam redeundum statuebat, ita vt continuò vela uentis daret, plurimum indignante Capellio.

Cæsareanorum & Venetorum dissensio.

Cæterum Castronouo capto & Hispanorum præsidio munito, Solymannus adeò grauiter tulit, vt magno apparatu id oppidum terra marique repetendum deterreret. Igitur ineunte vere Tyranni iussu Barbarussa classem refecit, atque omni genere apparatu egregiè instruxit. decretus quoque est in id bellum dux alter, qui terra rem gereret Vlamenes Persa, qui in demortui Vstrephi locum in præfectura Illyrica suffectus fuerat. Hic operam dedit, vt septem Sanzachi cum eo-

Castronouũ à Turcis obsessum.

1538 rum equitum aſuetis turmis è proximis regionibus ſibi adiungerentur, conduxitqúe agreſte hominum genus in omne belli facinus paratum & expeditum. Itaque adulta æſtate, quum Barbaruſſa educta Helleſponto claſſe in Rizonicum ſinum peruenisſet, Vlamines cum triginta millibus equitum & peditum ſeſe in ſummis montibus oſtendit. Sed Barbaruſſa prius quam fauces intrarat, Draguthem cum triginta validis biremibus ad explorandum præmiſit, ita vt ad mœnia accedentes ſinu quodam à tormentis ſe protegerent, indéque aquatum ad proximum fontem in terram exirent. in hos extemplo Sarmentus aliquot pedites & equites emiſit, commiſſoqúe certamine Turcæ multis eorum interfectis & captis terga dare, & ad Galeotas adnatare coacti ſunt. Exinde Barbaruſſa cum nonaginta triremibus applicuit, totumqúe triduum abſumpſit in exponendis tormentis, exigendisqúe eorum munitionibus, quæ niſi noctu perfici poterant propter perpetuam tormentorum procellã, quæ ab Hiſpanis effundebatur, ſic vt eo triduo amplius mille Turcarum tormentis interfecti ſint, in quibus & Agis Hariadenus cecidit, qui in Africa ad Taioream iuxta Tripolim ſe regem effecerat, & Melitenſibus multum ſem per damni dederat, cuius morte Barbaruſſa non mediocri dolore affectus fuit.

Hiſpanorũ cædes. Tandem Barbaruſſa operibus perfectis ſupra quinquaginta quatuor maioris generis tormenta promouit. ex hoc numero quartã partẽ Vlameni dedit, vt à Septentrione oppugnationem inſtitueret. Ipſe enim ab oriente è triplici loco murum quatere cœperat. A mari quoq; Salecus admotis triremium proris certũ propugnaculi locum oppugnare iuſſus, nihil intermiſit, q̃ ad oppidi expugnationem facere videretur. Itaq; quum Sarmentus tot ruinis vno tempore ſeſe opponere conaret, Turcę perampla turri potiti ſunt, in qua Barbaricũ vexillum ſtatim erexerunt, atq; tormẽtis Hiſpanos læſerunt. Mox etiam Sarmentus ad ima eius turris fundamenta cuniculum agi iuſſit, vt inopinantes hoſtes eius ruina opprimerent. ſed ea res aduerſum habuit euentum. nam quum ignis ſubderetur, ea materia pluueris tardè flammam corripuit, ita vt fruſtra in hoſtes exitum quæreret, & flamma in noſtros reuerberaretur, multósq; igne correptos abſumeret: accidit etiam vt eodẽ tempore Vlamenes aliquam muri partem proſterneret, & Barbari tanquam victores irrumperent. Quib. difficultatib. Sarmentus adductus edixit, vt milites fauciati ſeſe in arcẽ reciperent, reliqui vero ſupremum bellicæ virtutis conatũ ædituri medio in foro ſe cõglobarent. Nec mora cruentiſſimum irruentibus Turcis certamen eſt æditum, ſed noſtris iniquius cum plenus imber ſclopetariis funiculorum ignes extinxiſſet, & non modo haſtis ſed & gladiis vterentur, cũ interim Turcæ innumerabiles ſagittas in noſtros ſpargerent. Hoc modo noſtri ad vnum ferè oẽs fortiſſimè repugnantes ſunt trucidati. Cecidit ibi Cuſanus Burgundus, atq; Sarmentus tribus ſagittis confixus, vnà cum Ioanne Cantabro, Dominico Ariadeno, Seronio Tarraconenſi, & Oliuerio Valẽtino. Qua ſuorũ cæde Aloyſius Arius & octingenti qui cũ eo in arcẽ cõfugerant, deterriti, vexillo expãſo, deditionẽ fecerũt, et in ſeruitutẽ abducti ſunt.

Turcarũ arma in Indiã prolata. Ea victoria Tyrannus inflatus Cattaro vrbi inhiare cœpit, præſertim cum Venetiarũ cuſtodes Rizanum caſtellum in propinquo poſitum, tot hoſtium conſpectu perterriti dedidiſſent. vnde minacib. literis prętorẽ vrbis ſolicitabat ad vrbem dedẽdam. Erat is Matheus Ioannes Bembus patritij ordinis, inſigni virtute & animi conſtantia prædítus. Is Barbaroſſæ reſpondet, nullum ibi Turcis ius eſſe. propterea ſi vim inferret, eum recentium inducíarum leges violaturum. quod ſi vero iniquo iudicio rem ad arma deducere cuperet, ipſum daturum operam vt vim illatam propulſaret. Ad ea Barbarus ſubiratus aliquot triremes promouit, diſploſisqúe tormentis oppugnaturi ſpeciem prębuit. Cui Bembus totidem tormentorum ſuorum pilis reſpondit, & armatos in mœnibus oſtendit. Qua re animaduerſa Barbaruſſa remos inhibuit, & ad Caſtronouum redijt. Eodem etiam anno 1538 Ottomanica arma ad oppugnandos Luſitanos in Indiam vſque prolata ſunt. Aedificata eum ad Arſinoes portum rubri maris ingenti claſſe, Solymannus Eunuchus cum Moro Alexandrino ſinus Arabici anguſtias egreſſus, præteruectuſq; mare Perſicum,

ad In-

ad Indum vsque amnem peruenerat, magnisque viribus Dium vrbem Lusitano- 1538
rum portum, ad fluminis fauces positum, oppugnarat. sed cum Lusitanos indomitæ virtutis esse reperisset, incœpto absistere & desertis maioribus tormentis ad Ademum regem redire coactus fuit. Ibi regem sub fide ad se euocatum in antenna prætoriæ suspendit, & eius Gazam diripuit. pari sæuitia zibitimum regem interfecit, atque postea terrestri itinere Mecham vrbem Machometis sepulchri claram adijt, vt se apud pseudoprophetæ fontem expiandis tot sceleribus ablueret, Moro cum classe ad Suetiam aut Arsinoes portum redire iusso.

Venetorum pax cũ Turcis.

Eodem fere tempore Carolus Imperator & Franciscus Galliæ rex, qui diuturnum bellum magno Christianorum damno inter se gesserant, in Colloquium venerunt, & omnibus spem præbuerunt pacis conficiendæ, præsertim cum Carolus per Galliam iter faceret, & Belgiam peteret. Ea enim confecta, communibus auxilijs Christianos Turcas aggredi atque Barbaros opprimere posse dicebatur. Itaque Alfonsus Daualus Cæsaris in Italia dux summus, & Hanibaldus Gallicis copijs ad Taurinum præfectus, ab vtroque rege Carolo & Francisco Venetias Legati missi, vt patribus persuaderent, de communi bello contra Turcas suscipiendo. Ea res diu dubijs suffragijs in senatu fuit agitata, præsertim cum totum tempus inducíarum fere effluxerat, & magna frumenti inopia inciderat, vt sæua fames in propinquo spectaretur. Cum autem nihil certi de Cæsaris & Galli pace adferri posset, Veneti Alboysium Badoerium ad Solymannum ablegant, vt pacem conficeret. Eam etiam ea conditione obtinuit, vt Nauplium & Epidaurum in Peloponneso Venetæ ditionis Turcis cederent. præterea duo Dalmatiæ castella Nadinum atque Labrana, idque graui totius senatus dolore qui iniquam eam transactionem vix admiserat. Hacque ratione Cæsaris certa spes de nouo fœdere cum Venetis ineundo, & de bello contra Turcas suscipiendo in nihilum abijt. nulla quoque firma pax inter Carolum et Franciscum subsecuta fuit, magno Reipublicę Christianæ detrimento. Id quod Melitenses equites rerum experientia prudentes, & pontifici & Cæsari certò futurum prædixerant.

Ioãnis regis Vngariæ obitus.

Paulo post exortum est in Pannonia bellum repentina morte Ioannis regis, qui tum in Transyluana prouinciæ præfectos minus dicto audientes armis persequebatur. Confecerat is antea cum Ferdinando pacem Hungaris exoptatam, quibus in partes diductis cauebatur, vt fortunæ incolumes manerent, vrbes vero & arces, quæ tum in potestate essent, suo quisque præsidio tueretur. Ioannem vero Ferdinandus regem appellaret. In fœdere autem diserte fuerat appositum, si Ioannes vita decederet, Ferdinandus totius Pannoniæ imperio potiretur. Ea quidam Solymanno detexit, & Ioanni magnum odium conflauit, quòd tamen ille multo auro purpuratis dato diluit. Postea Ioannes Isabellam Sigismundi regis filiam vxorem duxit, Hungaris idem petentibus. Cum autem noua nupta grauida esset, Ioannes expeditionem contra Maylatum & Balassum Transyluaniæ præfectos suscepit, qui ibidem regium nomen affectabant, atque à Solymanno auxilia postularant. Itaque Ioannes, qui id à Turca cognouerat, præmissis belli ducibus in Transyluaniam contendit, & vtrunque ad officium retrahere statuit. Ibi Maylatus viribus impar in oppidum Fogarat se contulit, atque à regijs obsessus fuit. Interea regi ægrotanti nunciatum in castris fuit, reginam fœlici partu puerum peperisse. Tum etiam rex Hungaris lætantibus adfuit, & febrim potando reuocauit, cuius vim diu sustinere non potuit. Quum vero finem vitæ adesse sentiret, filium testamento reliquit hęredem, & paulo post obijt. Suppressa est tantisper mors eius, dum cum Maylato de compositione transigeretur. Mox etiam legationem cum muneribus ad Solymannum decreuerunt, & ei puerum commendarunt. Postea regis cadauer apud Albam regalem in regum sepulchro conditum, & infans S. Stephani corona mox rex Vngariæ coronatus, atq; in Baptismate Stephanus dictus fuit. Georgio etiam Varadiensi Episcopo pueri tutela commissa.

1539 *Ferdinandi Turcica expeditio.*

At Ferdinandus nunciata morte Ioannis, repetendæ Vngarię cupidus, arma parauit. Inprimis verò Nicolaum Salmam Budã ad reginam legatum misit, qui tabulas nouissimi fœderis protulit, & eam regno cedere iussit. Concessit tamen puero Sepusianam prouinciam reginęq; peramplos redditus. Laschus quoq; à Ferdinãdo ad Solymannum missus, vt Tyranni animũ muneríb. placaret. Exceptus Budæ Salma ægrè impetrauit, vt ad reginam admitteret. Tandem vero Salmæ mandata explicanti ipse demissè respõdit: Eã esse fortunã sexus & ætatis suæ, vt orbata rege cõiuge, & diuturnis corporis & animi doloríb. perturbata, neq; suscipere neq; terminare consiliũ queat, quum in re grauissima Sigismũdũ patrẽ consulendũ existimet. Salma eo modo dimissus, quũ ad Ferdinandũ redijsset, reginam in potestate Georgij esse, nec eam effari quicquã, nisi prius ex ore illius acceptũ retulit: propterea sibi videri spẽ oẽm in armis esse positam. sed celeritate vtendum, vt imparati Buda pellerentur. Nec mora Ferdinandus, Cæsare pecuniã suppeditante, equites & pedites conscripsit, ac iustum exercitum secundo amne Danubio Strigoniũ demittit. Præerat Aristrianis copijs Leonardus Velsius è Rhetia superiore. is multis de causis aperiendum iter ad Budam arbitrabatur. occurrebat enim medio ferè itinere Vicegradũ, q in ędito monte conspicuũ & munitam arcem habebat. Itaq; eam arcẽ Velsius nouem diebus oppugnauit, & tandem tormentis ita concussit, vt in potestatẽ redegerit, amissis circiter ducentis suorũ. Qui in præsidio erãt oẽs interfecti, aut cũ suo duce Valentino literato capti fuerunt. Tum demũ à Vicegrado, puectus, classe amnẽ transgreditur, Pestumq; occupat ab hostíb. desertum. Pari modo Vacciam sine vulnere suscepit. nec mora ad citeriorem ripam cõuersa classe reuertitur, promotisq; inde castris ad Budam est profectus, vt per colloquia Budensium animos tentaret, & reginæ consilia exploraret. Mox etiam Perenus, Stephanus Rascaius, & Franciscus Francopanes Agrienſis antistes nobilissimi Vngari, ad Ferdinãdũ defecerũt.

Buda frustra obsessa.

Eo tempore Velsius obsessurus potius quam oppugnaturus vrbem ad aquas calidas castra locauerat, quæ in occasum vergunt, & duodecim stadijs à mœnibus distant. Agebant vndiq; prædas Germani, idq; iniquo animo à socijs Hungaris ferebatur, quum plerique aut sua aut propinquorum pecora diripi, ac incendi pagos, & trahi uinctos imbelles agricolas viderent, ita vt sæpe cum Germanis armis cõtendere cogerẽtur. Ex altera parte Budenses equitũ alas emittebant, quib. Germanos egressos castris inuadebant, & finitimos vicos ab iniuria hostium tuebantur. Nam Valentinus Thuracus, qui militare imperium obtinebat, mirificum equitatũ in vrbem acciuerat. Dum eo modo nostri ad Aquas calidas sederent, Balthasar Pamphilus Vngarus à castris ad portam vrbis euagatus, postulauit à custodib. cum Valentino colloquium. Itaq; statim is cum turma suorum fuit receptus. aliquanto post in castra rediit, dicens se cum ducib. hilariter compotasse, collustrandóq; vrbem inspexisse præsidia, tormenta, aggeres, quibus Budam nisi ampliore apparatu, & cõmodiore anni tempore, ac maioribus copijs, expugnari nõ posse crederet. Ea res Velsium vehementer commouit, vsq; adeo vt iratè succensendo Pamphilũ castris excedere iuberet, q iniussu Budam intrarit, ac insolenti priuataq; libidine cum hostibus colloquendo, attingendóq; eorum vires, totius exercitus animos fracta spe victoriæ debilitarit. Itaq; Velsius nihil tentata oppugnatione, discedens ad Albam Regalem contendit, ac per Perenum vrbem in fidem Ferdinandi reduxit, & præsidiũ imposuit. His rebus gestis Velsius copias ad Strigonium reduxit, & in hybernas distribuit. Pestum quoq; nouis munitionibus firmatum præsidio muniuit, propterea quod fama ferebatur Turcas vicinos arma parare.

Turcarũ in Vngariam aduentus.

Implorarat regina à finitimis Turcarum præfectis maturam opem. Illi erant Vstrephus Bosnensis, Mahometes Belgradensis, & Amurathes in Dalmatię finibus consistens. Illi responderunt, se copias inconsulto Solymanno minime finibus educturos. His de causis regina diu frustra Turcas obtestata, ad legatos suos qui Byzãtij erant omnes difficultates perscripsit, vt per eos Solymannus imminẽtis periculi certior redderet. Nondum peruenerat Laschus Byzantium, morbo præuctus, sed præmi-

præmiserat Ptolemeum Ariminensem Medicum ad purpuratos, Luftibeium præ- 1541
sertim, veterem amicum. sed eius aduentus frustra erat. Nam Solymannus ius & di
gnitatem suam defendere statuens, viduam & pupillam protegere voluit. Itaq; ad-
uocatis legatis, dixit, se eo animo Ioanni regnū dedisse vt ad liberos eius transmit-
teretur. proinde se arma sumpturum, daturumqúe operam ne Germani hostes il-
lati belli exitu lætarẽtur. tradiditq; demũm legatis puero regi præclara munera de-
ferenda. exinde Vstrepho Mahometiqúe præfectis perscripsit, vt extẽplò eductis
copijs reginæ opem ferre maturarent, nec vlla aduersæ hyemis excusatione vterẽ-
tur. Paulo pòst & Laschus Budam peruenit. ibi cum de Carolo Cæsare Germano-
rúmq; potentia multa diceret, commoto Solymanno custodię fuit traditus. Interea
Mahometes & Vstrephus dispsos in hybernis equites ad signa vocant, classemqúe
Drauo & Sauo in Danubium deducunt. Mitescente etiam hyeme, Mahometes re
miges supplet, & pedites Marteloſios ex Illyricis montib. accersit. Idem facit Vstre
phus, quib. Valentinus è Buda cum valida Vngarorum manu coniũgitur. Regina
commeatum suppeditat, & ænea tormenta attribuit. Illi inito consilio Danubium
copias traducunt, & Vacciam vrbem incendunt. Inde Pestum oppugnatum ire per
gunt, & ab occasu castra locant. Erant ibi Barcocius Vngarus, & Otto Fotiscus cũ
decem cohortibus Germanorum, à quibus oppidum egregiè fuit defensum. Regi-
na interim parcius commeatum præbente, vtpote quæ sibi annonam ante messem
defuturam timeret, multiqúe equi interirent, Turcæ re infecta, traiecto rursus Da-
nubio, & tormentis restitutis intra fines redierunt. sed in receptu Vngari nouissi-
mos cedendo persecuti sunt & multos trucidarunt, inter quos & Achomates for-
tis alarum dux erat.

Eodem anno 1541. Carolus Cæsar ad Ratisbonam religionis causa Imperij co- *Austriacorũ*
mitia celebrabat. Ibi Ferdinandus de rebus Pannonicis & Turcarũ discessu certior *nouæ copiæ*
factus, alacri animo ad eandem spẽ obtinẽdi regni redijt, Carolóq; persuasit, incepto *in Vngaria.*
non absistendũ, postquã fortuna initijs arrideret. Itaq; nouæ copiæ in supplementũ
Velsiani exercitus anteà cõscriptæ è Norico in Pannoniam mittunt, eisq; præficit
Vvilhelmus Rochendulphus regiæ aulæ magister, qui dudũ vt Pestanis opẽ ferret
Possoniũ descenderat. is viridi senecta, ore militari & constanti ingenio grauissimi
ducis habitũ præferebat. cui etiam Velsius ætate & officij dignitate impar libenter
cessit. Nec mora Rochendulphus trium mensium commeatu instituto, muralia tor
menta à Viennensibus mutuatur, itémq; à Bohemis & Slesiis atq; Morauis auxi-
lia accersit, veteréq; exercitu accepto Budam obsidere & oppugnare constituit. Im
mutata autem erat vrbis facies, atq; ingentia propugnacula passim erecta. Erat ex
aduerso arci vrbiqúe imminens mons præaltus, intercedente valle qui in medio ar
cis fastigium æquabat, sed summo cacumine regiones interioráq; vrbis spectaban-
tur. In eo erat templum D. Gerardo dicatum, à quo etiam nomen trahebat. In hunc
Rochendulphus tormenta perduxit, adeóq; nouam turrim quassauit, vt collapsu-
ra videretur. Verùm nobilissimæ regiæ parcendum existimauit, qui vel à victore
vix magno sumptu & tempore instaurari posset. Cæterum per præcones reginam
hortabatur, vt seruitutis compedes abrumperet, quas Georgius Monachus & in-
testinus hostis ipsius & pueri cruribus innexisset. paratum enim esse liberalitate
regis magnum principatum, in quo ipsa cum dignitate quiesceret, puerumqùe nũ-
triret. quod si ea repudiaret, se daturum operam vt maioribus tormentis regia arx
concuteretur. Ad ea Georgius respondit, reginam non esse adeò insulso ingenio vt
Pannoniæ regnum Sepusiano principatu permutare velit. Rochendulphum ve-
rò delirum & insanum sibi senem videri, quod quum antea in ijsdem fossis grauí-
ter vapularit, id modo stolidè quærat, vt ad perniciem temeritatis pœna mulcte
tur. proinde viros fortes pro patria aduersus temulenta agmina sobriè pugnantes
terrere desineret.

Postea Rochendulphus à mõte Gerardo ad sepulchra Iudęorũ motis repẽtè ca- *Buda frustra*
stris omnem tormentorum apparatũ transtulit. Is locus à Iudęa porta inter Orientẽ *oppugnata.*

1541 & meridiem non iniquus, quanquã sensim accliuis, ad proxima vineta protendit. Ibi Hungari Pereno duce cum Bohemorum cohortibus inter Horsacam munitionem & Sabatinam portam tormenta protulerunt. Ipse cum Germanis à Iudæa porta ad arcem, qua regij horti visuntur, tanta vi quassauit murum, vt pars concussa procideret, pars verò impellente interno subitario aggere in exteriora laberetur. quæ quidem res propugnãtes magnopere terruit. sed tantæ occasioni Rochendolphus defuit cunctando. nam mœnia in longitudinem vnius stadij adaperta cernebãtur, ad vnius hominis saltem altitudinem, quæ breuibus scalis facilè superari poterant. Iam verò nox aderat curandis corporib. quam rei gerendæ multis aptior. Itaq; aliquot scalæ clam prolatæ, & per tenebras iuxta ruinas appositæ, vt sub auroram cõferti milites subirent. Verum Budenses spacium nacti, nouum intus aggerem subito erexerunt, & scalas admotas ad se rapuerunt. Porro Germani sub auroram instructa acie per accliuia subeuntes, tanta vi munitiones sunt adorti, vt Otto in perruptam domũ quæ muro coniuncta erat penetrarit, cæteræq; cohortes in ruinis vexilla præfigere niterentur. Sed Budenses mira constantia irrumpentium impetum tulerunt, propugnãte Georgio, qui deposita cuculla galeatus toto aggere volitabat. In eo tumultu Rochendulphus supra octingentos milites amisit. Pari quoque euentu Perinus ad Sabatinam portam repulsus fuit. Tentauêre demum Austriani duces cuniculis murum subruere, quòd plurimi milites adessent argentarijs fodinis asueti. sed Budensis illis astutè occurrebant. Vrgebantur tamen intra vrbem variarum rerum inopia, vt nequaquam longiorem obsidionem pati posse viderentur, ita vt vrbana multitudo deditionem faciendam succlamaret, quos tamen Georgius sua authoritate facilè compescuit.

Proditio inauspicata.

Erat inter Budenses vir Hũgarus, in iure dicẽdo prętoria functus potestate, Bornemissa, qui Georgium vehementer oderat. Itaq; liuoris plenus vindictęq; percupidus Frãcisco Reualio, q in Austrianis castris ius dicebat, se daturũ ad ingressum exoletã portulã promisit. ea erat in sepulchretis templi Mariæ virginis, per q̃ pacis tempore per decliuia flumen petebatur. Rem per se ad Reualium perlatam Rochẽdulphus approbauit, vt nihil tamen Hungaris comittendum arbitraretur, secus ac ipse Bornemissa deposcebat. is enim sine sanguine tot insontium ciuium rem patrare, & per Vngaros omnia expedire volebat, quibus erga patriã & propinquos clementiam minimè defuturum speraret. Cæterùm Rochendulphus, vt excluso Hungaris solus conceptæ victoriæ famam surparet, vsurum se Vngarorum opera promisit, Reualiúmq; decepit, à quo etiam filium obsidem acceperat. Nam ad constitutam horã intẽpesta nocte, omnibus p castra conquiescere iussis, delectas quatuor Germanorũ cohortes silentio ad portulam præmisit, filio suo cum ala Germanorum equitum in statione constituto, vt quum à receptis Germanis maior porta refringeretur, confestim cataphractos equites induceret. Nec Bornemissæ in ipsa perfidia defuit fides. adaperta enim portula cohortes magna ex parte suspensis vestigijs sunt introductæ. sed quum Bornemissa à singulis intrantibus Reualium submissa voce requireret, neq; alio quàm Germanico fremitu responderetur, improuisus obrepsit pauor, ita vt incertus consilij nec præeuntibus dux esset, nec Germani in tenebris fraudem suspectantes alacriter procederent. Non fefellit Budensium excubias incedentium agmen. Itaque petito nec ab hoste reddito tesseræ nomine, ad arma conclamatum. Vnde nostri territi tanta cõsternatione regredi portulamq̃ repetere properarunt, vt in angustissima porta afflictarentur, impediretúrque exitus hastarum strue, quam primi proiectis armis effecerant, vt expeditius in castra profugerent. hoc modò multi ex Germanis trucidantur & nonnulli capiunt, & in his Bornemissæ familiares, de quibus à Georgio quæstiones habitæ, varijs cruciatibus est supplicium sumptum. Postea Rochendulphus, qui inconsultæ superbiæ ab omnibus accusabatur, reliquas belli conditiones ad obsidendos hostes conuertit.

At Solymannus his rebus cognitis proferendi imperij rationes explicat, hostiũ consilia

consilia & facultates expendit, atq; diuisis copijs vno tempore multis locis hostib. occurrendum statuit. In primis Solymannus Eunuchus in Mesopotamiam mittit, qui Babylone consistat, Tamasumque Persarũ regem à Tigridis ripa deterreat. Mahometem verò Dardanum in Pannoniam proficisci, & obsessæ reginæ opẽ ferre iussit. deligitur & Vstrefus ex Illyrico, q Mahometem subsequatur. Attribuitur & sua classis Hariadeno Barbarussæ, vt daret operam, ne quid detrimenti in Græcia ac Epyro à Melitensibus aut Auriana classe reciperetur. Illi ẽm paulo antea, Siculis Neapolitanisque triremibus sibi adiunctis, Pœnos Turcis fauentes Clupea, Neapoli, Adrumento, Ruspina, Tapsoq; & denicq; tota ea Africæ parte, quę Mahomedia dicitur, ad Mœnicis vsq; insulæ syrtes depulerant, Muleassisque Tunetani regis imperio parere coegerant: eæ vrbes hodie sunt Calibia, Susa, Mahometa, Monasterium, Sfaxia, & Africa. Tum enim Auria & Melitenses ingentem exornabãt classem, vt ad expugnandum Algerium in Mauritaniam transfretarent. Et quoniam Solymannus Maylatum in Transyluania Ferdinandi rebus studere didicerat, aduersus eum Mustapham Nicopolitanum præfectum contendere præcepit, & Petro Moldauo Valachorum principi imperauit, vt ei bellum gerenti præsto esset. Ipse autem Solymannus Hadrianopolim profectus, tertium ex propinquo exercitum parauit, vt duobus præeuntibus, si opus foret, subsidio esset, retento secum Rostane genero, quem inter Bassas asciuerat, Luftibeio gradu pulso. Igitur rei gerendæ cupiditate Mahometes accensus paulò post Solstitium in Pannoniam peruenit, adiuncto sibi ex itinere Belgradensi præfecto, accitisque Bosnensium copijs, quibus post Vstrephum fato functum Vlamenes Persa præerat.

1541 *Solymanni exercitus diuersi.*

At Germani vbi de aduentu Turcarum certius cognoscunt, in consilio disputãt, præstet ne obsidionem continuare aut hostibus obuiam procedere. Vicit tum Rochendulphi sententia, qui in obsidione perseuerare proposuerat. Mox etiam castra in aduersam vrbis partem ad montis Gerardi radices transferũtur, qua mons inter Budam & castra positus latam ab oriente planiciem relinquit. Hungari verò æditiorem locum occuparant. parua quoque insula ponte constrato castris iungebatur, in ea erat lunatus agger maioribus tormentis egregiè munitus, quibus & subeuntia hostium nauigia, & lata planicies ex obliquo peterentur. Cæterum appropinquantibus Turcis, Valentinus cum duobus millibus equitum occurrit, & Mahometem de hostium consilijs instruit, ac loca castris opportuna ostendit. Sic Mahometes Bassa quinque tantum stadiorum spacio à nostris consedit, & per Asappos se ingenti fossa circumdedit, Belgradensis vero per colles æditiorem locũ Vngaris nostris vicinum occupauit. Tum etiam Legati Turcarum ad salutandam regi nam vrbem intrabant, & vicissim Budenses in Turcarum castra remeabant. Binis vtrinq; eo modo castris constitutis, binæ quoq; classes accedebant. Turcæ Cepelliam insulam è regione castrorum occuparant, & in superiore parte Danubij, vbi veluti rostro scinditur, munitionem erexerant. Cepellia quadraginta amplius millibus passuum in longitudinem extenditur, pagis ædificijsque referta, quæ Turcis erat commodissima, ita vt inde nostros tormẽtis petere possent. Pugnabatur quotidie minutis prælijs circa planitiem ab equitatu, ac in mõte ab extra ordinarijs peditibus. Sed in his exercitijs Germani sæpius inferiores erant, quòd prægrauibus equis & ob id stataríæ pugnæ asuetis vterentur, quos si procurrere aut fugientem hostem consectari vellent, segnius incitarent, & tum facilimè Turcæ agiles eludendo breuem eorum impetum è manibus elaberentur. sed similes cum Turcis artes Hungari exules paribus armis edocti, plures Turcas facile sustinebant.

Christianorũ & Turcarum castra.

Erat inter Germanos duces Eckius Rayschachius Sueuus: huius filius impiger adolescẽs quum ignaro patre in aciẽ prodijsset, strenuéq; decertãs (spectãte ante alios atq; admirante virtutem patre) à cũctis vel ignotus effusè laudaret, priusquam se explicaret à circumfusis hostibus est interfectus. Tum verò Eckius casu equitis vehementer commotus, ignarúsq; suæ sortis conuersus ad alios duces, Omni, inqt, laude perornandus videtur hic quisq; sit equitum fortissimus, ac omnino publici funeris

Eckij Rayschachij casus.

1541 funeris honore tumulandus. Id quum ab omnibus pari pietate probaretur, infelicis filij ad lõgè miserrimum patrem cadauer est relatum, veriorésq; tum omnibus obortæ sunt lachrymæ. sed in patre repentinus dolor profundius ad vitalia peruasit, atq; ita ille paulò pòst, quum rigentibus oculis stetisset, nihil effatus interijt. Exinde Rochandulphus graui edicto quenquam pugnandi causa castris exire vetuit, adeò seuera lege vt vnum & alterum egredi pugnaréq; ausum furca suspenderit. cõtinendos enim milites existimabat, donec nouæ copiæ superuenirent, quæ res nostrorum animos imminuit, & Turcarum spes adauxit. sustentabant tamen animos Ferdinandi frequentes literæ, perampláq; Cæsaris existimatio, nequaquam fratri Germano in eo rerum discrimine defuturi. Eo modo cum res protraheretur, & tantum vtrinque quotidie maioribus tormentis certaretur, Turcæ ab æditioribus locis conspicatis segnes nostrorum in insula stationes, vno tempore diuersas eorum munitiones inuadere statuunt. Vnde inalbescente cœlo in insulam cum expeditis nauigijs aduolarunt, adortíq; magno silentio semisopitos, priusquam captis armis se conglobarent, supra sexcentos milites trucidarunt, reliquis tantus pauor incidit, vt in castra statim perfugerent. Tumultuatũ est vehemẽter totis castris, quum Turcæ pluribus simul locis clamore ædito pugnam cœpissent.

Turcarum periculum. Sed ad recuperandam insulam neq; his Germanorum cohortibus, quæ in extremo ad flumen aggere in statione erant, neq; sociis naualibus aut expediti cõsilij celeritas, aut præsentis animi magnitudo defuit. Nam cohortãte Herbestulpho castrorum magistro ne à Barbaris Christiana signa atq; tormenta rapi paterentur, tanta ui Turcis cadauera spoliantibus, ac vt tormenta capta protinus aueherent ad naues propellentibus, incubuerunt, vt trucidati compulsíq; in naues, ac à terra simul & à circumfusis biremibus profligati, tormenta ac insulam victoribus æquata clade reliquerint. Ferunt ea die Barbarorum classem deleri potuisse, si nostri victoria vtentes, adiutíq; secundo cursu atq; impetu tanti amnis, in puppes fugientium rostratas proras adigere, commixtíq; descendere voluissent. Turcarum tamen Nasadæ quatuor demersæ sunt, & tres captæ, multiqùe in eo tumultu aut tormentis discerpti, aut absorpti flumine perierunt. Sequentibus diebus Turcæ paucitate nostrorum suorúmq; multitudine alacriores facti, prouocando infestabant castra, vt nullum ferè quietis spacium succedentibus in stationem cohortibus relinquerent, & nostri diutius castra se tueri posse desperarent. Nam Bassa à Belgrado recentes quotidie milites, receptis ad se faucijs, supplebat, & Valentinus adiuncta sibi delecta Turcarum manu Ianizerisqúe sclopetarijs, è superioribus castris Pereianos equites depulerat. Sed præter singularem Germanorum Bohemorúmq; in omni labore atq; periculo perseuerantiam, magno vsui fuerunt Pestanorum tormenta, quibus Valentini copię intercedente Danubio petebantur, sic vt pleroscq; equites libratis ad descensum maioribus colubrinis interficerent, & reliqui in tutum se recipere cogerentur.

Christianorum metus. Eo die Valentinus nihil Hungaris exulibus sed Germanis maximè infensus, certo iure priuatæ humanitatis ac amicitiæ, per fidum equitem Pereno suasit, vt se & Hungaros omnes festinanter imminẽti cladi eriperet: quoniam belua ingens quæ vniuersos vno hiatu deuoraret, aduentare nuntiaretur. Solymannus enim cognitis his rebus quæ à Cæsare & Ferdinando pararentur, ratus eos ad Budam magnis copijs descensuros, statuit tantæ occasioni magnis itineribus occurrendum. Itaq; Perenus apud Rochendulphum ducésq; liberè locutus, quæ accepisset retulit, testatúsq;, nisi de receptu decerneretur, sibi atq; Hungaris ad salutem esse consulturum. Quum sententiæ variarent, sed omnes tamen Pestum noctu nauigandũ putarent, vnus Rochendulphus fatali obstinatione pernegabat se iniussu Ferdinãdi à Buda discessurũ. Itaq; Salma celeri myoparone Viennã mittit, qui regij iudicij decretum referat. Interim ingente metu frementeqúe Pereno statuunt noctu silente Luna, quatuor commeatibus ad Pestum trajicere. In primo maiora tormẽta & Hũgaros, in secunda equites Germanos & Bohemos, in reliquis peditatum omnem cum castrensibus

ſtrenſibus impedimentis collocabant. Itaq; primis & ſecundis tranſeuntibus fortuna non defuit. ſed ea commeantium nauium frequentia intentos & diligenter ſpeculantes nequaquam diu fefellit. Nam Vſarones duo perfugæ ad Georgium Valentinúmq; inſtituтę fugæ conſilium detulerũt. ab his extemplò certiores facti duo Machometes totis penè copijs ad oppugnanda caſtra contendunt, tormenta currilia producuntur, præeuntibus Ianizeris cæterisq; peditibus iuniores equites dimiſſis equis ſuccedunt, terribiliq; vlulatu ædito ſtationes adoriuntur.

Tum verò Auſtrianis detecta multorum fuga animus concidit, reſiſtunt tamen acriter Bohemi & Germani, qui iuxta flumen ad inſulæ pontem excubabant. Tumultuatur totis caſtris & in ripa maximè, quum quiſq; pauore concepto naues cõſcendere nullo ordine per mutua vulnera properaret. cuncta enim nox intempeſta & cælum nubiloſum reddebant terribiliora. Rochendulphi etiam reboantibus vndiq; tormentis nullum erat imperium, præſertim cùm ſupra animi ægritudinem ferrea pila in humero eſſet læſus. Cæteri peditum duces hærebant potius quàm hoſtibus repugnabant. Itaq; ſuperiora primum caſtra Pereni occupantur, atq; pedites toto Gerardi monte præcipiti fuga diſpalantur. Budenſes etiam per Aquariam portam erumpentes, ſtationes inferiores inuadunt, & tentoria incendere conantur. Georgius verò ad ſtabula regia ſtruem ſuccendit, tantáq; inde latè refulgens flamma emicuit, vt quum Danubius lucis ſplendorem excíperet, diffuſumq; ad Peſtanam ripam diurno lumini perſimilem euibraret, tota ea fuga ſpectaretur. Tum verò tormenta vndiq; in fugientem claſſem directa. Caſſonus etiam (qui Turcicę claſſi præerat) expeditiora nauigia in latus hoſtilis claſſis incitauit. Sed Auſtrianæ biremes maiorésq; Naſadæ ſeſe celeriter è manibus Turcarum explicantes, à puppíbúſq; hoſtes tormentis ſubmonentes ad Comoram aſcenderunt. Terreſtres verò copiæ in caſtris eandem fortunam tulere, ſed decoro maximè vitæ exitu, dum aduerſis vulneribus conciderunt. Sole oriente Caſſonus claſſe ad Peſtanam ripã delatus tantum terrorem his qui euaſerant clamoribus & tormentorum bombis intulit, vt equitatus fugam arripuerit. Itaq; Caſſonus nemine vrbem defendẽte irrupit, & ſumma feritate ſanos ac ægros trucidauit, vt nec fœminis caſtra ſequi ſolitis parceretur. Hinc factum vt eo bello ſupra viginti millia Chriſtianorum capita trucida ta ferantur. Ipſe autem Rochendulphus quũ expugnata munitione mediis in caſtris pugnaretur & cladi ſupereſſe nollet, vel renitens & fremens à Medico, qui iacentem deſerere nolebat, ſublatus nauiculæq; impoſitus ad Comaram inſulam aſcendit, atq; ibi paulo pòſt vulneris dolore obijt.

Auſtriacorũ ad Peſtum clades.

Cum Solymannus ſuorum victoriam cognouit, quintis caſtris magna ſuperbia Budã peruenit. Victore exercitu ad ſe traducto, ac caſtris munitis vtrunque Mahometem laudauit, aliis verò præfecturas dedit, aut ſtipendia adauxit. Exinde ad octingentos captiuos produci iubet, qui prælongis vincti reſtibus ante inſtructos ordines ludibrij cauſa trahebantur, hos Barbarus imperator tyronibus trucidandos dedit. patrata ea ignobili & ſæua cæde Solymannus regi puero dona miſit, & proceribus Hungaris talares togas & torques aureos. Legati etiam à regina poſtularunt, vt puerum in caſtra mittere, & cuncta fælicia ſperare vellet. Ad ea regina perplexè reſpondit, ſed (monente Georgio) puerum regalibus crepũdijs exornatum in caſtra miſit, comitantibus cunctis ferè proceribus. Exceperunt aduentantem progreſſę aliquantum turmæ equitum: illatum in tabernaculũ Solymannus humaniter inſpexit, perblãde cũ nutrice locutus, ac liberos ſuos qui aderãt vagientẽ oſculari iuſſit, quem beneficiariũ eſſent habituri: Illi erant Selymus & Baiazethes Roxolana matre geniti. Dum aũt Hungari proceres cũ purpuratis prãderent, Solymãnus certos duces, p ſimulationẽ viſendę vrbis imiſſis cohortib. Sabatinã portã occupare iuſſit. Eo modo plateis & foro occupatis, p regiones pronunciatũ fuit, vt Budenſes domi ſe cõtinerent, ſi vitã & fortunas incolumes eſſe vellent, atque arma traderent. Paruêre imperio ciues, ac in fidem recepti Turcas hoſpitio ſuſceperunt. Tum Solymannus, vbi renunciatum eſt pacato populo vrbem in ſua manu eſſe,

Solymannus dolo Budam occupat.

1541 esse, puerum ad reginam remisit, retentis apud se proceribus. Erant illi Georgius Varadiensis antistes, Petrus Vichius regis propinquus & tutor, Valentinus copiarum dux, Stephanus Verbetius epistolarum Magister, & Bacranus custodiæ vrbis præpositus.

Regina Buda discessit. Regina vbi vrbem dolo occupatam, & proceres in castris retentos videt, metu perturbata supplices libellos ad Solymannum perscribit, orátq; vt fidei datæ memor proceres remittat. Agit hæc per Rostanem, atq; eum muneribus explet. Exinde per quatuor dies de Pannoniæ regno apud Solymannum diuersis sententijs disputatum. Erant enim qui Vngariam in prouinciæ formam redigendam, proceres occidendos, & puerum Byzantium transferendum, ac Mahometanis legibus imbuendum censerent. At Solymannus prius quàm de re tanta decerneret sacrificandum ratus, tertio calend. septembris Budam cum liberis intrauit. delecto celebri templo D. Mariæ, quod Sacerdotes Mahometano ritu prius expiarant. Nec multo pòst decretum ædidit, Budam Turcico præsidio custodiendam. reginam itaque monet, vt æquo animo vrbe & arce excedere velit. ipsam enim cum puero vltra Tybiscum in Lyppa regnaturam regione pacata & opulenta, donec Stephanus puer adolescat. Itaque regina cum lachrimis & tacito gemitu Tyranni perfidiam detesta ta arce & vrbe excessit, mundumq; muliebrem & regiam gazam secum auexit. tormenta tamen & instrumenta bellica cum commeatu ibidem relinquere iussa fuit. Proceres quoque vnà profecti sunt, qui tametsi tristes incedebant, tamen recepta libertate & salute, de qua per triduum desperarant, effusè lætabantur. Valentinus autem antiquum odium sensit, & in castris sub custodia retentus fuit.

Ferdinandi legati ad Turcam. Dum hæc Budæ fiunt, Ferdinandus vbi suos profligatos, & Solymannum aduentare didicit, Leonardum Velsium in Comaram descendere, reliquias exercitus excipere, fugientes sistere, & spe auxiliorum & stipendiorum confirmare iussit. Legatos etiam ad Tyrannum misit, qui oblatis nouis conditionibus pacem peterent. Illi fuere Nicolaus Salma & Sigismundus Liechtenstenius, tulere munera excelsum ex auro poculum, eruditæq; insuper argenteam machinam, in qua errantium siderum motus exacta ratione monstrabatur. Legati humaniter excepti, & cum purpuratis conuiuio adhibiti fuerunt. Remotis mensis ad Solymānum sunt introducti, ita vt singulos bini purpurati in medio arreptis brachijs, pro more ad dextræ osculum perducerent. Petebant legati vt Pannoniæ regnum Ferdinando cõcederet, qui tributum quotannis vt Ioannes penderet polliceretur. adducturúmq; in eadem pacis fœdera Carolum fratrem, vt in tergo ab omni bellico metu liber imperij fines ad Orientem extenderet. recentis quoq; initæ pacis tabulas cum Ioanne proferebant. Solymannus iucundo vultu laudatis muneribus biduo pòst per Rostanem respondit: Vltimam hanc esse pacis conditionem, vt Ferdinandus vrbes, oppida, arces quæ in ditione regis Ludouici antea fuissent, continuò redderet, ac in posterum Vngariæ finibus abstineret. se verò, qui graues bello sumptus fecerit, leui pœna contentum fore, eam esse vt Austriæ tributum imponerer. tum inita amicitia solenne fœdus percussurum. quod si ea conditione grauarentur, sese ipsis bellum denunciare. Tum legati tanta Barbarorum arrogantia permoti inducias postularunt, per quas Ferdinandus & Carolus Cæsar consulerentur. verùm eæ negatę fuerunt. Legatis muneribus donatis & dimissis Solymannus Belgradensem Austriæ fines circa Danubium populari, Cassonum verò equitatu in Morauos excurrere iussit. sed prædabundos plenis imbribus inflati amnes remorati sunt. Exinde vir Hungarus nomine Solymannus, qui ineunte ætate bello captus Mahometis sectam sequebatur, à Tyranno Budæ cum imperio præficitur, qui cum Verbetio iusdiceret, & ciues familiarius alloquendo in spem diuturnæ tranquillitatis adduceret. His rebus confectis, dies viginti Budæ commoratus, in Thraciam redire constituit. Ex itinere verò Laschum legatum è custodia dimisit.

Transyluania puero regi cessit. Redeunti in Thraciam Solymanno ad Drauum amnem nunciatur Stephanum Maylatum, Ferdinandi secutum partem ac Turcarum hostem, dolo cõprehensum, in Pe-

in Petri Moldaui potestatem deuenisse, pacatámq; esse omnem ferè Transyluaniã. 1542
Nam Moldauus, Solymanno in Pannoniam contendente, aduersus Maylatum euocatus, cum Achomate Nicopolis præfecto castra coniunxerat. Erant ibi præter pedites supra quinquaginta milia equitum. Maylatus multitudine hostium circũuentus imparq; viribus, iterum in oppidum Fogaras confugit. Itaq; Achomates dolo agendum ratus, Legatos ad Maylatem mittit, hortatúrq; vt se Solymãno dedat, appellatíq; ab eo amicus quàm hostis iudicari malit. id si faceret ipsum præfecturã Transyluaniæ accepturum. Ad ea Maylatus inclinabat, ac cum Achomate colloquium petebat. Eo concesso magno comitatu Griteas opes ostentans in hostium castra contendit. Comiter est exceptus, & colloquium in sequentem diem dilatum vt non incipi modo, sed commodè finiri possit, quo Moldauus notum sibi hospitẽ solenni epulo exceptum comprehenderet. Eo modo Maylatus feruente conuiuio in rixam dolis pertrahitur, ac insurgentibus conuiuis capitur. Nec multò post arx Fogaras deditur. Ita duo nobilissimi duces Hungarorum Valentinus & Maylatus perfidia decepti in potestatem Barbarorum deuenerunt. Occupatis autem Fogaris Transyluani ferè omnes, concedente demum Solymãno, in Stephani pueri regis nomen iurauerunt, quòd mite imperium Ioannis prius per triginta annos tulissent.

Expeditio Cæsaris in Africam.

Eisdem fermè diebus quibus Rochendulphus cum Turcis Budensibúsq; Hungaris bellum gerebat, & Solymannus aduentare dicebatur, Carolus Cæsar Ratisbonæ principum conuentum dissoluit, confestimq; magnis itineribus in Italiã est profectus. Nam Cæsar Hispanorum precibus adductus expeditionem susceperat aduersus Asanagam Tunetano bello illustrem, qui Algerij cum imperio à Barbarussa fuerat relictus. Apud eum enim prædones Turcæ coibant, Hispaniæq́ue litora prædabantur, tanto oræ maritimæ damno metúq;, vt Hispani à Gadibus ad Pyrenæos montes dispositis in ora speculis atq; præsidijs, ad incertos casus excubare sublata nauigatione cogerentur. Propterea Carolus classem parauerat, cohortésq; in Germania, Hispania, Italia, & Sicilia conscripserat, totúsq; animo in Africam ferebatur, vtpote qui antea Solymannum minimè in Vngariam venturum putasset, & satis virium ad expugnandam Budam in Rochendulphi diligentia & fratris fælicitate positum arbitraretur. Cum Genuam veniisset, ex Ferdinandi fratris literis de Austriacorum clade, Turcarum victoria, & Solymanni aduentu certius cognouit. quo nuncio adducti Auria & Vastius suadebant vt petendæ Africæ consilia in vernum tempus differret, & cum Italicis cohortibus & Germanorum legione in Italia moraretur, vt inde ad opem fratri ferendam, deterrendósq; Barbaros reuersuri speciem præberet. At Cæsar stabili proposito in Africam transfretare constituit, vt Turcas in Pannonia bellum gerentes contempsisse potius quàm timuisse videretur. Interea Paulus pontifex ad Cæsaris petitionem Lucam peruenit, atq; cum eo de futuro Christianorum concilio, & bello Barbaris inferendo, aliquot colloquia habuit. Ibi etiam de pace cum Francisco Galliæ rege ineunda conditiones aliquot frustra fuere propositæ. Itaq; Pontifex Cæsari omnia fausta precatus per Bononiam iterum Romam contendit.

Cæsar cum Rhodijs Algieram peruenit.

Interea Cæsar Italicis cohortibus, quas Camillus Columna & Augustinus Spinula subitario delectu conscripserant, atq; item sex millibus Germanorum, quorũ duces erant Georgius Ratisbonensis & Seisnecus Baro in onerarias naues distributis è Lucensi portu soluit cum triginta quinq; rostratis nauibus, edixitq́ue nauiũ Magistris vt ad Baleares insulas cursum intenderent. sed in altum profectus quum oborta tempestas in conspectum Corsicæ detulisset, atq; ita disiecisset, vt per biduũ aberrarent, Cæsar mitioribus demum ventis in Syracusanum portum classem intulit. Collectis ibi nauibus & pacato mari ad Hypsitanas aquas flumine Thyrso portúque & Algarensi noua vrbe nobiles prouectus est. Inde quoque cum Baleares peteret, alteram ab Africo vento subijt procellam, prima quidem labore atque periculo sæuiorem, quum fractis quorundam antennis velisque discerptis per ad-

1542 uersos fluctus longa vehementíque remigum fatigatione in minoris insulæ portum contendissent. Ab hac demum Cæsar in maiorem Balearem totam classem traiecit. Erat eo tempore Ioannes de Homedes Hispanus ordinis Ioannitarum 46 princeps. Is cum à Barbaris vicinis singulis diebus pyraticam exercentibus plurima damna acciperet, classem suam armis atque equitibus instructissimam ad Cæsarem in Baleares transmisit. Venerat etiam Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus peropportunè cum Siculis triremibus onerarijsque Italicis, ita vt centum quinquaginta naues magna Cæsaris lætitia appulerint. Expectabatur autem ab Hispania cum sua classe Mendocius. sed ille Cori flatibus coactus, felici compendio rectà Algerium contenderat. Ita Cæsar ratus id euenisse quod acciderat hortante Auria secundo vento vela dedit, biduique nauigatione Algerium peruenit. quum appropinquaret classis, admirabilíque ordine in conspectu hostium constitisset, duæ prædonum biremes à promontorio oram legentes imprudenter in sinum delatæ sunt. earum maiorem nostri demersere, altera veloci remigio incitata intra portus molem incolumis peruasit.

Occasio neglecta nocet.

Mendocianæ interim triremes promontorium Apollinis (quod hodie Cassineum vocant) superantes, magna lætitiæ significatione displosis omnibus tormentis Cæsarem salutarunt, & subsequentem Hispanicam classem non procul abesse nunciarunt. In ea erant Cantabricæ, Belgicæque naues magnæ supra centum, sed multo plures minores, quos Hispani Scarzapinos dicunt. Nam plerique nobiles neque conscripti neque nominatim euocati sed priuato sumptu armis & equis liberaliter instructi, vt reipublicæ operam præstarent, naues summa alacritate conscenderant. His præerat Ferdinandus Toletanus Albæ dux. nam is Garzię patris mortem singulari pietate vltum properabat, qui prius in Mœnice insula ad Girapolim contra Pœnos pugnans occubuerat. Cæterum hæc omnia nauigia velis agebantur, neque ex malacia promontorium superabant. Iam enim venti summa serenitate inuecti, perflare desierant. sed à recenti tempestate mare commotum & vehementer adhuc fluctuosum ita planis littoribus allidebat, vt nullo pacto milites exponi in siccum possent, nisi vmbilico tenus marinis vndis abluerentur. quo incommodo milites affici nolebat Cæsar, ne per se tædio maris atque nausea confectos repentinis ac audacibus Barbaris etiam madidos & rigentes obijceret. & Hispanos quoque duabus de causis expectandos iudicabat, vt vniuersis admotis copijs cum maiore vi tum maiore etiam spe victoriæ vrbem inuaderet, & communicare integram rei gerendæ laudem Hispanis vellet, quorum precibus studióque & insigni liberalitate adductus bellum suscepisset. Sed ea vel bidui tantum fatali mora, non exploratam modò victoriam interpellauit, verùm ingenti nostrorum incommodo sæuituræ fortunæ occasionem aperuit.

Cæsaris legatio contępta

Interea Cæsar idoneum hominem ad Asanagam cum mandatis misit. Is significatione facta, pariter à Mauris reddita, excusso linteolo vt colloquendi causa rursò in portum descendi posset, humaniter admissus postulauit, vt vrbem vi & fraude ab Horrucio occupatam, & demum ab Hariadeno ad perniciem humani generis communitam extemplò dederet Carolo Cæsari terrarum domino, qui immanium prædonum vltor aduenisset. Id si faceret, & Turcis abeundi quò vellent, & Mauris incolis incolumi omnium fortuna suis legibus viuendi potestatem fore. ipsum porro ingentia bello pacéque prędmia laturum, modò se in Sardinia natum & sacro ablutum Baptismate meminisset. Pulcherrimam enim offerri occasionem, qua ad veri numinis cultum redire, maximíq; obiter Imperatoris fidem & liberalitatem cõplecti posset, vt de crudeli tyranno exectæ virilitatis iniuriam vindicaret. Quod si cunctandum, & vim tanti apparatus expectandam arbitraretur, incluſos procul dubio eundem pertinaciæ exitum laturos, quem funesto exemplo ad Tunetum pertulissent. Ad ea Asanagas respondit: insanum omnino eum sibi videri qui oblata ab hoste consilia sequeretur. Interrogauitq; quánam fiducia adductus Cæsar vrbem expugnare posse confideret, quum ille extemplò, hoc (digito

ostendens classem) quem videtis tormentorũ apparatu, veteranorũqúe equitum & peditum virtute, respondisset: & nos quoque, in risum effusus, Asanagas subiecit pari præsidio atque artificio mœnia defendemus, vt locum binis iam vestris cladibus nobilem, noua Cæsaris calamitate clarissimum reddamus. Erat enim vulgatum Algerij anum grandæuam magicis artibus & mirabili vaticinio maximè celebrem (quæ antea Didaci Veriæ & Hugonis Moncatæ naufragia & clades prædixerat) Algerianis publicè dixisse, ita vt oraculo tempus præscriberet, quo Christianus imperator oppugnare vrbem ausus ab infelici conatu magnam terra & mari calamitatem esset aditurus. Eius autem vaticinij famam in spem secundi euentus confirmandæ multitudini opportunam ita alebat ac excitabat Asanagas, vt non modo suorum animos erigere, sed nostrorum quoq; mentes, quum se importuoso in litore in hyemem coniectos perspicerent, terrere videretur. 1542

Erant in præsidio Turcę tantum octingenti sed magna ex parte equites, summiqúe roboris manus. Reliqua militum multitudo vix quinq; millium numerum implebat. Constabant autem partim ex Mauris, partim è Granata Bethicæ oriundis. Accedebãt & multi ex Balearibus Insulis, qui superioribus temporibus cœpta rebellione, ob idque pœnam timentes, ad Mahometanos ritus confugerant. Sed Numidarum duces magnum equitum & peditum numerum effecerant, qui extra vrbem vagi patentibus in locis noctu & interdiu lacescẽtes nostrorum agmina perturbabant. Hos diligenter Asanagas proposita mercede missisqúe muneribus ad opimæ spem prædæ, suopte ingenio nobis infensos, è proximis regionibus euocarat. Neque cuiquam vel paruos liberos vel vxores ex vrbe in tutiora loca & remotas arces educere, aut vlla omnino signa timoris dare liberum fuit: indicta scilicet supplicij pœna, si quis animo consternatus parum alacrem in periculo ostendisset vultum, aut minus virilis consilij vocem ædidisset. Cæsar per Auriam exploratis litoribus ab occidentali parte, quæ frequentibus scopulis erat incommoda, & superioris naufragij recordatione infausta videbatur, ad tutiorem ab oriente stationem classem applicuit. Tanta autem fuit in obeundo munere omnium diligentia expeditáque celeritas, vt quum insilientium multitudini plures scafæ inter se alacriter officijs certãtes abvnde suppeterent, peditatus omnis, nihil præter arma ferre iussus momento temporis in litus descenderit. Cæsar quiete & cibo recreatis militibus, tres acies numero pares militum instituit. erant enim præter equites & euocatos, ac officio & voluntate authoritatem & fortunam Cæsaris secutos, circiter viginti millia descriptorum peditum. singulis autem aciebus terna currulia tormenta ad deterrendos procursantes Numidas attribuit, progressusqúe inde aliquot stadia non procul ab vrbe consedit, loco tuto atq; opportuno. *Turcarum in vrbe vires*

Castra ea ratione erant locata vt binis vtrinque fossis natura munirentur, quas delapsi iugis torrentes adeò profundè excauarãt, vt subter exesis marginibus neque equiti neque peditи commodus nisi per pontem transitus daretur. ad læuam porro ita assurgebat collis, vt eductis in verticem tormentis, interiora vrbis ædificia dirui atque infestari posse viderentur. Cęsar ergo tribus per nationes distinctis castris, ab oriente vrbem complexus, in maximam spem veniebat eius expugnandi, quod sibi ad eam partem tormenta producere, atque acriter oppugnare statuenti, classem magno vsui esse iudicabat, quum à triremibus summisqúe malis magnarum nauium propugnantium hostium latera ex obliquo tormentis peti posse prospiceret. murus enim per accliuia perpetuo collis dorso erectus, vno extructo aggere, neque protegi neque defendi poterat. Hispani sub præaltis montibus ædittiora loca tenuerunt. circa medios colles Germani iuxta Prætorium consedere: Itali autem planioribus locis ad mare, ac ideo portæ vrbis magis propinqui. Interim dum tormentorum apparatus nauibus educitur, & equi per trochleas molendo suspensi demissiqúe funibus exponuntur, Numidæ in summis montibus supra Hispanos magno clamore ædito se ostenderant, omni telorum genere desuper subiectos facile ferientes. toto integro die certatum est, nullo quidem periculo, sed *Christianorum castra.*

1542 longa Hispanorum defatigatione. Nam inductis etiam tenebris, Barbari alij alijs succedentes, neque à loco quem insederant, neque ab instituta iaculandi consuetudine discesserunt. vbi enim excitati ignes visebantur, in eas continuo partes magna vis telorum lapidúmque modo grandinis effundebatur, cui incommodo nostri extinctis repente ignibus occurrebant, silentio expectantes diem vt tandem collato pede certaretur.

Numidarum cum nostris prælium.

Ita sub exortum solis, cohortante Aluaro Sandeo castrorum Magistro, Hispani per ardua atque impedita fortiter enitentes, deiectis pulsisque Numidis montium vertices occuparunt: nactiqúe pastorales casas, ad quas in speciem munitionis se reciperent, conglobati constiterant. Eo die tanta confluxit Numidarum multitudo, vt nostri penè circumuenti, quum duas acies fecissent, in orbem pugnare cogerentur. Sed Sicilienſium cohortium virtute Numidarum audacia premebatur. Hastati enim fulgentibus galeis atque thoracibus muniti, iacula facilè contemnebant, & sclopetarij à lateribus insultantes plumbeis emissis glandibus auertebant. Numidæ pedites ex iuuentute deliguntur promissa cæsarie, nihil præter iacula gestantes, qui se equitibus permiscent, atque ita mutuo confisi præsidio rem gerunt, tantáque pedum velocitate congressus nostrorum deuitant, ut à stataris non facilè vulnerentur. Equitum verò, prælongas & præfixo vtrinque ferro ancipites lanceas ad auersos etiam ictus arte mirabili quassantium, ea erat agilitas vt nemo nostrorum acie excederet, quin statim interceptus lethali cuspide figeretur: scutis ad effigiem cordis è corio oblongis & leuibus sese ad equum in occursu recipiuque adeo habiles protegunt, vt exiguo summi periculi precio ad condictum proposito septena iacula intorquenti se offerant, singuláque vel hastę celeri commotione detorqueant, vel scuto in obliquum exporrecto certissimè declinent. Interea verò dum Numidæ ante castra volitarent, & cuncta apud nostros egregiè prouisa viderentur, fortuna Christianis multo infestior quàm vnquam antea optimi Cæsaris spes interrupit. Ipso siquidem tormenta, equos & commeatus expectante, imber à prima statim vigilia gelidus adeò est effusus, vt totus exercitus perfunderetur, magnáq; tempestas in mari orta classem iactatam fluctibus, compulsamque ventorum turbine miserabilis naufragij periculo in littus adigeret.

Nostrorum clades.

Excubabant extra castrorum fossam tres Italicæ cohortes, quas Camillus Columna ita collocarat, vt sensim per ardua collium extensis manipulis ad Germanos vsque pertinerent. In has inalbescente cœlo Turcæ equites Mauriqúe pedites intermixti intellecta occasione celeriter eruperunt, tantáque vi vndique magno clamore ædito, sagittis, iaculis, & multo maximè lapidibus adorti sunt, vt quum iam à pluuia extinctis funiculorum ignibus, lagunculisque sulphurei pulueris madefactis, sclopetorum vsus penitus esset ereptus, pauci hastati ingruentium impetum sustinerent, & reliqui in fugam verterentur. Sed consistere ausos Turcæ celeriter obtruncarunt, & fugientium tergis institerunt, tanta audacia persequendo cædendóque, vt quum trepidos in castra propellerent, nonnulli hostium fossam superarint, & ad tabernacula peruenerint. Ex his præferocem Maurum cominus congressum Lucidus Romanus quanquam sauciatus fortiter interfecit. Exaudito fugientium tumultu Camillus à Cæsare missus protinus eò decurrolarat, conglobatásque aliquot cohortes vltra pontem in hostes duxerat, Barbariqúe iam confirmatis nostrorum animis repulsi atque impetum remittentes, veri aut certè simulati timoris & tumultuarij receptus signa dabant. quum Ferdinandus Gonzaga iratus cohortibus loco pulsis superuenit, cohortatusque viros fortes vt fugæ dedecus nobili conatu diluerent, in hostes impetum facere, atque acriter persequendo intra portas compellere iussit. Nec mora cohortes, duce Augustino Spinula magna alacritate & magno impetu hostes inuadunt, in fugam concitant, cædendóq; terga intra portam compellunt, tanta vi celeritatéq; vt nostri obductas repentè valuas in porta contingerent, & multi hostium exclusi notis itineribus ad aduersam portam & montes elaberentur.

Tum

Tum vero Barbari ex ipsa muri corona in temere progressos omnis generis te- 1542
la & tum maximè lapides iacere, saucíare, sternere, terrerécp clamoribus, & illi qui *Rhodiorum equitum fortitudo.*
extrinsecus refugerant ad pugnam reuerti: porro qui portam clauserant rursus erũ pere, & hærentes nostros aut se recipientes adoriri. Necp Italis, quum calentibus animis adueniissent, vigoris cõstantia deerat, si tutam ad receptum viam fortuna reliquisset: missilibus enim obruti stratiçp tormentis, vti in ipso conatu spe deceptis facilè accidit, consilij inopes ora atcp animos in fugam verterunt, nõ confertis quidem sed per diuersos calles dissipatis agminibus. Erant enim tyrones collectitij generis subitario delectu (festinante Cæsare) coacti. Ita peropportunè erumpens Asanagas, qui ex oris habitu cultúcp regio facilè nosci poterat, immissis Turcarũ turmis & Mauris peditibus, nostros in fugam præcipites egit. Vni ferè omnium Rhodij equites, qui sub nauali vexillo pedibus pugnabant, egregiè & fortiter repugnãdo per sinuosas conualles constantissimè se receperunt, atcp plurimos Barbarorũ insistentium trucidarunt. amiserunt tamen signiferum, atcp aliquot fortissimos viros, qui Punicea in veste candida cruce prætexta galeati thoracatícp, in postremo agmine constiterant. Horum tamen mirifica virtus persequentium Barbarorũ vim retardauit, nam ad ligneum pontem, qui non longè à porta distabat, intrepidè consistẽtes excepta thoracibus iacula in hostes remittendo, hastísep maioribus peruectos & inermes fodiẽdo, aliquot acceptis & illatis vulneribus spacium fug[illegible], & ob id multis salutem pepererunt. sed ea inæqualis & lutulenti loci diuersitas inter caras vias & tumulos ad mare decliues, vt Barbari regionis vsu periti vndiçp validè vrgerent, intermixtiqúe nostris & à suis intercluſi, vbiçp tumultuosissimo & nostris iniquissimo pugnæ genere versarentur.

Eo modo nostri qui ab initio audacius procurrerant, quum nouissimi agminis *Caroli Cæsaris magnanimitas.*
in receptu facti essent, cædente terga hoste quincp stadiorum iter ignobili cadentes morte cadaueribus repleuerunt, atcp hi ante alios qui ad mare ex fuga deflexerant. sed prima nostrorum agmina tanta trepidatione ad lapideum pontem & ad castra fugam intenderant, vt nemo ducum in tanta & repentina rerum iniquitate, publicæ salutis & militaris consilij orationem perturbato animo retineret, & cuncta ad summam cladem terra mariqúe vno tempore delata crederentur. Verùm ipse vnus omnium Cæsar, aduersus omnem vrgentis fortunæ contumeliam inuictus & intrepidus, sibi atcp alijs eo die summus imperator fuit, quũ perditis propè rebus opem ferens opportunissimo tempore cum Germanorum legione decurrisset, præmissis ex ijs tribus vexillis quibus fugam sisteret, & castra certo recentíqúe præsidio vltra pontem firmarentur. sed tantus fugientium animos pauor occuparat, tantúscp erat incumbentium Turcarum impetus, vt Germani non temere aliàs terga hosti dare soliti, tanquam linteata capita formidantes, neque aspectũ oculis neque arma hostium firmis pectoribus sustinerent. Tum vero Cæsar prouectus equo, districtum tenens gladium, & fugam increpitans, phalangem promouit, oréçp maximè celso & impauido, Germanica vtens lingua: Quando (inquit) commilitones insultanti hosti frontem ostẽdetis, si quum in vestigio pro dignitate Christiani nominis, Germanicæque gentis gloria, & pro salute omnium sit dimicandum, præsente Cæsare, paucos ne & inconditos inermésçp Barbaros timetis? Maiores nostri contra Saracenos, Turcas, & Arabes ad Christiani nominis gloriam propagandam sæpius profecti sunt, Hierosolymam & sanctam terram Christi saluatoris pedibus calcatã ex Barbarorum manibus extorserunt, ac fortiter pugnando per multos annos retinuerunt. Nos autem obscœnos illos latrones formidabimus, qui patriam nostram aliquoties inuaserunt & deprædarunt? Ite ergo & pyratas sceleratos mecum fundite & prosternite, vt maiorum gloriam conseruemus & ad posteros extendamus. Nec mora quum hæc diceret, ad non dubij pudoris motum exorto alacri fremitu, indignabunda legio, quod ad præstandam operam cohortatione indigere videretur, sese contra hostes effudit. Eius aduentu permoti Barbari, & quòd iam nobilium ducum virtute Italica acies planè restituta spectabatur subsistere, pedémque

1542 referre cœperunt, seu veriti tormẽta currulia, impressionémq; nostrorũ, seu se satis eruptione profecisse iudicantes, quũ ad summam confecti belli victoriã horribili tempestate quassatam classem conspicerent, & multi (Mauriqúe præsertim) ad spem certioris prædæ, vbi nullum omnino periculum ab hoste foret, ad subiecta littora properarent.

Tempestas inaudita.

Nam inusitata & planè fatali diuersorum ventorum coniuratione ad ciendam atrocissimam tempestatem vsque adeò mare commotum intumuerat, & totis littoribus immani fluctuum repercussu frangebatur, vt iactatæ naues & collisæ demum & diffractæ spectante exercitu mergerentur. Eundem quoque tempestatis casum tulere Hispanicæ naues, & ad vnum Scarzapini omnes, quæ Cassineum superare nequiuerant, Ita vt totum id littus ab occasu ad Cercellum vsque oppidum, eiectarum nauium fragmentis, ac hominum & equorum cadaueribus sterneretur. Numidæ enim alij atque alij pariter è montibus conspecta nostræ classis calamitate celeriter se dimiserant, neque inermibus eiectitijs neque fœminis parcentes, secus ac Cercellani Turcæ, qui enatantes vel auarè vel humaniter ad seruitutem conseruare quàm interficere malebant. In ea repentina calamitate Schillingus Rhodiæ classis præfectus constanti animo suos hortabatur, vt præsentem casum fortiter ferrent, atque remis contra maris fluctus, ac sclopetis contra Barbaros decertarent. Quin & Cæsarem ipsum admonebat vt ea animi magnanimitate perseueraret, atque fessos milites egregiè animaret. Nã Deũ opt. max. fœlici astro breui huic tẽpestati finem impositurũ. Periere paucissimis horis circiter centum & quadraginta nauigia, quæ sine remigio quadratis velis agerentur. Rostratæ porro, quum à media fermè nocte in multam diem pertinaci remigum contentione & magistrorum diligentia in anchoris perstitissent, neque diutius tempestatis iniurias ferre possent obruiqúe timerent, iacturam triremis facere ac sese in litus remis & velis vehementer incitare minimè dubitabant: sed enatantes à Numidico equitatu totis discurrente littoribus, semiuiui & frustra se dedentes, in ipso salutis lumine cedebantur. In his Lazarus Amareus Genuensis nobilis trierarchus est interfectus. Erátque spectaculum diuersis casibus valdè atrox, & vbique maximè funestum, quum quisque pro animi habitu natãdiqúe periꝛia, in ipso certè cladis ancipiti metu, dũ genus mortis præoptat autre-fugit, vel mersus vndis, vel hostili lancea trãsfixus ad suum vitæ finẽ destinãte fato raperetur. Nemo tñ erat qui non maximè cędem & vulnera perhorreret, nauisqúe discrimen & tempestatis euentum expectare, quam præuenire vitæ exitum mallet.

Christianæ classis naufragium.

Tum etiam rostrata insignis, qua Ianetinus Auria vehebatur, vti maximè propinqua littori, cohærentiumqúe triremium pulsata ictibus propelli & arenis impingi conspecta est, sed non sustinuit Cæsar vt spectatæ virtutis iuuenis, & præfectura multarum triremium clarus, nullo ferente opem, in oculis ipsius auunculi Auriæ à Barbaris trucidatus interiret, statimqúe Antonium Aragonium cum tribus Italorum cohortibus ad littus misit, quarum aduentu coniectis in fugam Numidis, ille quidem ita seruatus est, vt eius salutem aliquot triremium iactura sequeretur. Multi enim timore liberati confisiqúe præsidio, vt se quoque maris periculo & tot tempestatis incommodis expedirent, proras in littus intulerunt: ac nisi aliquot intrepidi nauarchi, damni dolore ad acerbitatem ingenia vertentes, districtis gladijs discurrendo & mortem comminando, nisi remos inhiberent & se continerent, vectores & remiges deterruissent, maxima pars rostratarum exemplo superiorum perijssent. Ipse vero Auria non tam sibi quàm Cæsari iratus, qui disciplinæ naualis rationem & certos inclinantes autumni dies nauigantium obseruatione prædamnatos neglexisse videretur, incredibili animo contra tempestates indomitus permansit, suadentiumqúe preces vt se conseruaret adeò fortiter reiecit, vt eos acerrimis verbis tanquam publicæ salutis proditores ad imã carinam descendere iuberet. Pari quoq; perseuerantia Virginij Vrsini quatuor triremes, & totidẽ Rhodiæ vel Melitẽses priorũ æmulatione, vincente metũ pudore, & Siculæ aliquot,

aliquot, ac Neapolitanę, & Hiſpanicæ cũcta tẽpeſtatis incõmoda fœliciter ptulerũt. Eo caſu quindecim omnino triremes ſunt deſideratæ, quarũ detrimento ſupra tot nauium onerariarũ naufragia etiam tum fæuiente ventorum rabie, tantus cũ luctu dolor, tantáq; rerum deſperatio in valde lugubri ſupremæ cladis expectatione totum exercitum occupauit, vt ne dum tyrones & milites de ſua tantum vita ſolliciti, ſed longe fortiſſimi duces de publica ſalute cogitantes animos deſponderent. 1542

Summa noſtrorum calamitas.

Nunquam ab vlla annalium memoria vllo bello copias grauiore calamitatum concurſu, vel ſe ipſa fæuior fortuna pertulerat. quum cibarijs omnibus eo triduo conſumptis, nullus, quo tantiſper inediam ferrent, commeatus adeſſet, tabernaculáque deeſſent, quibus in tanta perpetui imbris iniuria & lutulentæ regionis fœditate ad quietem, labore, inedia, frigore, vulneribus confecti milites tegerentur, in tantisque demum incommodis ingens cura, & præterito metu quidem acerbior, omnium mentes magnopere conturbarat, reputatione immanis naufragij, quum tot amiſſis nauibus exoptatus in patriam reditus, in terram Africam proiectis & miſeris fato Cæſaris interceptus crederetur. Afflictorum tamen ſpes, quas apud mortales nulla ſortis iniquitas penitus abrumpit, conſtantia Cæſaris egregiè ſuſtentabat. Ipſe enim mirabili alacritate cuncta munia prouidentiæ militaris ac humanitatis officia, inuictus malis & conſpectu maxime ſerenus adimpleuit. nam poſtquam caſtra conſtitutis præſidijs atque vigilijs contra obſtrepantes Barbaros firmata ſunt, defatigatis ducibus vt ſibi parcerent quieíque ſe darent imperabat. ſolabatur ſaucios, ac in ea tabernacula, quæ fortè ſubſtiterant (nam cuncta penè vis ventorum euerterat) referri foueríque curabat: vt quum ſibi ipſi loricato mãdefactóque non parceret, pleniore cum laude voluntates militum promereri videretur. Deſiderauit eo die hoſtili occiſos manu milites circiter trecentos. In his cecidere præfecti aut noti Centuriones Ioannes Calaber, Pancratius à Neapoli, Cancinius Ligur, Mirabilis Inſuber, & Iacobꝰ Straſolidus è Forouilio. è numeróq; Rhodiorum equeſtris ordinis Didacus Hiſpanus, Georgius Aruernus, & Guido Roſcius Neapolitanus, viri fortiſſimi, qui Turcas cedendo tandem multitudine circumuenti occubuerunt. Vulnerati autem plures ducentis, & in his Sulmonenſis princeps Philippus, Caroli Lanoij filius.

Cæſaris ab Algiera diſceſſus.

Maximum tamen in demerſis nautis detrimentum acceptum eſſe cenſebatur, quorum iacturam innumerabilia tormenta ænea mari hauſta plurimum augebant, & ob id cumulatore damno, quod in poteſtatem Barbarorum, quum pacatum mare vrinantes admitteret, ad publicam perniciem peruentura prouiderent. Nec multo pòſt Andreas Auria diffiſus loco ad Matafuſium promontorium cum claſſe ſe proripuit, quod tutiorem ibi ſtationem & ſine crepidine littora ad conſcenſiones militum commodiora didicerat, commonefacto Cæſare, vt illuc terreſtri itinere contenderet. Ita Cæſar comprobato conſilio ab ſubleuandam inediam, equos, & primo iugales ab initio trahendis tormentis ante omnes claſſe eductos, ac demum militares interfici iuſſit, & cohortibus diuiſit. nam ad excitandos ignes ex naufragijs ligna affatim ſuppetebant, fortuna veluti vno eo beneficio tot iniurias compenſante. Poſtridie Cæſar ab Algerio diſcedens, quum triplici agmine, & ægris ac ſaucijs in medium receptis, ſeptem millia paſſuum confeciſſet, perſequente & circumfuſo vndique Barbarorum equitatu, ad torrentem Alcaratz peruenit. Is imbribus valde inflatus retróque ad oſtium ventis pariter & irati maris fluctibus compulſus, tantum excreuerat vt qui paulo ante humilem vel infirmo pediti vadum præbebat, propter aquæ rapiditatem, & altitudinem nec à valido quidem equite tranſiretur. Multis tranare auſis curſuq́e amnis celeriter abreptis, Cæſar ex reliquijs nauium malos ac antennas paſſim nactus, ſubitarij operis pontem perfecit, atque eo non omnino incommodè Italos atque Germanos traduxit. Hiſpani enim in ſuperioribus locis vix ſuras adæquantia profluentis vada repererant. Neque poſtea Turcæ aut alij Barbari paſſim ex Africa confluentes, qui inſequerentur reperti ſunt. reuocarat enim

1542 eos Asanagas, persequendi & lacessendi negotium Mauris & Numidis relinquens, quin quum ab sclopetarijs currulibusque tormentis (quæ vnicuique agmini gentiq; ad præsidium attributa fuisse diximus) egregiè peterentur, integros maximè debilitatósque vulneribus à nostris destitutos atrocissime sæuiebant. Nulli erant qui inter angustas spes salutis proprio metu occupati, alienæ calamitatis misericordia mouerentur.

Equi omnes in mare præcipitati.

Sequenti die superato alio minore flumine, tribus tandem castris ad classem est peruentum. quæ cum Matafusij promontorij modico flexu tegeretur, exercitus omnis in Tipasæ antiquæ vrbis ruinis iuxta mare consedit, loco ita opportuno vt cadentium murorum reliquiæ, ad admirationem Romanorum operum, adhuc extantes aduersus Barbarorum audaciam non inutile monumentum præberent. Iam mare remissioribus fluctibus agebatur ventique perflare desierant, ac ea erat consecuta tranquillitas, vt exercitus in naues imponi ac in Europam reportari commodè posse videretur. Itaque Cæsar omnibus edixit esse nauigandum. Sed tot nauibus naufragio absumptis, quum onerariæ naues tantam militum multitudinem, vel angustè collocatam, minime capere posse censerentur, pronunciatum est gubernatoribus dominisque nauium, vt equos ad vnum omnes in mare proijcerent. quod pietate Cæsaris indignum foret, vel generosos & incomparabiles equos gregariorum militum aut denique lixarum saluti prætulisse. Ea res procerum dominorumque præsertim animos vehementissimè perstrinxit. Spectabantur itaque cum dolore ac inani misericordia generosi & militares equi, toto pelago elatis ceruicibus ad proximas quasque naues irrita spe salutis tanquam ad littora contendentes, quum demum longa defatigatione superati, consumpto spiritu mergerentur. Sed vix dum dimidia pars militum conscenderat, quod scapharum inopia vel cupidè properantibus tarditatem attulisset, quum Vulturnus & Eurus, alijque mox venti in orbem conspirantes, secundam tempestatem penè prima vehementiorem excitarunt. Quo casu nihil expectatis imperijs, vna quæque nauis sublato plena milite, ne in scopulos adigeretur, eò direxerit cursum, quo vis ipsa ventorum plenis velis per alta maria rapiebat. Abiêre quidem celeriter è conspectu dissectæ penitus in contrarias regiones. Eumque tempestas habuit euentum, vt aliquæ naues iam planè quassatæ, sensimque absorptæ in conspectu aliarum perierint, ex alia autem promptiores scapham occupantes pereuntium sociorum testamenta supremásque preces ad vxores & propinquos retulerint.

Rhodiæ triremes cum Cæsare domũ reuersæ.

Ipsis autem Germanis, ea terra marique accepta incommoda, contagiosam penè pestem attulerũt, quod & antea corruptis visceribus profluuio laborare cœpissent, cum ex inedia toto triduo palmularum bulbosis radicibus, & cæpis agrestibus vescerentur, quibus malis & aliquot demum naufragijs effectum est, vt ne tertia quidem eorum pars incolumis in Germaniam redierit. Cæterum Cæsar, obtestante Auria, inualescentem procellam effugiens, cum Rhodijs equitibus & rostratarum classe præteruectus Africæ littora ad orientem in Holchaticem sinum se intulit, in quo situ est Buzia. Castellum tribus munitum turribus in ea parte vrbis quæ mari alluitur paucorum Hispanorum præsidio tenebatur. Vrbs autem ipsa paulo antè gymnasio & nundinis ac Horrucij Barbarossæ calamitate percelebris, penè tota perierat. Nec Hispani plus suburbani agri possidebant, quàm quantum tormentis & armis aduersus obsidentes Numidas tuerentur. In præsidio autem perexiguus omnino commeatus est repertus. Quum verò Cæsar in spem maximam commeatus deuenisset, quod Ligustica nauis in conspectu se dedisse tempestas inualuit, atque eadem ad littus naufragium passa eiecta est. Interea Cæsar Rhodias & Siculas triremes ab se dimisit, atque ob egregiam nauatam operam gratias egit. quæ etiam domi magna gratulatione susceptæ fuerunt. Nec multo post à Curchinno montanorum Pænorum principe legati ad Cæsarem venerunt, intra paucos dies commeatum affatim & magna item auxilia aduersus

Turcas

Turcas pollicentes. sed eos Cæsar, Punicæ fidei liberalitatique diffisus, amicæ vo- 1542
luntatis & officij nomine pecuniam donatos remisit: quæ legatio demum euulgata per Barbaros magno incommodo paucos post menses principi cessit: nam tanquam amicus Christianorum ab Asanaga ditione fuit expulsus.


Bellum Gallicum.

Postea defatigatis planè ventis vsque adeò resederant tempestates, vt mare sedatum videretur, & periti nautæ cum metu periculorum imminentium, tum præteritorum tædio nauigationi se committere minime dubitarent. Tandem aspirantibus Euris Cæsar ad Baleares cursum direxit, diuæ etiam Catharinæ maligno sidere tranquillam nactus tempestatem, atque inde demum ad nouæ Carthaginis portum appulit. Festinabat autem Carolus Cæsar eò libentius in Italiam, vt Francisco Gallorum regi suas copias obijceret, qui ob Rinconis & Fregosij Legatorum cædem magnum bellum excitarat in Belgia, atque à Solymanno Turcarum imperatore per Dexium, è Rhodia militia trierarchum, classem auxiliarem petierat. qui tamen Massiliam reuectus certum negatæ classis nuncium eodem tempore retulit, ea tamen spe, vt Turca primo vere duplo maiorem quàm peteret amico regi aduersus Carolum communem hostem transmitteret.

NONI LIBRI FINIS.

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MAriqúe fortiter geſtarum,

Liber decimus.



Imperij expeditio in Vngariam.

VB id tempus Ferdinandus rex cum Germaniæ principibus, et Imperij ciuitatum legatis Norinbergæ comitia celebrabat, vbi Catholici cum Euangelicis de Christiani dogmatis veritate contendebant, atque Ferdinandus obnixe petebat vt bellum communib. viríb. contra Turcas ſuſciperetur. Apparebat enim Turcas perpetuo belandi ſtudio, & conſuetudine procedendi prædam & plati imperij famam quærentes, occupata Pannonia mínimè quieturos, breuíq; futurum vt Germani (niſi Hũgaris diro bello obrutis opem ferrent) irrumpẽte victore Barbaro iniqua domi conditione pro focis & vxoribus ac liberis certare cogerentur. Itaq; religionis controuerſia in aliud tempus dilata, omnis Germania Ferdinandi regis precibus excitata, grauiſſimíſq; Hungarorum obteſtationibus permota, aduerſus Turcas bellum ſuſcepit. nullus enim principum erat qui acceptum ad Exechium & Budam dedecus nobili auſu ſarciendum, Budamqúe omnino repetendam

dam esse non duceret. Cæterum decreto bello, imperata adductáq; sunt à principi- 1542
bus & liberis ciuitatibus ad triginta millia peditum, & equitum armatorum se-
ptem millia Germanici nominis. In his eminebat Mauritius dux Saxoniæ: Le-
gionibus magna bellicæ virtutis opinione præerat Conradus à Bembelberg mi-
nor Hessius ductus, qui direpta vrbe Roma magnum sibi nomen compararat. pre-
terea Vvolffgangus Theodoricus ex Sueuia vir illustris. Supremi autem milita-
ris imperij nomen delatum est Ioachimo Electori Brandenburgensi, qui Turcico
prælio ad Viennam prius interfuerat, ita tamen vt summa consilij potestas ad o-
ctouiros pertineret. hos natu grandes, rerumque peritos in Concilio delegerant,
qui imperatori non multum foris in militia versato adessent. Vbi Viennam est de-
uentum, accessere regis Ferdinandi copiæ. nam præter Austriacos nominatim e-
uocatos, Hunganotus Styriæ præfectus circiter decem millia equitum effecerat.
In his erat Illyricorum ala Bartholomæo Croato duce impigro, & Nicolaus Sdri-
nius cæde Cazianeris laudatus. Hungaricus autem equitatus quindecim millium
numerum efficere dicebatur.

Christianorum copiæ.

Caspar Seredius vir impiger cis Danubium multos Vsarones ad signa con-
uocarat. alia quoque validior manus Andreæ Bathoris vexilla sequebatur. vetera-
nas vero turmas, quæ circa Agriam vltra Danubium hyemarant, ductabat Petrus
Perenus authoritate & potentia Hungarorum nobilissimus. Nec ipse Georgius
Varadiensis præsul, qui tutelam regis pueri & reginæ in Transyluania susce-
perat, tanto excitatus apparatu Christianæ causæ defuturus credebatur: nullo tamen
literarum testimonio fidem suam probabat, ne Turcis irrita consilia proderen-
tur. Paulus quoque Pontifex tria millia delectorum peditum Viennam ad exerci-
tum misit, hisque Alexandrum Vitellium ducem attribuit, qui spectatis operibus
pugnacis & egregijs ducis famam quæsierat. Italos enim milites rex ipse vti maxi-
mè idoneos expugnandis vrbibus quærebat. Nam paulo ante Philippum Torni-
cellum cum aliquot cohortibus mercede conduxerat, & Iacobus Medices Danu-
bianæ classis præfectus alterum iam annum in Pannonia secunda nominis fa-
ma militabat. Eam sacram imperij expeditionem cum Melitenses equites intel-
lexissent, & ipsi ex omnibus Christianorum prouincijs (præsertim vero qui ædes
Ioannitarum in Germania administrabant) conuolarunt, atque egregiam ope-
ram regi & Imperio nauarunt. Sforcia quoque Palauicinus summæ spei adole-
scens ornatissimam sexcentorum equitum alam, circa Padum conscripsit, in Pan
noniam adduxit.

Exercitus ordo.

Descensum est secundum dextram præterlabentis Danubij ripam, miro quidem
ordine, sed adeo modicis ac intermissis itineribus, vt multi ducum iam adultę æta-
tis meliorem partem gerendis rebus opportunam segni & inutili mora absumi te-
starentur. fremebatque ob id ante alios Medices, qui multum antea regem fuerat
adhortatus, vt ad prima veris signa, priusquam Turcarum præsidia confirma-
ri nouis militibus possent, expeditas copias cum classe demitteret. futurum enim
esse vt strenuè inuadendo, non Pesto tantum verùm & ipsa Buda potirentur,
quod Solymannus Budæ præfectus & Stephanus Verbetius Iudex peste mor-
tui essent. sed ea consilia Ferdinandus aulicorum suasu in eam maximi apparatus
occasionem distulerat. Cum autem Ioachimus lentis itineribus Strigonium per-
uenerat, Ferdinandus Viennæ substitit, atque commeatus secundo flumine in
castra transmisit. In promouendis vero castris talis ordo seruabatur. Trigin-
ta turmæ sub Hungarorum signis, moris hostium locorumque periti explorant-
dis regionibus anteibant. Pontificiæ cohortes sequebantur, Vitellio Germanis du
cibus gratias agente, quod sibi nobilem virtutis ostendendæ locum dedissent. His
Sfortium & Melitenses splendentis armaturæ equites ad mutuam opem feren-
dam erant coniuncti. Succedebant continenti fere ordine tres distinctæ maio-
res alæ. Prima Pereni & Bathoris: secunda proregis Hunganoti: tertia Ger-
manica grauis armaturæ: deinde modico interuallo peditum robustæ legiones

qua-

1542 quadratis agminibus. Apud has tormenta leuiora, falcones, & minores colubrinæ ad campestres vsus supra quinquaginta equorum iugis trahebantur. In dextro latere legionum adequitabat exercitus Imperator, cum robore Germanorum equitum, qui fulgentibus protecti armis insuperabilis & longe pulcherrimi agminis speciem præbebant. longa vero series Carrorum extra aciem ducebatur, ita vt irruptu ris hostibus esset obiecta, intercedente duorum stadiorum spacio, quo explicari posset equitatus.

Castrorum situs.

Inclinante sole castra ponebantur, ea instituta ratione vt lunato circuitu connexis curribus & pluribus simul tormentis Germanici nominis copias circumuallarent, reliqui omnes Itali ac Hungari cum vna Germanorum equitum manu extra munimenta pernoctarent. Ideo Vitellius, vt contra hostium subitas incursiones tutior foret, editos colles & nemorosa loca quærebat. E singulis autem legionibus singulæ cohortes, quæ circa rhedas in statione consisterent, sorte ducebantur. & si quis hostium incursus tumultum excitabat duo millia equitum descripta erat, qui demissis equis pedestri ordine cohortibus opem ferrent, vallumque defenderent, ad læuam reliquum castrorum latus alluebat amnis, aquationibus & in omnes cõmitantis classis commoditates opportunus. Nunquam enim à Danubij ripa discedendum esse didicerant superiorum ducum exemplo, qui in Pannonia militassent, & recenti monitu Ioannis Tarnouij Poloni, qui Moldauica victoria clarus scientię militaris sibi magnum nomen compararat. Is etiam de euentu belli interrogatus, respondit, vix magnam de Turcis victoriam sperandam, nisi Dei beneficio parta concordia omnes totius Christiani nominis equites & opes in vnam aciem cogerentur. Erat enim fama edita Solymannum cum ingentibus copijs, amittendæ Budæ periculo, excitum in Pannoniam rediturum: aut si ipse subsisteret, missurum auxilio Europæi equitatus Magistrum, qui suo more commoueri minime posset, nisi equitum sexaginta millia ducerentur. Sed certi demum speculatores è Samandria reuersi, omnes de Turcis falsos rumores extinxerunt, ac tãti dedecoris tarditatem sustulerunt. Indicarunt illi mille lanizeros pedites, & bis totidem equites Budam aduenisse, classemque Turcarũ regia multa esse inferiorem, ita vt omnis mora profectionis sit tollenda.

Cõsiliorum diuersitas.

His de causis cum omnium militum animi ad profectionem erecti viderentur, & iam ipse Ioachimus abrumpendam moram putaret, Danubium trãsire constituit. Id non probabant Medices, qui cum Strigonij integrum animum in præsidio fuisset, Turcásq; sæpius ad portas excurrere ausos multis interfectis & captis late repressisset, rebus Budensium diligenter exploratis, petendum regni caput differebat, monstrabatque iter expeditum, quo facile in conspectum Budæ peruenirent. Idem erat Pereni iudicium, eademq; Hungarorum voluntas. Sed ducis & consulum mens erat ante omnia Pestum expugnare, quod minore cum labore & periculo fieri posse videretur, atq; inde demum perspectis hostium consilijs cognitisq; viribus ad veteris Budæ ripas reuerti. tum enim milites multo alacrius expugnandæ Budæ pericula subituros, si Turcas in prima contentione deuicissent. Hæc opinio magnopere probabat ipsi Barcocio, Othonicq; Fotisco, qui paulo antè Pestum contra Mahometem defenderant, locorumque naturam exactè nouerant. Cæterum ea res aliam quoq; moram attulit. Nam Danubius in insulam S. Andreæ, & inde ad Vaccianam ripam traiecturis gemino ponte, & laborioso quidem opere iungendus erat. Vno demum atque altero ponte flumine constrato, petenda erat Vaccia vrbs antea nobilis, sed Mahometis bello incensa, & demum euastata à nostris copijs penè tota corruerat. nec erat quisquam qui ante alios adire & locũ explorare vellet. In ea cunctatione (adhortante Ioachimo) Vitellius alacriter id munus suscepit, ea spe postero die Germanorum cohortes subsecuturas. Itaq; Vitellius ni celeriter confecto itinere vrbem ab incolis desertam intrant, nec quenquam horum qui se in conspectum daret inueniunt, ita vniuersus exercitus ab insula in vlteriorem ripam est traductus.

Descen-

Descendit eodem tempore Medices ornatissima classe, vt aliam minorem insulam D. Margarithæ occuparet, nec obstitêre hostes, qui tota ripa sese diffuderant, è Budáq; vetere minorib. tormentis classem transitu phibere conabantur. sed classis singulari militum alacritate, paucis acceptis vulneribus, apprehendit terram, classemq; hostium subeuntem, coniectis in eam maioribus pilis, ad suburbanam Budæ stationem compulit. Porro inter insulam & continentis ripam in spacio duorũ stadiorum, erecta quadrata munitione, parua castra quæ septem cohortium præsidiũ acciperent constituta sunt, vt onerariæ naues duplici defensæ præsidio nihil timerent, & qui sub sarcinis in castra contendebant securè commearent. Nam & interdiu aliquot turmæ equitum cohortibus addebantur. Quum postea magno circuitu, vitandis Budensium tormentis, ad Pestum ire pergerent, ex transfugis reperiebant Balim Epyrotam, qui vrbis Præfecturam exceperat, in præsidio habere duo millia equitum, tria vero millia ex Illyrico Vlamenem Persam adduxisse. Ad hos accessisse mille equites, Amurathe Dalmata duce. Aduenisse autem Byzantio ex numero Prætorianorum Ianizeros pedites mille, quibus Segemenes præerat. Reliquos pedites ex genere latronum agrestium Marteloſios aut Mysos remiges esse, quos facundo operi idoneos mercede conduxissent. Classem verò constare paulo plus sexaginta Nasadis, decem biremibus, paucisq; magnis lintribus, quos vndiq; educta sponda crassis asseribus contabulassent. Imperasse autem cunctis Solymannum, vt Budam et Pestum, cęteris oppidis neglectis, summa vi defenderent. si quid porro propugnantibus durius accideret, Achomatem Magistrum equitum (quem Bellerbeyum vocant) è Triballis accerserent, consedisse enim eum ad Sophiam vrbem vt maturè opem ferret, monuisséque Sanzachos vt parati profectionis imperium expectarent. 1542 *Turcarum in Vngaria vires.*

His rebus explanatis castra ad vrbem Pestum promouentur. Turcæ conspectis nostris Vacciana porta erumpũt, simulq́ue Hungari singulari alacritate equos incitant, tumultuario prælio concurritur. sed paucis vtrinq; cadentibus pari successu vires experti, Turcæ in vrbem, Hungari in castra reuertuntur. Vitellius à Septentrione, qua vna in parte vrbs tuto oppugnari posse videbatur, propinquam muro locum, cœpit. Germani vallatis castris paulo remotius considerunt. Vrbis mœnia quadratam figuram efficiunt, & à meridie profluente Danubio, & per angustam ripæ marginem relinquente opportunè muniuntur. Vtrunque autem latus ab oriente pariter & occidente tormenta maiora, hinc ab arce Buda, illinc à Gerardo monte ad certos ictus constituta ita detergebant, vt sine certo exitio neminem nisi imperitum & insanum, vsq; adeo in locis infestis, castra metari posse perspicerent. Buda enim editis collibus imposita, dirimente Danubio, Pestum in plano situm contrà respicit, dominaturque latè campis longo prospectu. Postero die quum Vitellius, vt statuendis tormentis locum exploraret, cum tribus cohortibus & duabus Sfortianis turmis ad mœnia processisset, nec quisquam hostium cõspiceretur, Turcæ repentina eruptione è duabus portis nostros inuaserunt. initúmq; est certamen paribus primo animis ac viribus: sed postquam noua manus peditum & equitum subsidio suis aduenit, nostri pedites primò, mox & equites perturbati, vim Ianizarorum ferre non poterant. Illi enim summa agilitate suspensa ad vtrunque latus anteriore tunica, peritissimè longoribus sclopetis vtebantur, celeritatéq; mirabili, vbi aliquis è nostris concideret, aut occiso equo sterneretur, iacentibus capita detrũcabant. nec lato scuto protectus eques, longioréq; hasta præualidus, & graui gladio aut claua ferrea galeas perundens, armatum nostrum equitem timebat. *Pestum à nostris obsessũ.*

In ea pugnæ iniquitate perterritis militibus, Vitellius conglobata cohorte vnà accensisq; pudore suorum animis insolenter ingentes Ianizeros graui impetu submouit & disiecit. quibus pulsis, peropportunè seruati sunt Vistarinus equitũ præfectus, & Ludouicus Sfortianæ alę vexillifer, qui vulneratis & cadentibus equis, sub multo armorum pondere, in manibus hostium ferè perierant. Viri tamen aliquot fortissimi ibidem vtrinque interiêre. Vitellius ad sarciendum incommodum *Christianorum & Turcarũ pugna.*

1542 dolore incitatus, cognita iam natura hostium, illis insidias parare constituit, ac ante alios Perenum, & Rhodios equites admonuit, vt occasioni gerendæ rei intenti & parati esse velint. Considebat Vitellius in hortis regijs muro præcinctis, qui æquali mille passuum spacio à maioribus castris & ab vrbe distabant. ex his hortis duodecim cohortes sub signis educit, reliquas intra septa consistere iubet, progreditur q; magno circuitu ad inferiorem fluminis ripam. Nec hesterno successu elati hostes quicquam moræ sibi afferunt, quin conspecto nostrorum agmine orientali porta Fulmentanáq; pariter erumpant, & ad nostros magna alacritate deferantur. At Vitellius suo periculo cautior Turcarum impetum densatis ordinibus excipit, sclopetarios ab hastatis protectos & sese in dextrum genu proclinantes displodere iubet. vehementi strepitu prælium miscetur, multi cadunt, & Turcę pertinaci audacia inuecti, cuneis nostrorum aciem effringere conantur. sed cohortes fortissimè resistunt. Interim quum iam Turcæ equites atq; Ianizeri frequenti multitudine portis exiuissent, & multi pariter à Buda contemplati certantium agmina, vt victoriæ interessent, transuecti nauigijs citeriorem ripam compleuissent, Vitellius timorem simulat, & sensim conferta acie se recipit.

Turcarum cædes.

Tum vero hostes clamorem attollunt, & vehementius ex omni latere nostros perurgent, ac equites ad cædenda terga discurrunt. Id Perenus & socij attente conspicati, vbi iam satis magno spacio Turcas insequendi cupiditate abductos à portis discessisse videt, expeditas turmas inter vrbem & auersos hostes inducit, celeriter turmæ locum occupant, & regressurum hostem portis intercludunt. Adcurrit cum reliquis Perenus, validaq; Germanorum equitum manus, duce Mauritio Saxone, Hungaros consequitur. Tum demum Turcę animaduerso periculo pedem referre, indagine se clausos intueri, in fugam ora atq; animos conuertere. Nec consilio votóque Vitelliani desunt. promoto enim hastatorum agmine, & vtrinque sclopetarijs in cornua expansis Barbaros inuadunt, eos vndique circumfuse Hungarorum turmæ & occurrentes Germani equites in medio trucidant. Tantus erat conuersis & fugientibus illatus terror, vt plerique præcipiti cursu ad portam delati intentis hastis suorum terga configerent, illisiq; in angustijs & mox cadentes sequentibus ingressum obstruerent. Multi quoque quum è ripa propellente equitatu in flumen præcipites agerentur, & naues in tanta perturbatione ascendere nequirent, aut interfecti aut abrepti flumine perierunt, Nasadáq; vna nudata remigibus in littore capta demersaque est. Eo die Segemenes supra ducentos Ianizeros, & ex reliquis ad trecentos desiderauit. In hac pugna spectata est singularis virtus in duce Mauritio, qui inuectus acriter in hostes, & ab his circumuentus equóque deiectus, tanto periculo sese fortiter eripuit. Ab hac victoria nostris adeò creuerunt animi, vt

Ioachimus princeps proferri tormenta, & continuò quati murum iuberet.

Itaq;



Itaque erectis vimineis corbibus, quos multa gleba ad altitudinem ſtaturæ ho minis replebant, vt pluteorum more tormenta protegerent, productus eſt omnis tormentorum apparatus. ſed longius quàm oporteret cōſtituta murum languidiſſimè feriebant. quòd ſi paulo dimiſſius aut æquo altius librata eſſent, facile accidebat vt pilæ vanis ictibus ſolo inciderent, aut trans Peſtum Budam vſque iacerentur. Animaduerſo vitio propius admota fuerunt. Eo modo quum murus quadraginta maioribus tormentis aſſiduè quateretur, magno hiatu ad ingreſſum patefacto, repentè corruit. Nec dubitauit Vitellius ſe primum periculi locum cum ſuis ſubiturum, ſi Germani cum expedita legione aſcendentes Italicas cohortes à latere ſequerentur. Annuerunt Germani, atque ſublata manu (pro more) id ſe facturos promiſerunt. Ab alio autem latere Hungari pedites agreſte hominum genus, & cæteris audacior equitum iuuentus, quæ ad æquandum pari virtute bellicum decus pedibus pugnare volebat, locum deſumpſerunt, trucique vlulatu ædito Italos tumultuario procurſu ad ſubeundum murum inuitarunt. Expectantibus cunctis pugnæ ſignum, Vitellius ſuos paucis cohortatus, vt pro dignitate Chriſtiani nominis cum fœda gente fortiter dimicarent, ſimili modo Medices delectos veteranos, quos è nauibus eduxerat, accendebat. Perenus Hungaris & Heſſius

Peſtum vrbs oppugnata.

1542 Germanis animoſe aderant. Mauritius Saxo & Rhodij equites cum magno peditum & equitum manu in ſtatione conſtiterant, vt ſi hoſtes more ſuo erumperẽt, munimenta tuerentur. Erat mirum apud hoſtes ſilentium, vt nonnulli traieciſſe flumen, & Budam effugiſſe crederent. Segemenes enim cuncta tacite adminiſtrabat. Is nouum ab Vlamene præſidium acceperat, foſſamqúe intra murum præaltum decliui vtrimq; margine perduxerat interiore aũt in labro vimíneos corbes & dolia vinaria ceſpite & arena repleta collocarat. Poſt eam munitionem lanizeri conſidebant, ſecundum eos ſagittarij, & demum equites qui pedibus pugnare iuſſi erant. Ad vtrunque foſſę caput feneſtratum aggerem erexerat, vt qui è noſtris conſcenſo per ruinas muro in foſſam ſe demitterent, non maioribus tãtum tormentis abvtroq; latere emiſſis diſcerpti, ſed flamma etiam ex puluere ſulphureo aridisque virgultis repentè excitata, omnes correpti delerentur.

Auſtriacorũ clades.

Signo dato quatuor ſigniferi ſequentibus cohortibus audaci curſu in murum per ruinas euolarunt. Sed dum vexilla defigunt, & foſſam munitionesqúe hoſtium mirantur, & pari ſpe metuqúe ad deſcenſum animos parant, repentina grandine ſagittarum & glandium obruuntur. Nihilo ſecius alij atque alij intrepidè ſuccedunt. In his eminet Carolus Melites nobilis adoleſcens, & cum eo aliquot præfecti & centuriones. Cæterum Germani conferta legione ſub mœnibus conſtiterunt. Hungari quoque qui alacriter procurrerant, à mœnibus recedunt. Ita fortuna Italis infeſta promptiſſimos quoſque ſuſtulit. præfecti enim cohortium ſternuntur, occiſiſqúe ſigniferis vexilla deſeruntur. Nec Turcæ occaſioni deſunt, ſed tota muri corona diffunduntur, ſpirantibus ſpolia detrahunt, et capita detruncant. mox etiam glandibus, ſagittis, & lapidibus noſtros deiectos nec ſe recipientes inceſſunt. Eadem quoque telorum vis legioni Germanorum incumbebat. Illi enim ſuum locum retinebant, & occaſionem irrumpendi expectabant. Tandem verò Heſſius pertinacia multis vulneribus expugnata legionem reduxit, & cohortes Italicæ ſe receperunt, adeo diſſipatis omnium ordinibus vt multorum opinione conſtaret, ſi Turcæ omnibus portis erupiſſent, magno detrimento noſtros affici poſſe viderentur. Eo conatu potius quam prælio ſeptingenti ex noſtris deſiderati, & aliquanto plures vulnerati. Medices quoque dum ad cohortandos milites diſcurreret immanis tormenti afflatu, humi cum equo proſtratus ſummum vitæ periculum adijt. Sed noſtris repulſis Barbari nihil ſe commouerunt. ita in caſtris ſublatus eſt omnis tumultus, & curandis vulneribus militi quies data.

Singularia certamina admiſſa.

Die ſequenti Ioachimus duces in conſilium vocauit, diſputatumqúe eſt grauibus ſententijs, an abſcedere incœpto, quam expugnandæ vrbis diſcrimen iterum ſubire ſatius foret? quum à pleriſque Germanis tutiſſima, vti longè optima probaretur, Vitellius contrarium ſenſit, atque ſimul triplici conſtanti acie hoſtes inuadendos conſuluit. Introductus tum fuit ſpeculator, qui Achomatem ſuperato ad Belgradum Sauo, iam ad Drauum perueniſſe referebat. Itaque Maior pars, Germani præſertim, caſtra inde mouenda & Viennam redeundum decreuerunt, quod præcipiti autumno matura hyems ſuberat, & multi militum vulgatis morbis deperibant. quin etiam diuturna ſerenitas timendos imbres prænunciabat, & maxime quòd foſſa vrbis interior ante ſpem conceptæ victoriæ noſtrorum cadaueribus implenda videbatur, nec tutus demum receptus foret, ſi Achometes expedita ſuorum agmina de more præmiſſurus, ad Tolnam Danubio traiecto hærentibus in oppugnatione vrbis ſuperueniret. Sequenti tamen die in ſpeciem renouandi certaminis tormentis iterum mœnia concuſſerunt, & milites ſub ſignis in ſtatione nullo tumultu edito conſtiterunt, quo ſuſceptæ profectionis conſilium tegi poſſet, & hoſtis diſtineri, qui nullam ad inſequendum moram facturus eſſe videbatur. At Segemenes prima luce equitatum omnem & validam peditum manum emittit. Illi pluribus in locis cum Vngaris pugnarunt, nec virtute aut eludendi arte noſtri hoſtibus cedunt. resqúe eo deducta erat vt in conſpectu Germanorum & Italorum, quaſi indictis inducijs, ſingulari certamine ex vtraque

acie

acie conſpicui, quíque infeſtis haſtis concurrerent, vſque adeo fide integra, vt vtrinque Barbari Hungaris, & Hungari Barbaris miſcerentur, noſtríque duces tanquam ludícro ſpectaculo virtutis & ignauiæ iudices intereſſent. Eo díe ſupra quingentos equites concurriſſe conſtat, non nullis vtrinque interfectis & vulneratis. Sequenti porro nocte reducto omni tormentorum apparatu, exercitus ad claſſem ripamqúe Danubíj ſeruatis ordinibus iter intendit. 1542

Tum vero Barbari noſtros diſceſſiſſe conſpicati, ſeſe omnes effuderunt, clamoréque ſublato poſtremis agminibus inſtiterunt. Traiecerat & ipſe Vlamenes, premebanturqúe vſque adeo noſtri, vt niſi magno accepto incommodo ſeſe explicare & agmen conſequi poſſe viderentur, niſi Vitellius vexílla ſiſti, conuertíqúe ordines ſuos iubens monuiſſet Hungaros, & ſecundum eos Germanorum cathaphractos, vt impetu facto & denſatis turmis vrgentem hoſtem impeterent. Ita armatus equitatus intentis haſtis inuectus, non modo hoſtem ſubmouit, ſed perturbatum & fruſtra terga dantem late cecidit. Durauit ea tumultuoſiſſima hoſtium fuga pugnáque in multam noctem, quum clauſis portis excluſi hoſtes ad Danubium vſque ſecundum mœnia curſum intenderent, noſtríqúe auidè perſequerentur, & cuncta tormentis vndique emiſſis in communi periculo perſtreperent. E noſtris autem ducibus ſuprema inſignis virtutis opera egregiè nauata interíjt Iacobus Truckſeſſius Baro Valdburgenſis, qui Sueuorum equitatui præerat. Is quum equo vulnere procumbente oblatum alterum conſcendere conaretur, interfectus eſt, caputqúe eius haſtæ præfixum miles ad Vlamenem tulit. trunco autem noſtri potiti ſunt, qui demum Vacciæ omni funeris honore collato tumulatus eſt, hoc ipſo publicæ pietatis officio digniſſimus, quod eius ſacri ſuſcepti belli præcipuus adhortator extitiſſet. Eo accepto incommodo multísque deſideratis, Vlamenes equitatum continuit, patuitqúe inde expeditum iter noſtris Germaniam repetentibus, quíbus magno vſui claſſis fuit. Medícis enim præfecti díligentía tormenta omnia in naues ſublata ſunt. ægrorum tamen perampla manus ſegniter extremum agmen ſubſecuta, claſſem conſcendere nequiuit, ita vt ſuperuentu Barbarorum ſeptingenti fere ſemianimes crudeliſſimè obtruncarentur.

Iacobi Truck ſeßij interitus.

Poſtea noſtri duces exercitum Viennam reduxerunt, atque præſidio ſeruato maiorem partem ſolutis ſtipendíjs dimiſerunt, cum iam tertiò infœlici conatu Turcarum vim experti Pannonicum regnum relinquere, & pro ſalute Germaniæ conſilia capienda faterentur, præſertim cum ſummi Chriſtianorum Monarchæ Cæſar & Gallus obliti veri decoris priuatis odíjs decertarent, ac rempublicam Barbarorum commodo eneruandam perdendámque ſumma animorum obſtinatione ſuſcepiſſent. Italis tum à Ferdinando dimiſſis, præſertim vero Vitellio atque Angelo Medices præfecti claſſis fratre cum multa virtutis commendatione aurea pocula à rege dono data. ſed eas copías, per Villacum & Carnicas alpes domum iter habentes, lentus morbus vehementer afflixit, vt ferè dimídia pars militum deſiderata ſit. Sfortiani quoque equites cunctis ferè equis macie enectis pedibus in patriam ſunt reuerſi. Sed Rhodíj equites quíbus lauta fortuna & cumulatæ opes paſſim in ſuis pronuncíjs & ædíbus attributis ſupererant, valedícto rege & reliquis belli peracti ducíbus, magna laude ad ſuos incolumes domũ profecti ſunt. Ex ducíbus vero Petrus Perenus Vngarus ob affectati regni Pannonici magnam ſuſpicionem in arce Strigonienſi à Liſcano Hiſpano Ferdinandi regis iuſſu capitur, traditurqúe extemplo Medici præfecto claſſis Viennam deducendus. Id factum adeo Hungarorum animos offendit, vt ſupra duodecim millia equitum ſublatis continuò ſignis domum redierint. Nec multo poſt Perenus, quum in dicenda cauſa vt palàm audiretur impetrare nequiuiſſet, in Noua ciuitate cuſtodię traditur, nouæ perfidiæ & antiquæ leuitatis diuturno carcere pœnas laturus. Accidit hæc Imperíj expeditio in annum Chriſti 1542.

Chriſtianorum ex Vngaria diſceſſus.

Paulo poſt Polinus Franciſci regis Galliæ apud Turcas legatus hyemantem

Turcarum claſſis Galliam tendit.

1542 Hadrianopoli Solymannum, appetentéque vere in Pannoniam graue bellum parantem secutus, accuratis tandem precibus impetrauit, vt Ottomannica classis Hariadeno Barbarussa præfecto Massiliam mitteretur, quæ inimicis littoribus infesta distraheret opes Cæsaris, valida belli mole Galliæ finibus incumbentis, interclusoque Tyrrheno mari insularum ac Hispaniæ nauigationes impediret. Itaque Polinus, qui inter tot curarum æstus desperata classe animum desponderat, nuncio decretæ classis exhilaratus Solymanno gratias egit. Biduo pòst Rostanes Tyranni gener Polinum honoris causa solennibus epulis excepit, amicitiam & gratiam eo classis munere adauctã gratulatus. Discessuro autem Solymannus classem vt incolumem præstaret atque reduceret magnopere commendauit, eique literas in eandem sententiam ad Franciscum regem deferendas dedit. Id cum Melitenses equites per exploratores cognouissent, tantæ classis apparatum veriti, arma, annonam, & auxilia compararunt, & sui ordinis equites hinc inde ad principis sedem conuocarunt, vt si opus foret potenti hosti resisterent, aut quacunq; ratione fieri posset Barbaris incommodarent. At Polinus Byzantium reuersus classem ab Hariadeno egregiè refectam instructámque remigibus reperit, tanta adhibita celeritate vt ad quartum calendas Maias conscenderint. Petita primo Euboea ad Caristium promontorium, ad Maleam contenderunt. Superata autem Malea tota classis reflantibus Etesijs in Laconicum sinum coniecta Matapanũ caput superare non potuit. His aduersis ventis allata mora est nouem dierum. sed secunda demum tempestate Hariadenus Methonem adijt, atque inde cum classe centum & decem triremiũ, biremium vero quadraginta, quas prædones adduxerant, Ionium præteruectus, ad Messanæ fretum peruenit. Conspecto Rhegio prædones descenderunt, ac Barbarussa ad idoneam stationẽ classem promouit. Rhegini deserta vrbe profugerant, sed Didacus Gaetanus arcem obtinebat. Is Polino colloquium petenti nihil respõdit, & tres Turcas tormentis interfecit.

Rhegium à Barbaris direptum.

Eo sociorum casu accensi prædones vrbem irruperunt, & quòd inanes essent domus incenderunt, ægrè id ferente Polino, & Barbarussa incendiarios ad pœnam à trierarchis deposcente. inde quoque tormenta muralia in aduersum arcis tumulum comportata. ea paucis ictibus ita Hispanum, lachrymante vxore, terruerunt, vt se atque omnia dedens muro dimiserit. Ei Barbarussa (orante Polino (vxoríque & liberis concessit libertatem, reliquis autem in templo ab iniurijs custoditis, arcem militi diripiendam dedit. In his fuerunt circiter septuaginta Hispani milites, & multo plures Rhegini ciues, qui in seruitutem abducti sunt. Didaci tamen filiam Mahometanis sacris statim initiatam Barbarussa senex legitimæ vxoris loco habuit. Postea à Pontijs insulis ad Tarracinensium littora delatus Ostiam peruenit, tanto terrore hominum ab ora in montes refugientium, vt populus Romanus, subito metu concitatus in fugam, vrbem omnino deserturus esse videretur, nisi à Polino literæ Romam perlatæ tumultum magna ex parte compressissent. Tum enim Paulus pontifex aberat, atque ad Buxetum oppidum (inter Cremonam & Placentiam situm) cum Carolo Cæsare frustra colloquium de pace cum Gallis ineunda habebat. Asserebat enim Polinus classem illam Turcicam sibi commissam non Romanis, sed tantum regis Galliæ hostibus nocituram. Eadem quoque diligentia Polinus Neptunianos & Ostienses confirmauit, vt expetentibus Turcis venale pecus & reliqui commeatus copiam adducerent. Barbarussa autem ad ostium Tiberis aquationem longè optimam nactus, triduo pòst inde discessit, Hetruriæqúe oram atque Ligurię sine maleficio præterectus, Massiliam rectà contendit.

Paulus Simeon Rhodius eques Niceæ arcis præfectus.

Ibi cum Barbarus aliquandiu perseueraret, atque Franciscus rex agitata toties consilia ad gerendum bellum terminare nesciret, & maritimæ expeditionis tempus opportunum efflueret, fremebat acriter, quòd per tantum maris spacium frustra venisse existimari posset. Itaque Polinus ad regem contendit, atq;

atque eiusdem decretum ad classem retulit, quo Niceam prouinciæ vrbem aggredi ac oppugnari terra mariq; iubebantur. Eam enim vrbem à maioribus suis duci Sabaudiæ oppignoratam fuisse constabat, quàm oblata eadem pecunia sibi reddi frustra postularat. Præfecerat rex Gallicæ classi Anghianũ adolescentem è Borbonia familia regiæ stirpis. constabat ea viginti duabus rostratis. & decem ac octo nauibus onerarijs, quibus octo millia peditum imposita, præter cõmeatus in multos dies sufficturos. Classis è Massilienſi portu lambendo oram in Monæci Herculis portum se intulit, biduóq; post eodem cursu Barbarussa cum centum quinquaginta nauibus, quæ remis agerentur, subsecutus est. Sed primùm omnium Polinus iussu regis Genuensibus scripsit, vt nihil timerent: Turcarum enim classem nemini præterquam Nicensibus (ni se dederent) incommodaturam. Nicenses post humaniter est adhortatus, vt veterem & iustum eorum principem Gallum recipiant, atque belli asperam fortunam deuitent, Verùm illi responderunt: seseCarolum Sabaudum principem verum agnoscere. séq; omnes eos, qui in conspectum armati venirent, pro hostibus habituros. Itaq; Galli & Turcæ expositis copijs, trinisqúe promotis castris vrbem oppugnare cœperunt. Mœnia vrbis ciues paulo antè nouis propugnaculis adauxerant, docente atq; omnia administrante Paulo Simeone arcis præfecto. Is magnum habebat militiæ vsum, & vti erat Rhodiæ militiæ eques, à prædonibus olim captus Barbarussæ aliquandiu seruierat. propterea hortabatur ciues, vt Turcarum vim constantissimis animis contemnerent. Hoc vt alacrius & pertinacius facerent, vxores eorum & liberos imbellemqúe turbam in arcem receperat, & quicquid militaris instrumenti præsens periculum deposceret, studiosè suppeditabat. 1543

Polinus ab ea muri parte, quæ vergit ad Septentrionem, portamqúe habet ad Villafrancham perducentem oppugnabat. Anghianus intercedẽte amniculo subductus in accliuem locum tormenta contulerat. Turcæ verò non longè à Polini castris admirabili celeritate productis operibus constitutisqúe tormentis mœnium coronam decusserant. Gallorum interea classis circumuecta promontorium in vrbem ita tormenta dirigebat, vt nonnunquam præteruolantes pilæ in aduersa Turcarum castra deciderent. quo animaduerso periculo Turcæ ad eam partem quam Leo Strozza iuxta Polinum verberabat se applicarunt. Id erat propugnaculũ nequaquã durata calce confirmatum, vti paulo antè ædificarum. Itaq; tantum muri & propugnaculi à Turcis prostratum est, vt prælatis vexillis conscendere auderent, pariqúe audacia Etrusca Leonis cohors æmulatione virtutis Barbaros æquare conaretur. Verùm Nicenses magno præsentiqúe animo propugnantes, multis interfectis & vulneratis, Turcas simul & cohortem per ruinas depulerunt. Eo die captum est Turcarum vexillum interfecto signifero, alterum verò Leonis discerptum, quum id tamen vulneratus vexilifer egregiè pugnans seruasset. Periere ex Turcis centum, ex cohorte viginti duo. Sed mox Barbarussa vim omnem conferri iussit ad diruendam eam turrim quæ portæ imminebat, maximéq; emissis inde tormentis oppugnantibus nocebat, qua non diu quassata & lacerata, prostratisqúe non vno loco mœnibus, Nicenses desperatis auxilijs, præsidioqúe militari magna ex parte sagittis conuulnerato, de deditione è muro proloqui cœperunt. eáque conditione Anghianus eos in fidem recepit, vt iureiurando confirmaret, eos eisdẽ legibus sub rege futuros, quibus hactenus sub Sabaudij imperio fuissent. Veritus autem Polinus ne Barbari transactæ deditionis pactiones impedirent, doloréq; amissorum commilitonum & spe prædæ irritati, in vrbem irrumperent, ab Hariadeno impetrauit, vt milites reuocaret, & ad classem redigi curaret. Qua de causa lanizeri non multo post, vti fraudati sua spe, Polinum & Leonem à colloquio Barbarussæ redeuntes, interficere conati sunt.

Nicea obsessa.

Vrbe in potestatem redacta consultatum est de arce expugnanda, cuius consilij duæ rationes à Barbarussa proponebantur: quarum altera in custodia vrbis posita

Arx Niceæ frustra oppugnata.

1542 videbatur, ne eam ab arce improuiſus hoſtis inuaderet, & in tutandis ſuburbanis campis, ne alicundè hoſtes in oppugnatione occupatis ſuperuenirent: altera erat poſita in adminiſtratione tormentorum, ipſóq; quaſſandæ arcis negotio. Barbarus explorato in loco & celerrimè ſuis aggeribus permunito, tormenta ſeptem collocari iuſſit, in quibus fuere duo eximię magnitudinis. His ſumma arcis propugnacula idoneáq; ad excubias ædificia celerrimè perfregit, ſic vt propugnatorum nemo in corona conſiſtere auderet, & imbellem turbam (vel impauido Simeone Rhodio) magnus pauor inuaderet. Galli etiam partiti inter ſe munera, ab alijs vehementer oppugnabant locis, atq; Turcarum peritiam in dirigendis tormentis admirabantur. Verùm tot ictibus ad tantam deuentum erat tormentarij pulueris & pilarum inopiam, vt hæc Polinus aut mutuo aut pretio à Barbaruſſa petere cogeretur: fremente atque obiurgante Barbaro, quòd in Gallia alieno apparatu indigerent, qui Maſſiliæ multis vini dolijs, quam rebus ad bellum neceſſarijs, nauigia onerare maluiſſent. Quibus de cauſis Gallis iratus de reditu ad Orientem maturáq; profectione ſe decreturum dicebat, poſtquam apud imperitos rerum ſecus ac pollicíti fuiſſent cuncta imparata reperiſſet. Promiſſis tamen & precibus non ægrè eſt à ſene irato impetratum, vt indictæ profectionis conſilium abijceretur, nec ab inſtituta arcis oppugnatione diſcederetur. Sed vix dum pacato Barbaruſſa, intercepte ſunt literæ Alfonſi Vaſtij ad Paulum Simeonem Rhodium arcis præfectũ ſcriptæ, quibus eum prolixè hortabatur, vt tantiſper hoſtium vim ſuſtineret, donec ipſe premiſſis iam expeditorum militum cohortibus, cum tõto robore grauis armaturæ ſuperueniret. ſe enim per maritimarum alpium tramites iter facere, affuturumq́ue biduo, vt cum Turcarum cæde ipſum atq; arcem omni periculo liberet.

Turcarum à Nicea diſceſſus.

Qua emanante fama adeò grauis & repentinus timor Turcarum animos inceſſit, vt quum fortè ea nocte ad conſternendos nouo incommodo milites procelloſus imber ingruiſſet, cũcti per arduos colles ſuperato dorſi iugo præcipiti fuga deſcenderent, & ad claſſem confugerent. Sed dies qui mox perterritis illuxit animos reſtituit. Nec multo poſt, quum arx ipſa omnium iudicio ægerrimè tormẽtis quati, neq; cuniculis ſubter rupem dubio euentu capi poſſe videretur, reduci tormenta communi conſilio cæpta ſunt. In eo diſceſſus decreto Barbari imperio cõtineri nequiuerunt, quin in vrbem celeriter irrumpentes cuncta diriperent, & in tectis ſæua incendia excitarent. Diſceſſum autem eſt à Nicea, quum iam Galli aliquot oppida regionis ad deditionem compuliſſent. Atq; eo modo Barbaruſſa ad Antipolim cum vniuerſa claſſe conceſſit, vbi quum ſtationem haberet ad inſulam Lerinam, cognitum eſt Vaſtium cum Auriana claſſe in Villafranche portum peruenìſſe. cuius in ingreſſu vis ſubitæ procellæ quatuor triremes Aurianas ſeſe in apertum mare eripere conantes, in rupes exeſi promontorij tranſuerſas egit, vſq; adeò violentis fluctibus, vt ſeruis ad exuendas compedes ſpacium defuerit, atq; ita ſubmerſi omnes interirent, & tormẽta profundo mergerentur. Eo hoſtium periculo cognito Polinus Petrum Angelum Poetam ad Barbaruſſam legatum miſit, qui inſignem facinoris occaſionem demonſtraret, eúmq; hortaretur, vt eximiæ laudis educta in hoſtem claſſe fructum percipere maturaret. Annuit conſilio Barbaruſſa, ſibiq́ue minimè defuturum promiſit. ſed quo minus id audacter tentaret, per flantes Eurí prohibere viſi ſunt, ita vt contra conſuetudinem ſegnius proueheretur, admirantibus & mox ridentibus trierarchis atque Sanzachis, vt per ironiam dicerent, æquum eſſe vt Hariadenus Auriæ tanquam fratri nihil officeret, párque illi officium redderet, quod aliquot antè annis ad Hipponam ſe liberaliter accepiſſet. Nec diu poſt Barbaruſſa verſus Maſſiliam ad Tolonis portum eſt reuectus.

Turcæ regiones diripiũt.

Paulo pòſt Vaſtius cum Sabaudio Nicæam reuiſit, & Simeonem Rhodium equitem & eius collegas mirum in modum laudauit, quòd Turcarum vim repreſſerit, atque Chriſtianis eam arcem incolumen conſeruarit. miſeros etiam ciues conſolatus eſt, & inſpectis Turcarum operibus eorum ſolertiam in conſtru-

conſtruẽdis aggeribus miratus fuit. At Barbaruſſa Telone ſuſceptus inſpecta claſſe viginti quinq; triremes elegit, quas prædatum ad Hiſpaniæ oram emitteret, attri buitq; eas Salecho & Aſſani Celebo arcta affinitate ſibi coniuncto. Illi præterue-cti Narbonenſem ſinum, prædabundi caput Illeberis, oppidum præterea Cadeche ſium, & Roſam hoſtiliter inuaſerunt. ſuperatóq; promontorio Veneris circa vete res Emporias magna pr da potiti ſunt. naćtiq; onerariam nauem Algerium ad de-ponendam prædam traiecerunt, vt primo vere ad Barbaruſſam in prouinciam traiicerent. Cum autem interea Barbaruſſa vndiq; prædas ageret, rex Franciſcus eum dimittendum ex Gallia cenſuit, atq; in ſupplementum demortuorum Turcarũ Punici nominis ſeruos omnes condonauit, qui eſſent Gallicis in triremibus damnati, ipſóq; inſtruente omni genere commeatus, multáq; munera in Barbaruſſam conge rente Ottomannica claſſis oram ſoluit, tenuítq; rectà curſum ad vada Sabatia. ibi ab Genuenſi ſenatu benignè muneribus donatus, ad Iluam inſulam deſcendit: eo loco Sinæ Iudęi filium Tunetano bello captum liberauit, & Inſulæ pacem conceſſit. Inde Telamonem delatus oppidum vi cæpit, & diripuit. Eadem vi & celeritate Monteanum oppidum noctu peruenerunt, & occuparunt. His nuntijs territi Sennenſes Ioannem Lunam vrbis præfectũ cum manu Hiſpanorũ & ciuium cohortibus ad mare deſcendere iuſſerunt. Sed Barbari eductis in prærltam ripam tormentis ſuppoſitam arcem & oppidum ita diuerberarunt, vt ſummæ cladis periculo ciues territi, ſeſe in ſeruitutem dederent, oppidúmq; incenderetur. Poſtea Barbaruſſa ſe ad Igilium inſulam conuertit, atq; oppido expugnato magnum numerum omnis ſexus & ætatis hominum in ſeruitutem abduxit. Deinde Puteolana mœnia fruſtra tentauit, atq; ſuperato Atheneo promontorio, vrbem Salernum inuadere ſtatuit. Verùm aborta tempeſtas claſſem eius diſiecit, & vltra Palinurum rapt am Brutijs littoribus Carreato præſertim oppido admouit. Inde multa præda onuſtus Liparas peruenit, ac eius inſulæ vrbem tormẽtis ita concuſſit, vt incolas ad deditionem coegerit, atq; in ſeruitutem abduxerit, qui ſeptem millium humanorũ capitum ſummam adimpleuerunt. Hac ratione Barbaruſſa multa mortalium præda inglorius Byzantium redijt. Nam Melitenſes tota ea expeditione nihil intermiſerant, quod ad eius claſſis interitum, & Chriſtianorum ſalutem facere videretur. 1543

Eodem anno 1543 Solymannus Turcarum imperator magnis copijs in Panno- *Turcarum in Pannoniã aduentus.*
niam contendit, atq; Chriſtianos, ſumma vi adoriri cõſtituit. Itaq; Sauo flumine põte traiecto Amirathem Dalmatam Perſámq; Vlamenem ad expugnandum Valponium præmittit, hos quoq; Achomatem Europę, equitatus magiſtrum ſubſequi iuſſit. Erat id oppidum ad Drauí fluminis ripam poſitum, non longè ab Exechio. Tuebatur locum cum præſidio Petri Perenì vxor. ſed defenſores quanquam egregiè munitum erat vim Turcarum non tulerunt. Amurathes enim Hũgaros clemẽter in deditionem accepit, & libertate propoſita agros colere iuſſit. Inde ad Soclos oppidum exercitus ductus, vbi aliquandiu acerrimè Turcis repugnatum, quod nobiles Hungari incolarum multitudinem concitarant vt pericula contemnerent, & Turcarũ audaciã propulſarent. ſed vbi multis datis & acceptis vulneribus territa, irrumpentium hoſtium impetum ferre non poſſent, in arcem confugerunt, vt inde deditione facta ſalutẽ & libertatem quoque impetrarent. ſed his iratus Amurathes nulla pactione, ſed arbitrio ſe dedentes egredi paſſurum reſpondit. atq; ita exeuntes porta ad vnum omnes interfecit, vt ea crudelitate reliqui, qui ſpem in armis habebant, terrerentur. His rebus cognitis Solymãnus capta oppida Amurathi dono dedit, & paratis omnibus è Buda ad expugnandum Strigoniũ contendit. Erãt in præſidio Liſcanus & Salamanca Hiſpani non admodum belli periti, & ante periculum hoſtium vani contẽptores: Illi præter paucos Hiſpanos Italicas duas cohortes effecerant, quæ in Pannonia remanſerant. ad hos acceſſerunt vexilla duo Germanorum, ita vt militum numerus mille & trecentorum tantum numerum efficiebat. Paulus autem eorum Epiſcopus in pacatam regionem abierat, quòd à Ioanne rege prius propter neceſſarias quaſdam cauſas ad Ferdinandũ defecerat, & certum

cru-

1543 cruciatum à Turca expectabat. Strigonium in prælta ripa arcem habet, indeq; Danubium præterlabentem latè prospicit. ex aduerso habet editum collem, qui portæ vrbis imminet. mœnibus autem extantia propugnacula desunt, per quę emissis tormentis subeuntium hostium latera feriũtur. Is structuræ mos antiquis erat, quũ nondum repertis bombardis, arietibus, balistis, & turribus ligneis vrbes caperentur. Propterea Rhodij equites superiore anno ad inspiciendam loci naturam à rege missi, retulerant, egerrimè defendi vrbem posse à maximis oppugnatam copijs, hisce difficultatibus periti milites, qui ibi hybernarant, nouis operibus occurrebant, & Solymannum expectabant.

Strigonium obsessum.

Sed vbi Barbarus hostis latè campos promotis castris occupasset, classemq; aduerso flumine subeuntem ostendisset, omnes magnopere de salute dubitarant. Adauxit quoq; metũ legatorũ aduentus. Nam Tyrannus tres Ianizeros è gente Christiana, iam pridem ad Machometis sacra traductos, Italum, Hispanum, & Germanum ad vrbem miserat, vt quisq; sine interprete suæ nationis homines alloqueretur. Hi admissi perampla præmia dedentib. promiserunt, & abnuentibus extrema supplicia denũciarunt. Ad ea quũ signiferi pręclara voce respondere̅t, milites fide prę stantes neq; præmijs turpiter capi, neq; minis terreri solitos, Turcæ in castra redierunt, & eodē̅ die tormenta in collem subuecta sunt. Tum Salamanca diffisus suburbanis munitiõibus in vrbem se recepit, quæ Castelli nomē̅ habet. Itaq; Achomates eam muri partem ad oppugnandũ accepit, quæ episcopalibus hortis annectit. Vlameni aũt Persæ data est ea turris quassanda, quæ portæ Budanæ imminet. Asappi à singulis ducib. ad perducendas fossas ducebant. Incredibile dictu quãta vi tormẽta displodi cœpta sint, adeò vt pximus extantis coronæ murus omnis prorueret, & continuo terræmotu cũcta quati videre̅t. nec consistendi propugnantib. facultas in muro erat. Nã Ianizeri sclopetarij certissimis ictibus apparentium capita feriebãt, & multi interius in statione perseuerantes, incidentibus ab alto sagittis, vulnerabãtur. sed multo grauiorem cladem fragmenta lapidũ nostris inferebant, dum disrupta minutim tormentis euitari nõ possent, illisaq; membris militum mutiles redderent. quibus malis adducti milites, deserta quoq; exteriore corona interiores munitiones celeriter erexêre, vt minore cum periculo in defensione versarentur.

Turcarum cædes.

Nec animus tum Barbaris defuit quin audacter subirent. ter enim instaurata pugna in vrbē̅ irrumpere conati, ad nostrorum congressum peruenerunt: sed densatã phalangis aciem leuibus hastis perrũpere non potuerunt, itaq; loco detrusi multis acceptis vulnerib. se receperunt. In ea contentione Baltaces Selimbriæ Sanzacus interfectus est. Subierat quoq; ad ripam Turcarum classis, ac tormentorũ instrumẽta & commeatum affatim à Buda subuehebat, nostrisq; occupatis, classiarij milites & remiges ad suburbanas domos ociosè versabantur. Id nostri ab arce spectantes non tulerunt, conglobatisq; aliquot ex sua cohorte fortibus militibus, Michael Rauenspurgius Germanus & Nardeus Italus eruperunt. Tanta fuit eorum impetus vt Turcæ perterriti aut intercepti caderent, aut adnatantes rapti flumine mergerẽtur. sed qui in classe erant sagittis & glandibus in nostros coniectis ita incumbẽtiũ impetum retardabant, vt iam admotis vndiq; nauigijs tutius suos excíperent. Perierè à Barbaris circiter ducenti, & ipse Zirmar natione Persa cuius erat classis imperiũ. Dum hæc fierent & Barbari stratis mœnibus validiore indies impetu expugnandæ vrbi vires intenderent, & nostrorum animi multis acceptis incommodis & vna maxime auxilij desperatione frangerentur, senex Calaber artificio tormentorũ assuetus ad Barbaros trãsfugit: eius nefarij facinoris causam prædicabat, quod rex plura sibi seni & inopi stipendia deberet, ac ideo liberalis militiæ dominus adeundus esse videretur. Is benignè à Turcis susceptus & interrogatus, docebat si vrbe Strigonio maturè potiri vellent, Aquariam turrim omnino esse expugnãdam. Hanc Habraymus Eunuchus Asiatici equitatus Magister, frustra prius tormentis expugnandam susceperat.

Monstrante itaque transfuga insulam in Danubio desertam, quæ turri obiecta erat,

erat, in eam Vlamenes noctu scaphis traiecit, erectóq; aggere, cõuectisqúe eò tormentis nonnullos ex defensoribus interfecit, & eorum latera nudauit, ita vt Asiatici murum subire auderent, & scalas expedire properarent. Interea Turcæ à maioribus castris maximis tormentis verberare, prægrandibúsq; globis per mortaria in sublime iactis, vt cum ruina tectis inciderent, interiora deuastare non cessabant. Accidit tum vt ænea crux deaurata, ob idqúe percussa solis radijs latè refulgens, assiduo Barbarorum studio reuulsa & deiecta frangeretur. qua cadente Solymannum exclamasse ferunt, expugnatum esse Strigonium, postquam signum à Christianis adoratum è templo decidisset. neque id omen pro vano à nostris acceptum est. defessis enim militibus, quibus nulla gleba in solo saxeo ad extruendas munitiones suppetebat, Liscanus & Salamanca de rerum exitu timidè deliberantes, secreto demum inter se collocuti sese seruare & deditionem facere decreuerunt. Cæterum eius occulti consilij fama contineri non potuit, quin ad milites emanaret, quorum tertia ferè pars interierat aut debilitata decumbebat. vna tum omniũ vox audiebatur, satis adhuc virium superesse, vt interiora defendi posse minimè desperarent. Sed centuriones & signiferi præfectis adulari soliti deditionem præferebãt. Nec multo pòst noctu demissus è muro signifer accepta per interpretem fide Salamancam exciuit, vt is deditione transigeret. Nec mora occultè exiens ad Achometem contendit, admonitis prius Aquariæ turris defensoribus, vt inde se ad salutem in vrbem reciperent. sed eo nuncio nostris territis & cum tumultu euadentibus, Turcæ fuga animaduersa protinus irruperunt, interfectis quibusdam qui sarcinis efferendis tardius discesserant. At Salamanca nihil mitius impetrauit, quàm vt maturè se dedentes, cuncta ex Solymanni Imperatoris voluntate expectarent. Itaq; Hispanus cum redire vetaretur, Liscano quę retulerat perscribit, & monet si saluus esse velit extemplò sese & vrbem dedat.

1543 *Calaber trãf fuga vrbem prodit.*

Acceptis literis Liscanus ad milites prodiens, deditionis necessitatem & propositam spem vitæ & libertatis exponit. nec mora ambiguo & fremente adhuc milite, Halis aperiri sibi portam ex deditione in castris facta, læto potius quàm feroci vultu postulat, eáq; statim patefacta à Liscano introducitur, clauésq; traduntur. Ianizeri pacato agmine ingressi munitionem totámq; muri coronam occupant, milites nostros secedere, hastas deponere, & sclopetos in vnum aceruum proijcere iubent. Nemo est qui recuset aut edicto non pareat. Improuiso nanq; & contra spẽ Ianizerorum introitu terrefacti, se ipsos demissis pudore oculis intuentes, nihil nisi valde sæuum à Barbaris expectabant. Tum verò Halis per interpretes pronunciari iussit, parata fore per ampla stipendia his qui ad Solymannum transire vellent, nec plures quàm septuaginta ex omni natione milites conditionem acceperunt. Hos Halis Budam deuehi cum delectis impuberibus iussit & reliquos ad repurgandam arcem cum Turcis delegauit. Postea Liscanus opibus suis spoliatus, milites quoq; armis exuti ac ad naues deducti, traiectóq; in vlteriorẽ Danubij ripam, Posonium contenderunt. Ibi Comes Salmensis regis iussu Liscanum & Salamancam proditionis accusatos custodiæ tradidit, vt iudicio sistarentur. At Solymãnus expiato Strigonij templo & ad suorum sacrorum ceremonias reducto, vrbem intrauit, & Mahometi gratias egit, quòd eo die, qui erat Augusti decimus D. Laurentio consecratus, eam vrbem occupasset, in quo olim Baiazethes auus Methonem cepisset. Nec mora accitis Buda fabris admirabili structura & celeritate vrbem restituit, & communiuit, vti in posterum Christianis spem recuperandæ vrbis omnẽ adimere videretur. Inde Ossanium virum militarem Strigonij præfectum constituit, atq; præsidio, armis, & comeatu confirmauit.

Strigonium Turcis deditum.

Hisce peractis Tyrannus emissis ad læuam Tartaris Scythis, qui ad Albã regalem prædabundi excurrerent, ipse ad expugnandã Tattam oppidum cõtra Comaram situm iter intendit. Verum præsidiarij octuaginta hostium castris conspectis se extemplò dediderunt, & incolumes dimissi fuerunt. Tatta verò funditus euersa, vetere Ottomannorum instituto, quum raris sed validis omnino præsidijs

Alba Regalis obsessa.

partas

1543 partas bello prouincias, minoribus passim deletis arcibus, tuendas existiment. Torniellus verò Hanibalem eius loci præfectum, frustra humani iuris æquitatem pro salute implorantem, capitali supplicio affecit. Aequata solo Tatta, Solymanus ad expugnandam Albam profectus, circà lacum paruum non procul ab vrbe castra locauit. Ea vrbs ob id Regalis dicta fuit, quòd ibi solenni gentis ritu reges coronentur, ac in eodem templo priscorum regum sepulchra cum rerũ gestarum titulis visantur. Cæterum Buda, Strigonium, & Alba regni nobilissimæ vrbes, paribus ferè interuallis inter se distantes, trianguli figuram efficiunt, cuius ambitus miliaria circiter viginti Germanica comprehendit. Albam perpetua palus vndiq; præcingit, situ aduersus hostes mirabili, nisi per æstatem decrescente palude foret insalubris. Ab vrbe tres lati prealtiq; aggeres ad extremam paludis marginem porriguntur, qui longorum pontium similitudinem reddunt, habéntq; suburbanas domos, & vtrinq; hortos, intercedente lata regione, qua viatores deferuntur. Vbi autem desinit palus atq; inde aditus in vrbem datur, erecti firmi aggeres singulas portas communiunt, quas Albani bellis temporibus obseruari solent. Vrbs autem interior muro satis firmo, & prælta fossa quæ paludem excipit, difficilem habet oppugnationem. Quibus de causis aduentante Solymanno magna hominum multitudo præ se actis pecoribus in vrbem confugerat. Albanis præsidio erant duo vexilla Germanorum, & ducenti equites. Ad has copias accesserunt quingenti Hungari equites, quos Vsarones vocant. Torniellus vero, qui cum Italicis cohortibus Iauarinum peruenerat, quatuor cohortes Albanis trãsmisit. Hos Barcocius cum ala equitum sequitur, apud quem iussu regis suprema belli potestas erat.

Consilia mala obsunt. Vbi Albam est peruentum, extemplò Solymannus non procul abesse nunciat. Itaq; Barcocius præfectos & centuriones in consilium vocat, quibus etiam Birrous Albanorum præter aderat, atq; proponit, an suburbana ædificia relinquere, atq; incendere præstet quàm tueri, vt tecta Barbaris desint, & vrbs interior minore militum labore defendatur. Cõclamant repentè Albani: se non passuros vt suburbia, tot templis & ædificijs exornata, deleantur. Hisce etiam Octauianus Insuber accessit, docebátq; pari conditione periculi & vrbem & suburbia defendi posse. Hæc eo dicente cuncti consurgunt, prudentes gnariq; militiæ imperiris & ferocibus parẽt. Eo modo Barcocius repentè factus alacer ad milites egreditur, & edocet cur suburbia defendenda susceperint, hortatúrque vt virtutis operam parem præstare velint. Itaque promiscuo concursu studióq; militum & ciuium suburbia muniuntur, instruuntúrq; idonea loca maioribus tormentis, & custodiæ diurnæ nocturnæque diuisis spacijs, certis ducibus attribuuntur. Sed Turcæ appropinquantes Budanæ tantum portæ suburbijs incubuerunt. reperiebant enim ab ea parte paludem siccíorem, solúmq; ibi aggeri faciundo opportunum. Perspecto hostium consilio Barcocius Italos Germanósq; omnes à reliquis portis ad Budanam traducit, & Hungaros agrestes, qui in vrbem confugerant, in deducti præsidij locum succedere iubet. Postea quum prima Turcarum agmina se in conspectum darent atq; procurrent, Vsarones & Germani equites, adiunctis peditibus Italis alacriter eruperunt, consertáq; leui pugna, vtrique ad suos se receperũt. eodem modo per triduum nullo memorabili euentu est decertatum. Vbi vero Solymannus aduenit complexusque latè vrbem spectantes stupenda castrorum specie conterruit, nostri obstructis repentè portis omnes exitus sustulerunt. Id cum Vsarones excursionibus assueti vidissent, missionem petierunt, & frustra deprecante Barcocio nocturno syluestríque itinere protinus abierunt.

Vrbs frustra oppugnata. Interea Turcæ confectis pluribus vineis, perductisque sinuosis fossis intra sagittæ iactum processerunt: mox etiam summam aggeris coronam ita sagittis & glandibus petebant, vt nemo nostrorum conspici posset, quin binos ternósq; simul graues ictus exciperet: eáq; vis erat tormentorum vt totam munitionem pilæ perforarent, matériáq; dissipata milites vulneraret. Mox etiam Asappi multis virgultorum fascibus arenáq; super iniecta fossam implerunt, vti serenæ æstatis solibus valde siccatam,

catam,ita vt Ianizeri audacter subeuntes propugnaculum ab imo scalpere, suffo- 1543
dereq; cœperint. Verum animaduerso hostium consilio,ita à nostris pari cuniculo obuiam est itum,vt quum infælici cœpto ac exitu,præparatus intro ad Barbarorũ exitium sulphureus puluis fortuita flammam cõcepisset, multi ex nostris perierint. Postea Turcæ triplici acie instructa propugnaculo successerunt. Certatum est amplius tribus horis,pari spe & virtute.sed ad extremum Turcæ multa iniquæ pugnæ vulnera perferentes, deiectis nostris,propugnaculum cæperũt,ac statim in eo tres paruos Falcones statuerunt,vt vtrinq; nostros è tota munitione propugnantes & discurrentes deturbarent.Eodem quoque tempore ab irrumpentibus duo templa occupata sunt,per quorum hiantes ruinas nostri sagittis & glandibus petebantur. Verum munitiones cohortium Italicarum mira constantia,adiuuantibus etiam fœminis & cucullatis sacerdotibus,eo die egregiè sunt seruatæ.Is erat D. Ioanni Baptistæ decollato sacratus,quo Barbari Belgradum expugnatum,& Ludouicum regem in acie cæsum meminerant.In eo certamine excelsæ staturæ Hungara mulier, conscenso inter milites aggere,prægrandi fœnaria falce scandentibus duobus Barbaris vno ictu colla secuit.Sicqúe Turcæ dierum fortibus dediti repulsi fuerunt.

Ferunt Solymannum ad se in prætorium vocatos Habraymum, Achomatem, & Halim grauissimis castigasse verbis,quòd propugnaculo occupato nulla peracri facta impressione,nimisque celeri receptu,partę propè victoriæ defuissent.iussisséq; minaci vultu vt triduí spacio cuncta pararent,nec ad se nisi Alba capta reuerterentur.Itaque in vnum supremi certaminis conatum postridie calendas Septembris prælij signum dederunt,terribilique impetu munitiones adorti magnum terrorem stationibus nostris intulerunt. nacti enim matutinam nebulam,non prius conspecti sunt.quàm ad cõgressum peruenerint.Pugnabatur maximo tumultu ad D.Francisci templum,sed vehementissimè ad Deiparæ virginis ędem.quoniam valida Ianizerorum manus in eum maximè locum incubuerat,qui ad tuendum Germanis erat attributus.Illi densata acie descensum Turcarum expectabant , & per acclíuem aggerem inclinatas hastas ita continebant,vt extantes cuspides conspicerentur in summa munitione.Idcirco Barbari oblonga tigna capitibus ferentes, euadentésque in summum aggerem,transuersa ea supra hastarum seriem in subiectos Germanos prouoluerunt, casu adeò infesto, vt primorum ordinum milites contusis brachijs hastas deserere cogerentur. Tum verò Turcæ clamore sublato præcipiti agmine saltuqúe proruerunt,nec quisquam fuit, qui ingruentium impetum sustineret.eodem quoque tempore Italicæ cohortes multitudine hostium superatæ,& aggere deiectæ terga verterunt. sed paucis festinatus ad salutem receptus profuit,quum per angustam ianuam aditus pateret, & Albani nulla fugientium misericordia permoti muralis portæ pontem sustulissent. Per totum itaque suburbanæ regionis spacium cædendo terga sternendóq; Barbarus processit. Cecidere in ea rerum perturbatione egregiè propugnãtes Carolus Siccus, & cum eo aliquot centuriones & signiferi.Octauianus quoque,qui vanitate consilij tantam cladem attulerat,trucidatus est.Ipse verò Barcocius,quum incitato equo ad portam se proripuisset,nec ingressus per cancelli ianuam equiti daretur, Ianizerorum superuentu conciditur.Dominicus etiam Torniellus aurata casside insignis,in eadem desiliendi cunctatione ex equo deturbatus interijt.Relíqua autem multitudo quòd portulam occisorum cadaueribus obstructam,ac Albanorum malignitate pontem sublatum videbat,in fossam præaltis aquis profundam se cõiecit.ibi multi submersi,aliquí sagittis & glandibus petiti.Carolus tamen Rufus ad vrbem fœliciter enatauit.

Suburbia à Turcis occupata.

Erant in vrbe Germanorum equitum præfectus & Vscasales Cremonensis. Hi confirmato animo reliquias militum colligentes,in muro presidia posuerunt,tanta Albanorũ trepidatiõe,vt nullibi publico cõsilio locus esset,& prõpta cibaria quibus milites reficerentur,non reperirentur.Iam enim conspecta nostrorum strage Birrous prætor & senatores animos desponderant,nec ab armis aut præsidio,sed

Alba regalis dedita.

1544 ab vna Solymanni clementia petendam salutem existimabant. Itaque Birrous de muro cum Turcis colloquitur, petitque vt tuto legatos mittere liceat, qui à Solymanno deditionis conditiones accipiant. id facilè concedit Achomates. quo cognito nostri milites Rufum eligunt, qui vnà cum legatis eat, & coram de salute & libertate præsidij paciscatur. Legati ad purpuratos deducti postularunt, vt in fidem sese dedentibus libertatis & ciuitatis iura seruarentur. Sed his ea data sunt responsa vt non omnibus venia dari videretur. tamen minuebat eorum metum, quòd ad paucos pœna pertineret. Rufus porro omnibus vitam & libertatem, & res incolumes, tutumque ad Viennam reditum impetrauit. eandem conditionem Germanorum equitum præfectus obtinuit, qui Rufo comes adhæserat Legatis in vrbem reuersis, & omnia commodè impetrata narrantibus ciuitas paulo antè metu perculsa ad spem salutis & veniæ rediit. Nec multò post Achomates per interpretes in forum præmissos pronunciari iussit Germanis & Italis militibus, vt in crastinum diem ea quæ profectioni opportuna viderentur collectis sarcinis expedirent, diligenterque cauerent, ne quisquam Hungarus ipsorum agmini misceretur. Albanis verò grauiter imperatur, vt limine se continerent, donec externi milites emittantur.

Solymannus Byzantium reuersus.

Exiuere ad dictum Germani & Itali, Homare alæ equitum præfecto deducente, qui proficiscentes ab iniuria tueretur, & ad regios fines deduceret. nec quicquam nostris ademptum est præter scloperos paruos, quos nouo more hastati equites Germani ab ephippijs suspendunt. Hos maximè cupiebant Barbari, nouitate capti, quod ita mirum esset artificium, vt sine succēsu funiculo quum liberet per machinæ paruę rotulam, percusso pyrite lapide, ignem repente conciperent, & celerrimè disploderentur. Barrocij quoque currus ab Homare retētus sine tumultu. Per totum id iter Tartarorum excursionibus infestum Homar nostros tutatus est. Sed postquam ad regios fines deuentum est, Homarque discessit, nostri in infestos Hungaros inciderunt, qui iusta propè pugna conserta lacessentes multis illatis vulneribus, nullam propè spem euadendi nostris reliquerunt, nisi regij equites è proximis castellis maturam opem circumuentis attulissent. Alia porro Albanorum erat conditio. Nam Solymannus emissis qui in vrbem confugerant & solitos agros colere iussis, aliquot Albanos ciues comprehendit, qui in magistratu fuerant, quū ciuitas à reginæ & infantis regis fide defecisset, introducto Germanorum præsidio. Ex eo numero aliqui interfecti, cæteri Budam vel Belgradum relegati. Cæterum Tyrannus Balibeio Albæ præfecto munireq; vrbem iusso, Bizantium redire constituit. Iam enim non dubia ingruentis hyemis signa maturandum omnino reditum indicabant. Nunciabatur quoque Torniellum in insula Comara Danubij sinistram partem, validis sublicijs in vado defixis & cratibus intertextis, subituræ classis aditum præsepsisse, eo consilio vt eius insulæ maius oppidum tueretur. & ita Pontificiæ cohortes, quæ integtæ legionis numerum implebant, Baptista Sabello, Iulio Vrsino & aliquot Rhodiæ militiæ equitibus ductoribus, Viennam peruenerant. Nec longè aberat Ferdinandus adductis Marcomannorum & Bohemorum auxilijs, vt ascensuro hosti terra & flumine obuiam iretur. Discedente autem Solymanno, Mahometes Iaoglis Belgradiensis præfectus delectus est, qui cum imperio toti Pannoniæ præsideret. ab hoc prædabundis agminibus vehementer ea regio vexata est, quæ ad lauerinum & Quinq; ecclesiensium fines pertinet. cui malo cum à nostris occurri non posset, quodam genere inducíarum impetrato, coactas copias rex dimisit, & Pontificiæ cohortes cum Rhodijs in Italiam redierunt.

Asoui motus ad Tunetum

Eodem quoq; tempore quo Solymannus in Vngaria, atq; Carolus Cæsar in Belgia contra Vvilhelmum Cliuiensem & Franciscum regem Galliæ bella gerebant, magnæ quoque turbæ circa Melitensem insulam in regno Tunetano exortæ sunt. Mulealses enim rex in Siciliam traiecit, vt à Cæsare maiora præsidia aduersus Turcas impetraret. Nam Turcæ Hariadenæ clientes aliquot opportunas regni vrbes firmissimis viribus obtinebant, in hisq; præsertim Constantinam, quæ

quæ olim Cyrtha dicta fuerat, & Leptim paruam, quam Pœni Mahomediam,& 1544
noſtri Africam appellant.atque item Adrumetim, quæ Mahometa hodie vocatur.Eo autem ordine ex Africa diſceſſit,vt in regni tutela ſibi maximè fidos viros reliqueret.Is tum erat in ſummo apud Tunetanos magiſtratu, qui Maniphetes vocatur.In arce quoque conſtituit libertum genere Corſum. Copijs Amidam filium præfecit,qui ſuburbanos campos à Turcarum & Numidarum incurſionibus tueretur.Afferebat autem Cæſari munera precioſi operis tapetes, variáque ornamenta lectorum,atque item aliquot nobiles gemmas,& duos eximiæ proceritatis Numidicos equos. Verùm cum è Sicilia ſoluiſſet,recta curſum Genuam tenere non potuit,aduerſis ventis Caietam primò,& mox Neapolim eſt reiectus. Ei pro rex Toletanus hoſpitalis munificentiæ munera, domumque lautiſſima ſupellectile exornatam contulit,Neapolitanis nouum gentis cultum, veſcendique morem & odoramenta omnis generis exquiſitam luxuriam admirantibus. Cunctis nanque dapibus inſani ſumptus vnguenta infarciebant,conſtabátque pauonem cum duobus phaſianis,in regia culina paratum, centum aureorum impenſam exceſſiſſe.Exinde terreſtri itinere ad Cæſarem proficiſci conſtituit:Dum omnia ad iter pararet certis ab Africa nuntijs didicit,Amidam filium ex repentina defectione regni Tunetani ſedem inuaſiſſe,interfectisque ipſius amicis & præfectis,ac gynecæo inceſta libidine profanato,arcem occupaſſe.Quibus rebus cognitis grauiſſimè perturbatus in Africam ſtatim traijcere,& rebus perditis opem ferre conſtituit.Itaque quanta potuit feſtinatione,prolata pecunia,milites conſcribit, probante Petro pro rege & veniam exulibus concedente,vt in Africam cum Muleaſſe traijcerent.ad huius edicti famam multi malefici & iudicijs damnati homines Neapolim confluxerunt.His ducem ſeſe præbuit è patritiorum ordine Ioannes Baptiſta Lofredus. Is cùm rege trimeſtre ſtipendium pactus cohortes conſcripſit,& duo millia nauibus impoſuit.mox etiam in Africam profectus, cum rege Melitam,& deinde Guletam applicuit.

Apud Amidam erant ſummæ authoritatis proceres, qui iuuenem pro libidine regebant,& ante alios Mahometes,eius Bohameris filius, qui olim Maniphetes fuerat.Huic Muleaſſes regno potitus deſectis virilibus contumelioſam necem intulerat,quòd Rahamanam puellam,quam ipſe deperibat,maturatis nuptijs præripuiſſet.Deinde erat Adulzes ex Granata Maurus ſclopetorũ mirus artifex, quem Muleaſſes nequiſſimum ſeruorum appellarat,& ab ſe alienarat.Illi cum paucis cõiurantes effingunt Muleaſſem apud Neapolim fato functum,& priuſquam moreretur,ad Chriſtiana ſacra defeciſſe.Hac fama permotum Amidam hortantur,vt paternam ſedem occupet,ne Mahometes frater, Chriſtianis ad Guletam obſes datus, ſtudio Touarris ipſi præferretur. Itaque Amida citato curſu è ſtatiuis caſtris Tunetum contendit.Populus qui nihil de regis morte audierat,excipit eum ambiguis vultibus,eumque Maniphetes vehementer increpat,& ſuadet vt in caſtra reuertatur,reſtitantemque occurſu multitudinis extra vrbem propellit, Amida ſua ſpe deceptus ad Marſiam regionem deflexit,regiorum hortorum nobilitate celebrem.Poſtea Maniphetes celeri nauigio ad Touarrem ſe confert,vt ſi quid noui ex Sicilia allatum eſſet intelligat,& de Amidæ temeritate conqueratur. Cum eo colloquutus Maniphetes,& Tunetum reuerſus,in ſuſpicionem venit perfidioſi initi cõ filij,quaſi Mahometes obſes paternum regnum affectaret.Nec diu poſt tumultus ille per quoſdam ciues ad Amidam defert. Is redintegrata ſpe fortunę rurſus occurrẽdum ſtatuit,& Tunetum reuertitur.primo ad Maniphetis domum decurrit. quo abſente,eius familiam crudeliter interficit,& cum ſuo agmine ad arcem aſcendit. Ibi etiam Fares cuſtos ingreſſum prohibens occiditur, & repertus Maniphetes iugulatur.per hunc modum vnius horę momento vrbe,arce,& regno potitur.

Amida patris regnum inuadit.

Muleaſſes prælio victus.

Harum rerum Muleaſſes certior factus cum Touarre viro prudenti conſilia inijt,vt filio occurrendum ſit.Is regi ſuadere cępit,ne cum his copijs ire propera-

1543 ret, priusquam de rebus Tunetanis ciuiumque animis certius cognosceret. Eo autem apertius Lofredium monebat, ne ire pergeret, quòd in mandatis, quæ prorex discedenti dederat, apertè perscriptum erat, ne regi auidè ituro pareret, nisi valida Numidarum manus (vti promiserat) auxilio aduenisset. Sed regem ac Lofredium incitabant aliquot Afrorum proceres, qui vrbe egressi præsto fuerant, eique solenni ceremonia gladijs iugulo admotis, more gentis, fidei militaris iuramentum præstiterant, testabanturque Amidam pudore & metu perterritum, vbi ipse se in conspectum daret, vrbe arceque arrepta fuga protinus excessurum. Nec mora Muleasses explicatis vexillis cum Lofredio ad Tunetum ire contendit. Tum verò è mœnibus conspecto Muleasse Afrorum equitum valida manus hostili impetu porta erumpit, & magnis clamoribus æditis pugna committitur. Ala regia familiarium erumpentes egregiè sustinent. Erant dissidentes partes adeò inuicem exacerbati, vt plurimi ex vtraque parte trucidarentur, & multo plures miserè in corpore vulnerarentur. Sed Muleasses impigrè hastam quatiens, & obuios quosque saucians, in facie vulneratur, quę res suos magnopere perturbauit, & terga vertere coegit. Mox etiam ex Oliuetis frequentes equitum alæ peditumque cohortes sese vndique Lofredianis circumdant, in quos nostri aliquot minora currulia tormenta emittunt. Verum his semel displosis ad iterandos ictus spacium nostris deest. Tanta enim incurrentium Barbarorum vis atque celeritas fuit, vt nostris animi concíderent, & abiectis armis in paludem se conijcerent, ac apprehendendo nauiculas, sese à Barbarorum gladijs eripere niterentur. Eæ nauiculæ profligatis magno vsui erant, quum instructæ minoribus tormentis Barbaros displodendo terrerent, atque adnatantes exciperent. Lofredius quoque attonito similis equum Tracium natare solitum in paludem adegit, vbi à Barbaris confossus interijt, & cum eo Carolus Toccus illustri Græcorum sanguine prognatus. Solus ferè omnium Cola Thomasius constanter pugnando occubuit, ad hortatus notos centuriones, vt secum potius decoram mortem oppetere, quàm in paludis cœno perire mallent.

Amidas à Touarre pacem frustra petijt.

Muleasses suo cruore & multo puluere fœdatus, quum inter turbam terga vertentium profugeret, vnguentorum odore agnitus & captus est. Desiderati sunt ex ea cæde mille trecenti. reliquos Touarres vestiendos recreandósque curauit, & non multò post in Siciliam transportari iussit. qui pedibus tandem Neapolim reuersi, eam cladem miserabilem fecerunt. At Amida victor patrem adempto oculorum lumine excæcauit, candenti scalpello proscissa vtriusque oculi pupilla. Eandem fraternæ seuitiæ iniuriam tulerunt, Nahasar & Abdalas cum Muleasse patre capti. Postea Touarri significauit apud se seruari paucos imberbes captiuos, quos ei tradere cuperet, & in his è Rabatinorum ordine circiter viginti equites Christianos, quos custodiæ antea tradidisset, tanquam in fide patris perseuerantes. Promisit etiam se eandem amicitiam ijs conditionibus cum ipso, quam prius pater, seruaturum. aliquam etiam pecuniam repræsentauit, quæ stipendij nomine præsidiarijs Hispanis soluerentur. Ad hæc quoque restituta sunt cuncta Lofredij vexilla, cadauerque eius ad sepulturam remissum est. Dedit etiam obsidem filium Sehitem annorum nouem. ea tamen conditione, si ex his inducijs pax esse non posset, & inde bellum oriretur, vt Touarres Sehitem sibi incolumem redderet. Impetrata quoque sunt Lofrediana tormenta, ne Tunetanis hostibus aliquando prodessent. Eæ inducíæ, etsi non iniquæ, & à multis reprobarentur, tamen Touarres non ex dignitate Cæsaris esse statuebat, vt is regno potiretur, qui immani perfidia nefarioque scelere, id contra Cæsaris authoritatem occupasset. Itaque noua consilia agitat, accersendumque legitimæ hæreditatis regem statuit, qui nutu Cæsaris, Amidæ iniuria offensi, apud Tunetum imperaret.

Abdemelech rex Tunetanus.

Erat apud Numidas Abdemelech exul, ab eo tempore quo Roscetem ad Barbarussam

baruſſam confugiſſe diximus. Hunc quòd eſſet Muleaſſis germanus frater, ad ſpem regni euocat, confiſum Anemſehæ Numidarum principis opibus, qui Abdamalachum benignè hoſpitio ſuſceperat. Nec oblatæ occaſioni deeſt ille, hortante præſertim Numida, & prædicentibus iam pridem Aſtrologis eum regem euaſurum, & in regia Tuneti moriturum. Patrandæ verò rei tempus opportunum aduenisse videbatur, quod tum Amida ad Biſertam profectus, vt ibi piſcoſi lacus vectigal exigeret. Itaque Touarres vt pactionis fidem ſeruet Sehitem puerum Tunetum remiſit, excipiturqúe ab eo Abdemelech, qui noctu Guletam peruenerat. proximo die cum globo Numidarum ad vrbis portam peruolat, ingreſſusqúe ſtatim ad arcem contendit. Nec eum portæ cuſtodes morantur, rati eum eſſe Amidam, qui à Biſerta rediſſet. Nam Abdemelech totam faciem lineis ſudariis inuoluerat (Pænorum more) vt ora à ſolibus puluereq; defendat. Eo cognito attoniti cuſtodes illico trucidantur. atque ita Abdemelech deterritis cæteris rex ſalutatur. Is ante omnia Sehitem puerum cuſtodiæ tradit, & in eandem formulam Touarri tributum pollicetur, qua Muleaſſes à Cæſare regnum accepiſſet, eiqúe in partem ſtipendij aureorum ſex millia dinumerat. Nec multo poſt in lethalem morbum incidit, & trigeſimo ſexto die regni vita excedens regio funere elatus eſt. Poſtea amici & Tunetani, monente Touarre, Mahometem eius filium annorum duodecim regem crearunt, eiqúe ſtatim adhæſerunt, qui ætatem eius regerent muneráq; rerum publicarum ex arbitrio obirent, Abdalaget interfecti Maniphetis frater, Meſuar, Scyriffus, & Ioannes Perellus ex equitum Rabatinorum ordine, patria Tarentinus. 1544

His quatuor cuncta parebant, ſed Meſuar intempeſtiuæ prudentiæ conſilium coquens, quum diceret Tunetanę ciuitati non puero rege eſſe opus, exitium ſibi citò peperit. nam præoccupantibus collegis eſt interfectus, ea crudelitate vt nec propinquis nec clientibus eius parceretur. Eo ſublato cæteri triumuiratum tyrannidis condiderunt. Perellus quoque gynæceum inuaſit, & Amidæ omnes concubinas vitiauit. ſingulari cum dolore Amidæ, qui Tuneto excluſus errabūdus ad Leptim, ac inde nauigijs ad Sceccum Gyrapolitanum Mœnicis peninſulæ principem confugerat, paſſim ab omnibus opem implorans ad regnum repetendum, quod à nefarijs hominibus perfidia occupatum vaſtarétur, quum regi puero impotenter dominarentur. Hæc eadem vera Tunetani ſentiebant, querebantúrq; de Meſuar morte, qui pater patriæ nefariè fuiſſet interfectus. Eodem tempore Muleaſſes pædore carceris miſerabilis à fratris filio rege impetrauit, vti arce egredi templumqúe adire ſibi liceret. Nec diu poſt quum Bernardinus Mendocius Hiſpanicæ claſſis præfectus ad Guletam applicuiſſet, expetente Touarre è templo ad ſtagnum, atq; inde nauigio ad Guletam eſt perductus, vt conſultationibus intereſſet, quibus arma aduerſus Amidam totiúsq; eius oræ Turcas pararentur. Paulo ante Muleaſſes filiam Meluccam, Touarre auſpice puero regi vel improbantibus Tunetanis deſponderat. Ea res ciuium animos ita exacerbauit, vt Amidam literis euocare maturarent, quibus ille confiſus è Gyrapoli profectus, biremibus Turcæ prædonis, qui Claudus dicebatur, Leptim aduehitur, atq; inde coacta equitum manu Tunetum peruenit, tanta celeritate vt regi puero vix euadendi, & ſcapham aſcendendi tempus relinqueretur, cunctáq; ei paterent, nec quiſquam arma corripere, aut hiſcere auderet. Primum omniū Amida Perellum è latebra erutum abſciſſis virilibus in foro cōburi iuſſit. nec tamen Perellus, oblato vitæ munere, à Chriſtiana religione deficere voluit. Nec multo poſt Maniphetem quæſtione habita interficit, atq; ita vrbis prętorem, & circiter quadraginta ex Rabatinorum ordine. Tanta quoq; libido efferbuit, vt nec ſorori parceret, & in omnem ſexum crudeliter ſæuiret. *Amida regnū recepit.*

Cęterùm Muleaſſes non diu apud Guletam ſubſedit, Touarris auaritia offenſus. querebatur enim ab initio depoſitam apud eum regiam Gazam, nequaquam integra fide tā iniquè à fortuna mulctato reddidiſſe, precioſęq; ſupellectilis partē, cum inſignibus gemmis, certóque auri pondere ſibi miſero ſubreptam. quum autem *Muleaſſes in Siciliam regatus.*

1543 Touarres eam contumeliæ iniuriam multis argumentis diluere properaret, eò res est perducta vt Touarres ab rege peculatus apud Cæsarem reus efficeretur, & vterq; in Germaniam contenderet. Verùm Cæsar ad æquitatem facti controuersiam adducens, composita lite eo exitu vtrumq; dimisit, vt Touarres ex Guletæ præfectura detractus sit, Muleasses verò in Siciliam perduceretur, publico sumptu Siculorum alendus. Filius autem eius Mahometes, qui obses fuerat, ad vlteriores Numidas Lentigesiæ auiæ propinquos, vt fraterni imperij successum tutus ab infrdijs expectaret, auijs itineribus confugit. Hácq; ratione Tunetanum regnum iterum ad tempus pacatum fuit. Dum autem in vicinis Africæ littoribus hoc modo bellum gereretur, Melitenses equites summa fortitudine res sibi commissas expediuerunt, atque Tripolim vrbem contra Barbaros egregiè defenderunt. quin etiam sæpius sua classe excurrentes Turcicos pyratas interceperunt, atque diligenter prospexerunt ne Respublica Christiana in locis maritimis damno aliquo à Barbaris afficeretur.

Cæsar & Gallus pacẽ constituunt.

Cum hoc modo Barbari varijs in locis grauissima bella gererẽt, Christiani quoque infausto consilio infestis armis sese inuicem petebant. Cæsar siquidem & Henricus Angliæ rex, antiquis & recentibus odijs incitati, aduersus Francisc[illegible]um Gallum ita cons[illegible]nt, vt viribus consociatis, vno tempore diuersas regiones Galliæ irrupturi, e[illegible]ri ꝑ procul dubio eum magnæ partis Galliæ regno putarentur. Cæsari militaba[illegible] Mauritius Saxo, Albertus Brandenburgicus, Martinus Rossemius, Vvilhelmus Fürstenbergius, Maximilianus Buranus, & Cõradus Hessius ex Germanis. Ex Hispanis autem Aluarus Sandæus, Aloysius Peretius, & Alfonsus Viuesius. Ex Italis Ferdinandus Gonzaga & Alfonsus Vastius. qui omnes maximis copijs equitum & peditum confluxerant. Gallus autem Petrum Strozzam Florentinum & Petrum Maciam Roscium ad suas partes traxerat. omnis tamen regis fortuna & salus in Heluetiorum phalange constabat. Itaque infestis animis vtriusque Monarchæ exercitus concurrentes multa oppida & vrbes expugnarunt, atque aliquoties iustis copijs prælium commiserunt. Id quum Iohannitarum equitum ordo magno dolorq; perciperent, sæpius per legatos Pontificem adierunt & petierunt, vt tandem funesto huic bello finis imponeretur, ne Turca occasionẽ adeptus Rẽpublicam Christianam pessundaret. Itaq; tandem Pontificis & multorum principũ intercessione apud Crepinium in Suessionibus castellum pax sancita, astipulantibus vtrinq; mutuo sacramento Cæsarianis & regijs ei negotio præpositis. summa erat vt vterq; veterum odiorum memoriam ex animis expellerent, & nouo affinitatis vinculo iungerentur. Promittebat Cæsar se aut filiam, Philippi Hispaniæ regis designati sororem, Carolo Aureliano nuptui daturum, cui dotali nomine Belgarum regna obuenirent, aut si quid hanc affinitatem impediret, loco filiæ, Ferdinandi regis filiam, quæ dotali iure Mediolanensem principatum secum traheret. Contigit pax exoptata 14 calend. octobris anno partæ saluris 1544.

Georgius Schillingus princeps Imperij constituit.



Constituta pace Ioannes de Homedes Hispanus 46 ordinis Iohannitarum princeps Maltam insulam ædificijs exornauit, atque aliquot munitionibus auxit. Ordinis etiam leges restaurauit, multis alijs insuper communi equitum consilio additis. In primis verò curauit, vt ordinis domus hinc inde in prouincijs per viros strenuos & honestos administrarentur. Accidit autem vt & Ioannes ab Hatstein prior Alemaniæ, qui per 40 annos ibi præfuerat, paulò post centenarius moreretur. Susceperat is ordinem Rhodiorum cum alba cruce ante septuaginta sex annos Rhodi, atque suis virtutibus omnibus innotuerat, ita vt etiam sub mortem Maximiliani primi Cæsaris Imperialis Camerę præses ordinatus fuerit, ne motus aliquis maior in Germania vacante sede regia oriretur. Hinc etiam factum

factum vt Rhodij ipsum in Melita insula ordinis principem eligere voluerint, nisi per legatos ætatem causatus liberationem obtinuisset. In eius locum hoc tempore Georgius Schillingus Carolo Cęsari charissimus substitutus fuit, qui ante 52 annos quoque Rhodi in equitum ordinem venerat, atque terra marique præclara virtutis opera Christianis pręstiterat. In primis verò in Tunetana expeditione Rhodiorum classi præfuerat, ac magna præda onustus Melitam rediérat. Hinc etiam Caroli voluntate Tripolim Africę multis annis gubernauit, & Barbaris terrori fuit. Erat is linguæ Arabicæ & Turcicæ peritus, vnde etiam Muleasses aliquot literas ei misit, atque se & regnum commendauit, cum adhuc arcem Tripolim gubernaret, atque Magnus Baliuus Germanicę prouincię esset. harũ formulã mihi transmissam & ex Arabica in Latinam linguam vtcunque versam huc subijcere placuit, vt Arabum scribendi ad nostros consuetudinem, & huius viri apud Barbaros authoritatem cognoscamus. 1544

Muleassis literæ ad Schillingum.

In nomine Dei omnipotentis. Nos Muley & haczen. Rex Tuneti, Arabũ, &c. Deo omnipotenti, cui in omnibus nos offerimus, gratias semper agimus. Vobis itaque strenuo, nobili & famoso, inter Christianos viro, priori Germaniæ, in præsentiarum Castelli Tripolis gubernatori, salutem precamur, & denuò nos offerimus, ad ea omnia quæ vobis grata fuerint, & ex nobis dependeant cum maximo amore & voluntate (prout semper fuimus) paratissimos. Et vos certos reddimus qualiter ad nos aduenit quidam ex hominibus ex Xerza, & nobis nunciauit, qualiter ferebat ad nos nonnullas vestras literas, quæ sibi in itinere ablatæ fuerunt: cuius relationi credentes, ipsum examinari fecimus, an de substantia & continentia literarum esset expers: qui subiunxit, prędictas literas, hoc continere, Quod homines ciuitatis Tasoræ ad vestrum Castellum Tripolis venissent, offerentes & subijcientes se nostro dominio, dum tamen habeant ex vobis & nobis, securitatem & tutelam. ad quod, si sic est, sic ex parte nostra respõdemus, quòd nos præbemus eis securitatem, & volumus esse tutos, absque aliqua exceptionis clausula, remouẽtes à corde nostro omne odium & iram, si qua propter eorum rebellionem fuit. Et vos precamur, vt ex nostra parte, illis possitis polliceri, ad quod plenam authoritatem vobis præbemus, gratum & ratum habentes, quicquid super hoc feceritis pepigeritis, & tractaueritis cum ipsis. quòd non solùm ex nũc, prout ex tunc facimus & concedimus ipsis Tasorinis, sed etiam quibuscunque alijs personis, istius nostri regni Tuneti & Tripolis, in præsentiarum rebellibus & inobedientibus. Existimãtes vos in dicto Tripolis regno, pro nostra persona, ad præmissa.

Insuper vos certiorem facimus, qualiter habemus à Cæsarea Maiestate, saluum conductum, aut securitatem & tutelam, super omnibus illis quibus placet, ad nostra seruitia dominium & obedięti̇am venire. quod ex ipsius & ex nostra parte omnibus huiusmodi concedimus, prout suprà dictum est. Præterea vos certioramus, qualiter non sumus oblíti istius nostri regni Tripolis, quando quidem, Deo dante breui prouidebimus de antiquo nostro duce aut Castellano, cum tot copijs exercitus, quot in præsentiarum facultas concedit, vt possint vindictam sumere ex nostris & vestris inimicis: & erit talis persona, quę & vobis, & nobis grata sit. Et quia perspecta nobis iamdiu integritas vestra, nos inducit ad credẽdum, quòd vbi vos estis, est persona nostra, circa indemnitatem & conseruationem istius nostri regni, aliud ad præsens scribendum nõ restat. Id solum vos precamur, vt vxorem & filios, nostri & amici & familiaris Nariff habeatis in protectione, & vos illis propicíũ prę beatis. Et si quid sibi necesse fuerit, aut ipsi indigeant, omnia ad computum nostrũ date, quia bene data erunt. Et quod hactenus pro eis feciſtis, gratum nobis feciſtis. Non aliud vltrà agimus gratias omnipotenti Deo, qui nos manuteneat & conseruet, prout semper fecit. Et vobis felicem vitam & honores precamur. De la nostra Ciuidad de Tunez ab 22. de Septembre anni 1546. To & Rey. Ego Rex.

Pari ratione Georgius postea in Algerano periculo Cæsari adfuit, atque magnam partem classium in summa tempestate conseruauit. Itaque Carolus eundem

1545 amauit, eius virtutes passim prædicauit, & Hatstenio succedentem inter principes Imperij Romani susceptit, cum omnibus eius successoribus, atque regalia concessit aliquandiu ab antecessoribus neglecta, quo sua iura per Germaniam conseruaret, & à nullo alio principe aut Republica impediretur. Id quod etiam Pontifex Romanus approbauit. Habet Ioannitarum ordo in Germanica natione (cui & Bohemica & Vngarica ascribitur) quinquaginta domos, & in his media pars ab equitibus strenuis huius ordinis gubernatæ, qui omnes huius principis iussa amplectuntur. Ipse verò princeps sedem Heytersheimij obtinet, arce elegantissima in plano loco, medio fere itinere inter Basileam & Friburgum Brisgaudiæ sita. circa eandem etiam princeps octo pagos cum suprema iurisdictione possidet, atque subditis per viros doctos ius administrat.

Bellum Smalkaldicum.

Eodem tempore Carolus imperator nihil prius habuit quàm vt religionis controuersia inter Christianos (præsertim in Romano Imperio) componeretur, itaq; cũ Paulo pontifice conuenerat vt concilium Tridenti celebraretur. Cum autem Germani, qui Euangelici dicebantur, locum suspectum haberent, & iudices respuerẽt, Cæsar primo Vvormatiæ, post etiam Ratisbonæ Imperij comitia indixit, in quib. tamen pauciores principes comparuerunt. Itaq; Carolus minus obedientes armis cogere, atq; eam controuersiam bello finire statuit. Tum etiam Gerardum Velduichium virum prudentem ad Solymannum Turcam ablegauit, vt ab eodem inducias aliquot annorum ipsi & imperio impetraret. Paulus Pontifex ad hoc bellum Cæsari pecuniam, arma, & copias instructas suppeditabat ex Italia. Aderant quoq; Hispani, & Belgę, præterea Iohannes & Albertus Brandenburgici, atq; Austrię & Bauariæ principes, qui instructos equites & pedites adduxerunt. Nec etiam Germaniæ imperiales vrbes cum fœderis Smalkaldici principibus desunt, qui Ioannem Fridericum Saxoniæ electorem, atque Philippum Hassiæ Landgrauium sibi duces constituerant. Itaq; in Iulio anni 1546 tota ferè Germania in armis fuit, atque ad Ingolstadium Bauariæ omnes exercitus diuersarum partium conuenerunt. Nullibi tamen iusto prælio per totam æstatem decertatum, Deo nimirum prohibente, ne tantum innocentis sanguinis funderetur. Cum autem tandem Mauritius Saxoniæ dux cum rege Ferdinando Saxoniam electoris ditionem inuasisset, ac elector domum repeteret, Smalkaldicorum exercitus dissolutus fuit, & in hyberna concessit. Hac ratione factum vt Carolus victor vtrunque ducem Saxonem & Hassum in captiuitatem redegerit, atque alijs principibus & ciuitatibus mulctatis sequenti anno in gratiam receperit.

Augustana comitia.

Interea magnæ mutationes in Republica Christiana acciderũt. Franciscus enim rex Galliæ cũ Frãcorũ regnum per annos 32 fortiter administrasset, obijt, atq; Henricus filius successit. Carolus enim Aurelianus frater ante biennium pestifero morbo decesserat. Hunc etiam Sigismundus rex Poloniæ subsecutus est anno ætatis 81. cũ Sarmatarum imperium per 41 annos iustè & sapienter gubernasset. Is regnum filio Sigismundo Augusto tradidit, qui ex Iagellonis Lithuani stirpe fuit vltimus. Fuerat Iagello ad regnum Poloniæ suscipiendum olim accitus, ita vt cum religione nomen mutarit. nam in Baptismate Vladislaus erat dictus. Eo tempore Cæsar Augustæ Anno 1548 comitia celebrabat, atq; religionis controuersiam frustra componere satagebat, composita formula quadam religionis, per viros aliquot doctos, qua interim Euangelici in suis Ecclesijs vterentur, donec in Tridentino cõcilio aliquid certi definiretur. Eò Muleasses expulsus & excęcatus rex Tunetanus ad Carolum ex Africa venit, atq; miserabilem suum statum exposuit. hunc enim ante decimum tertium annum Cæsar in regnum reduxerat. Neq; multo pòst etiam alter filius eò peruenit. Tũ etiam Maximilianus Ferdinandi regis filius natu maximus, multisq; Heroicis virtutibus conspicuus, Augusta profectus in Hispaniam contendit, vt natu maiorem Cæsaris filiam Mariam in matrimonium ducat.

Motus in Africa.

Sequenti anno iterum grauissimi motus in Africa Melitensibus vicina extiterunt: Itaque Ioannitæ equites summa diligentia classem suam instruxerunt, & nequid

quid Christiana respublica detrimenti à Barbaris acciperet prouiderunt. Erat ibi Zeriphius quidam, qui à paruis initijs & latrocinijs auctus, & regnum adeptus, vicinum regem Eesanum finibus expulit, & eius ditionem vi occupauit. is postea exul ad Cæsarem Augustam venit, de sua fortuna conquerens, & opem implorans. id quod Cæsar ei liberaliter est pollicitus. Cum autem Augustæ nihil certi in religione statui posset, multique principum præsertim Mauritius Saxoniæ elector discessisset, Carolus Cæsar quoque abijt, atque in Belgiam profectus Bruxellis substitit, vbi Philippus filius Hispaniarum rex amplissima pompa ad patrem peruenit. Eum Cæsar per Flandriam, Hannoniam, & Atrebates circumduxit, in eiusque fidem populum per iusiurandum adigit. Post Antuerpiam simul ambo redeunt, vbi etiam Melitenses equites Philippo protectori suo per legatos gratulati sunt. Paulo pòst quarto idus Nouembris Paulus 3 pontifex, anno ætatis 82 obijt, atque Ioannes Maria Montanus Gallicarum partium in eius locum electus fuit, qui prius Tridentino & Bononiensi concilio præfectus fuerat. Is se Iulium tertium appellauit. Nec itaque maiores motus per Europam fierent, denuo Cęsar Imperij comitia Augustæ indixit, atque ipse ad exitum Maij vnà cum filio Bruxella discedens eo contendit, adducto secum Saxoniæ duce captiuo, Landgrauio autem Mechliniæ relicto. In eo Cæsar proponit de continuando Concilio, & de mulctandis contumacibus, inter quos Magdeburgenses nominabantur. Verùm principes aliqui se Concilium non aliter probaturos dicunt, nisi Augustanæ confessionis Theologi non solum audiantur, sed decidendi quoque potestatem habeant, vt pontifex Concilio se submittat, nec præsidis locum obtineat, & iusiurandum Episcopis remittat, quo libere suam sententiam dicant. 1548

Dragutus per Melitenses Africa expulsus.

Dum hæc Augustæ fierent, Dragutus nobilis pyrata Turcis confœderatus pacẽ in Africa & in mari mediterraneo turbauit, atque vrbem Africam dolo occupauit, quæ olim parua Leptis aut Aphrodisium dicebatur: postea quoq; sese Solymanno Turcæ coniunxit, atq; auxilia ab eo impetrauit. Itaq; Cęsar Sicilię proregem admonuit, vt exercitum conscribat, atq; hosti in tempore occurrat, ne Christianorum maritima ora à Barbaris latius vastentur & occupentur. Itaque is instructam classem parauit, atque Melitenses equites vt idem facerent adhortatus est. Id cùm gnauiter fecissent, viribus coniunctis in Africam traiecerunt, atque vrbem prius à Draguto occupatam obsiderunt, & tormentis acriter oppugnarũt, ita vt turres & mœnia ea fulminatione corruerent. Cum autem aliquandiu ibi perseuerarent, ac Dragutum imminere, & nouas copias adducere audiuerunt, accelerandum sibi esse viderunt. Itaque quarto idus Septembris anni 1550 terra marique milites immittunt, & aliquot horarum spacio vi capiunt, multis hostium interfectis & captis. Septem millia incolarum in captiuitatem abducta, atque tormenta bellica cum maxima præda à nostris inde auecta. Postea Aphrodisium solo æquatum, ne Christiani magnis sumptibus eam vrbem contra Barbaros tueri cogerentur. Dragutus verò vrbe & opibus exutus ad Turcam confugit, & Byzantium cum paucis suorum peruenit. Ea res noui belli occasionem dedit, quod Turca non in Cæsarem modò sed in Ferdinandum quoque regem suscepit. Nam Solymannus Dragutum humaniter susceptum consolatus est, atque statim naues, arma, & milites parare iussit, vt denuò in Africam reuertatur, atque amissam vrbem recuperet, & in primis Crucigeris Ioannitis noceat, qui vbique sibi & socijs nocere, atque propositum impedire sint soliti.

Melita frustra à Turcis tentata.

Hoc modo Dragutus ingenti classe instructus Melitam rectà contendit, atque arcem vi aut dolo occupare conatur. Id autem cum Iohannes ordinis princeps per exploratores intellexisset, subitò equites suos in stationes disposuit, classem exornauit, atque insulæ incolas adesse iussit, vt Barbaro irrupturo tempestiuè occurrerent. Paulo pòst Turcica classis comparet, atque arcis præsidiarios per legatum ad deditionem hortatur. Verùm illi gnauiter respondent, atque tormentis Barbaros infestare incipiunt. Id cum Dragutus percepisset, classem propius admouit,

1548 uit, atque magnis bombardis turres arcis destruere incipit. Cum hoc modo per aliquot dies frustra arcem oppugnasset, atque Melitenses tanta vi & animi magnitudine pilis ferreis eius naues concuterent, incepto destitit, atque recta fugienti similis in Africam deflexit. Melite adiacent aliquot paruæ insulę, in his est præcipua Gaulos, quæ triginta millibus passuum ambitu patet. Hæc occasum versus quinque millibus passuum à Melita distat freto intercurrente. Itaque Barbari Melita repulsi eam insulam capiunt & vastant, sex millibus inde mortalium in miseram seruitutem abductis. Eo tempore Tripolis insula Melitensium studio & labore contra Barbaros defendebatur, quę olim Leptis magna dicebatur. itaque eandem vrbem oppugnare, & in suam potestatem redigere statuit. Iudicabat enim id quod erat, nimirum fortissimos equitum Melitam prius euocatos, vt insulam eam principis & ordinis primariam sedem tuerentur. Hinc vrbem terra mariq; grauiter oppugnat, recentes milites fessis & vulneratis submittens, ita vt præsidiarij non virtute, sed multitudine victi de deditione cogitarent. Barbarus quoque eosdem incolumes cum sarcinis dimisit, & Tripolim arcem & oppidum, quod sæpius infestarat, occupauit. Cum enim Melitenses longius distarent, neque Cæsaris classis ad manum esset, insidias veriti, sese continuerunt, & meliora tempora expectarunt, præsertim cum Turcica classis mare Africum longe latéq; occupasset.

Magdenburgum obsessum.

Eodem tempore ex Hispania Augustam venit Maximilianus gener Cæsaris, & rex Bohemiæ designatus, per absentiam à patre Ferdinando rege euocatus, quē inter atque Cæsarem actio tunc erat ardua, de imperij successione. Cæsar enim, qui sciret quanti esset momenti Germaniæ coniunctio, filium hæredem, qui tam latis & diuersis finibus esset regnaturus, hoc veluti firmamento stabiliri cupiebat. Ferdinandus autem rex qui spectaret idem, neque suam neque sanè filiorum expectationem atque commoda diminui oportere iudicabat. Porrò Maximilianus qui egregiam indolem præ se ferret, & multas calleret linguas, Germanicam in primis, & morum elegantia polleret, admodum erat gratiosus & popularis. Tum etiam bellum ab Imperio contra Magdenburgicos decretum. Mauritius quoque elector publico nomine belli summæ præficitur. In bellum vero decernitur aureorum sexaginta millia menstrua, proque sumptibus iam factis persolui iubentur millia cētum. Propterea is continuò magnis viribus rem gerit, & constructis aliquot castellis, vt in ijs milites hyemarent, in nouembri vrbem aggreditur. Fuit vrbs per integrum annum obsessa, & aliquoties frustra oppugnata. Tandem verò fortiter resistētibus pax restituta. Tum etiam militi præsidiario fide publica fuit cautum, vt tuto abire liceat, atque ciuibus Euangelica doctrina permissa. Ad hunc modum liberati Magdenburgici pręter multorum expectationem summam nominis gloriam apud exteras nationes adepti sunt, quod propè soli per omnem Germaniam, exemplo suo docuissent, quid constantia posset. Eo etiam modo patres in Tridentino concilio, qui vndique Euangelicorum Theologos euocarant, atque in controuersis fidei articulis cum eis disceptarant, decreta sua minus expedire, atque hinc inde Ecclesijs docendi formulas præscribere potuerunt, dum illæ Magdenburgicorum exemplo, saltem vtriusq; Testamenti & primorum conciliorum doctrinam amplectendam, & publicè docendam statuerent.

Georgius Monachus occisus.

Sub finem huius anni Georgius Episcopus Varadiensis, nuper factus Cardinalis, è medio tollitur, ob societatis Turcicæ suspicionem, domi suæ confossus. Eius cædis author fuit Ioannes Baptista Castallius Italus, quem Cæsar iam ante in Vngariam miserat, vt Ferdinandum regem ope consilióque iuuaret. Nam vxor vidua Ioannis regis Isabella, quum Transyluaniam ægrè se posse tueri videret, pacta cum Ferdinando rege, summam administrationis ei permiserat, & traditis ornamentis insignibusq; regni in Poloniam redierat. Hac ergo ratione totam penè Transyluaniam Ferdinandus occuparat, adiutore Varadinensi præsule. Sed quia post ille noua consilia moliri visus est, & dominatum affectare, vitæ discrimen adijt. Sequenti 1552 anno Heinricus Galliæ rex bellum cum Cæsare restaurauit. Cui se etiam Augustæ

gustæ Saxoniæ dux, Vvilhelmus Hassiæ Landgrauius, atque Albertus Brandenburgius coniunxerunt, propterea quòd neque Saxonię duci neq; Philippo Hassio à diuturna captiuitate liberationem impetrare potuerant. Atq; principes Germani cum ijs militibus, qui prius Magdenburgam oppugnarant & defenderant, per Rotenburgum, & Norlingam Donauertum petunt, rectà Cæsarem Oeniponti existẽtem inuasuri. quacũq; transirent, suam in potestatẽ oppidanos redigunt, & ijs quos antea Cæsar delegerat abrogatis, nouum magistratum instituant, simul pecuniam eis & tormenta imperãt. Hac ratione etiam Augustam Vindelicorum occuparũt. Vlmam tamen frustra tentarunt. Postea principes alpes petunt, & circa Fiesam Cęsarianas copias prælio superãt, & Erebergum arcem per deditionem in potestatem redigunt. Itaq; Cæsar cum Ferdinando fratre noctu maxima celeritate Oeniponte tumultuariè discedunt, atq; Villacum sese recipiunt. sic Mauritius Oenipontem ingressus Cæsaris & Hispanorum bona diripuit. 1549

Eodem etiam tempore Heinricus Galliæ rex astu Metim vrbem Imperij occupauit, & per Lotharingię fines cũ maximo exercitu Tabernas quinto nonas Maij quatuor ab Argentorato milliaribus ditionis episcopi oppidum venit. postulauerat antea ab Argentinensibus vti rebus necessarijs exercitui subuenirent. Ea de causa Sarburgum ad eum legati missi, qui certum frumenti modum atq; vini deferrent. Argentinenses in hac Galli expeditione ad quinq; millia militum illico conscripserant præsidij causa, deinde multa tum publica tum priuata ædificia circa vrbem, & quicquid prospectum impediebat, vel hosti poterat commodare, demoliebantur, & qua parte cum primis necesse erat nouam vrbis munitionem instituebãt. Quare animaduersa, Galli Nonis Maij promotis castris Hagenoam, inde Vvissenburgũ petebant. Huc ad regem venerunt legati, à Palatino principe, Moguntino & Treuerensi episcopis, & à Cliuensi ac Vvirtenbergico ducibus petentes, vt rex ab agrorum vastatione abstineret, & miseræ multitudini parceret, cum profiteatur se libertatis Germaniæ causa belligerari. Interea Cæsar per Ferdinandum cum Mauritio & socijs de pace Lintij agebat, quæ etiam tandem sub finem Iulij Passauij conciliata fuit. Itaq; Gallus relicta Germania denuò per Lotharingiam domum redijt. Albertus tamen Brandenburgicus pacem exosus, Norinbergenses & Moguntinum electorem inuasit, & passim in Rhenensi tractu plurimas turbas dedit, atq; Vormaciam & Spiram in potestatem redegit, postea quoq; Francofurtum obsedit. In ea autem cum Cæsare transactione Ioannes Fridericus Saxo, & Philippus Landgrauius libertatem receperunt, & in suas prouincias remissi fuerunt. *Gallus Metim occupat*

Dum Christiani hoc modo ciuilia bella exercent, Turcæ munitiora Vngariæ loca contra pacis rationes occupare conantur, præsertim cum Ferdinandici multis iniurijs lacessiti Temesuarum & Zolnockum arces in suam potestatẽ redegissent. Itaq; Barbari primo Temesuarũ recipiunt, & præsidiarios contra datã fidem obtrũcant. mox etiã Zolnockum à nostris relictũ occupãt. Nostri enim sese in arcẽ Agriã receperant, atq; ibidem Turcis resistere statuerant. Vnde Stephanus Zoltai, Caspar Peteu, & Georgius Bornemissa cum duobus millibus fortium militum se eo cõtulerant. Id cum Halibassa cognouisset, triginta quinq; millibus Turcarum arcẽ inuadere, & summis viribus oppugnare constituit. Cum etiam 10 die Septemb. Anno 1552 eo peruenisset, arcem obsidione cinxit, & murum vndiq; tormentis concutere cœpit. At re minus succedente cuniculis egit & nihil intentatum reliquit vt vi in arcem irrumperet. Verùm omnia frustra. nam nostri duce Stephano Dobo oppugnationes fortiter ferebant, atq; hostes sua virtute egregiè repellebant. Cum hoc modo Turcæ nihil efficerent, tandem in festo S. Michaelis viginti octo signis delectis Agriam denuò oppugnarunt, & à nostris victi turpiter recesserũt. Accidit autem forte vt 24 cadi puluere is bombardici igne correpti plurimum damni in arce darent, atque aliquot duces auferrent. At nostri illico accurrentes, læsos consolati sunt, & loca disrupta resarciuerunt. Tandem Turcæ 12 octobris per integrum diem arcẽ oppugnarunt, atque spe prædæ nihil intentatum reliquerunt vt loco potirentur. *Turcarum strages.*

Verùm

1554 Verùm nostrorum virtute maxima cęde repulsi sunt. Postea promissis agere cœpe rũt, ac vt se dederent nostros hortati sunt. cum autem nihil efficerent, atq; suas literas exustas audiuissent, ad vltimum prælium sese instruxerunt. sed denuò effectum vt magna sanguinis effusione vincerentur. Itaque tandem post sesqui mensem vasis collectis obsidionem soluerunt, & sese Pestum receperũt. Duodecim millia globorum inuenta quibus murum concusserunt. Perierunt ad sex millia Turcarum in ea oppugnatione, cum ex nostris tantum trecenti desiderarentur. Ea victoria Ferdinandus rex plurimum lætatus est, atque Stephanum Dobonum Vayuodam, & præfectum Transyluaniæ constituit, alios vero milites officijs militaribus honorauit, aut pecunia liberaliter donauit.

Christianorum ciuilia bella.

Pace confecta Carolus Cæsar maximis copijs Metim vrbem mense Octobri obsidere cœpit, atque Albertum Brandenburgicum cum 50 signis ad suas partes traduxit. Eam vrbem Gallus egregiè munierat, atque forti præsidio defendebat, qui etiam crebras eruptiones fecerunt. Erat tum hyems asperrima & niuiosa, itaq; Cæsar licet numerosissimum haberet exercitum, ab oppugnatione tamen abstinebat, & cuniculis demũ rem tentabat. sed frustra, quum & anni tempus impediret, & hostis per indicium id accepisset. Hyemis ergo intemperie Cæsar coactus sub exitum Decembris obsidionem soluit. ex contagione autem atq; frigore propè tertia pars exercitus miserè periit, magno Turcarum commodo, & Christianorum dãno. Nec tamen id sufficiebat, verùm passim ciuilia bella inter Christianos recruduerunt. Nã Gallus maximum bellum in Belgia contra Cæsarem suscepit, & aliquandiu vario Marte gessit. In Italia quoque in Taurinis & Hetruria peracre bellum gerebatur. Conabatur enim Cæsar Senas, quæ eiectis Hispanis Gallorum opera sese in libertatem asseruerant, recuperare. Vnde etiam Neapolitanas copias in Hetruriam misit, & vnà cum Florentinis Senas obsidere iussit. Ibi etiam regis exercitus mẽse Augusto, cui Strozza præerat, à Cæsarianis magna clade profligatus fuit. Quin & in interiore Germania Albertus Brandenburgicus cum Mauritio electore Saxoniæ ingens bellum suscipit, atque tandem prælio inito penes Mauritium (qui vinceret equitatu) victoria fuit, sed ipse sclopeto traiectus ilia, biduò post vitam finiuit, magno Germaniæ incommodo, cum egregius ille princeps Turcis obijci potuisset. Nam Barbara gens Anno 1553 ingenti classe mare Siculum infestum reddebant, atque Melitenses, Calabros, Corcyreos, & Siculos plurimum molestabãt, quibus tamen illi fortiter occurrebant, & sua littora à Barbaris defendebant. Interim tamen Deus Solymannum Tyrannum grauiter domi afflixit atque ad eam insaniam redegit vt proprium filium Mustapham laqueo sustulerit, suspicans eundem cum Sophy Persarum rege clancularia consilia suscepisse.

Philippus Angliæ regi nam vxorem duxit.

Cum hæc hinc inde magna Christianorum sanguinis effusione fierẽt, Philippus Cęsaris filius ex Hispania classe in Angliam appulit, & quarto pòst die Vintoniam vbi regina eum expectabat venit. Postridie reginam adijt, & altera die D. Iacobo sacrata Anno 1554 regio apparatu cum eadem nuptias celebrauit. Aderat Albanus & alter Cæsaris legatus, qui inter solennia festa palàm dixerat, à Cæsare regnum Neapolitanum regi filio, nuptiarum causa offerri. Non multo post Cęsar filio quoque Mediolanensem ducatum hæreditario iure possidendum concessit. eius etiam nomine Melitẽses equites Philippo regi per legatos gratulati sunt, atq; se & suum ordinem commendarunt. Obijt autem eodem anno M. Antonius Triuisanus Venetorum princeps, atq; Franciscus Venerius in eius locum suffectus est. Sequenti vero anno Iulius tertius pontifex quoq; decessit, in cuius sedem Marcellus secundus à patribus collocatus fuit. sed tamen non diu sedem tenuit, atq; Ioannes Petrus Caraffa Neapolitanus, qui se Paulum 4 nominauit, successit. cuius pontificatus magnorum in Italia motuum causa extitit. Nam cum pontificij principatus cliẽtes vocari iussisset, & in his M. Antonium Columnam, is ad inimicum veterem ire recusauit, & Neapolim contendit. Itaq; pontifex eum proscripsit, & simul copias in eius ditionem quæ in Equicolis est mittit, Tagliacozzium & Palianum cæteráque castella

ſtella occupat. ibiq́ue fratris filium Fredericum Caraffam ſolenni ceremonia Palia 1554
ni principem conſtituit.



Poſtquam Cæſariani & Galli multis in locis, præſertim in Belgia & Pedemontana regione, diuturnum bellum geſſiſſent, tandem cum in hybernis eſſent inter eos de inducijs agi cœptum, quæ etiam in quinq; annos ſancitæ ſunt, dum ad integras pacis conditiones peruenire poſſent, in his erat perſcriptum vt põtifici neuter uim faceret, ſed in inducijs contineretur. Itaq; milites vtriuſq; partis dimiſſi ſunt. Poſtea quoq; Philippus Cæſaris filius, iam Belgarum poſſeſſionem à patre adeptus, totius prouinciæ præfecturam, quę antea Mariæ Cæſaris ſororis fuerat, Philiberto Allobrogum principi commiſit. Cęſar vero rebus ibi compoſitis maximis antea curis morbisq; confectus, initio autumni Anni 1556 Bruxellas cõuocatis magiſtratibus prouinciæ, de corporis ſui imbecillitate locutus, filium eis commendauit, & legitimum hæredem & dominum conſtituit. poſtea cum duabus ſororibus Maria & Eleonora Gandauum profectus eſt, inde in Selandiam nauigauit. vbi cum dies aliquot egiſſet cõmodam nactus tempeſtatem in Hiſpaniam fœlici curſu peruenit. Eſt in Hiſpania Betica regio, quæ Extremadura dicitur, nõ. procul à Merida. Ibi in loco amœno Collegium eſt Monachorum quod S. Iuſti nomẽ accepit. Hunc locum ſibi delegit Carolus Cęſar, vbi vitam procul à negotijs & ſtrepitu ageret inſtrumento mirabili oblectatus, in quo omnem cœleſtium orbium, ſiderum, & motuum (additæ etiam octauæ ſphæræ motu perpetuo) rationes cõtemplabatur. Cum etiam per biennium ibi vixiſſet, atq; Imperium fratri reſignaſſet, fœliciter ex hac vita migrauit, anno ętatis 58, & Imperij 39, vir quidem vel maximis imperatoribus comparandus. Eodem etiam menſe vtraq; eius ſoror deceſſit, prętera regina Angliæ Maria Cæſaris nurus. Poſtea Elizabetha eius ſoror regina electa, quę pontificis religionẽ abrogauit, & exules in Angliã ſumma clemẽtia reuocauit.

Carolus Cæſar Germania excedit.

Cum Ferdinandus per legatos Agriam arcem fortiter defendiſſet, atque Turcæ ſeſe ad maximum bellum pararent, pius rex legationem Conſtantinopolim miſerat atq; de inducijs agebat, ne Vngaria miſere à Barbaris popularetur. Verũ per aliquot annos legati ibidem perſeuerantes nihil efficiebãt. Interea præfecti in Vngaria & locis finitimis arma exercebant, ac Babozam arcem munitam dolo occuparant. Idem de Sigetio fieri poſſe ſperabant. Cum autem res minus ſuccederent Anno 1556 id aperto marte efficere tentabant. Erat tum Marcus Horbatus vir ſtrenuus cum fortiſſimis militibus ibidem in præſidio. Itaque Turcæ ingenti exercitu aduolarunt & 13 Iunij oppidum & arcem obſiderunt. mox etiam tormentis egerũt & horribili boatu muros concuſſerunt. Verum noſtri aliquoties erumpentes plurimos hoſtium trucidarunt. Accidit tum 20 Iunij vt Turcæ exteriori muro vrbis potirentur, atque ſexta impreſſione facta arcem inuadere ſtatuerent. Vnde noſtri periculo animaduerſo viriliter denuò eruperunt, & octingentis interfectis, alios ex oppido repulerunt. Nec tamen Turcæ deſtiterunt. quin viginti millibus plauſtris materiam aduehentes foſſam arcis implere propoſuerunt. At omnis materia à noſtris artificioſo igne abſumpta fuit. Id cum ſæpius tentaſſent, omnis tamen eorum conatus fuit irritus, poſtea Halibaſſa admonuit vt ſe dederent. Cum nec ſic aliquid efficeret 12 Iulij per quinque continuos dies oppugnauit, & recentes feſſis ſemper ſubmiſit. At noſtrorum virtute Sigetium egregiè defenſum fuit. Poſtea 21 Iulij deceſſit, ac ex vrbe Quinqueeccleſienſi 27 Iulij rediit, ac denuò aliquoties ad murum prælium redintegrauit. Inuenta ſunt decem millia globorum immiſſorum. Verum tandem magna ſuorum ſtrage duobus millibus optimorum militum amiſſis obſidionẽ ſoluit, ac ſe in tutiora loca recepit. Ex noſtris 120 deſiderati tantùm. Hacq; ratione eo tempore Sigethum fortiter defenſum fuit.

Sigethũ fruſtra obſeſſũ.

1556 Ferdinãdi in Vngariã expeditio.

Antequam Cæsar è Belgia discesserat, Rex Ferdinandus castella quędam in Vngaria præsidijs firmauerat, quasi aliquid à Turcis metuendum præsagiret. quæ sanè coniectura eum non fefellit. Nam paulo pòst Turca iter in Stiriam direxit, & in tractum Quinquecclesiensem, expugnauitq; Coppam, & Babozam. Sigetium tamen arx Marci Horbati virtute est defensa. Huius ergo propugnandæ causa & ad arcendas certas & quotidianas incursiones, Rex Viennæ conuentum instituit ex quinque inferioribus & Austriacis nationibus. Præterea alteram in Hungaria Presburgi, postulans vt auxilia ad illam expeditionem conferrent. Interea motus in Vngaria oritur, Bebecco Vngaro authore, propter Erlam in Transyluania & Zipsum. Id circo Theodericus Marcellus missus ad domandos rebelles cum trecentis equitibus leuis armaturæ, additis totidem Pannonijs Husaronibus, qui primum quidem aliquot vrbes expugnarunt, demum vero in proditionem inciderunt. Postea aperiente se vere Turca Tragam ponte iunxit, & Halibassam cum mille & quadringẽtis militibus ad Sigetum expugnandum misit. Rex Ferdinandus quoq; duodecim peditum cohortes, Nicolao Polvillero duce, in Sueuia & Austria collectas, adiunctis præterea grauis & leuis armaturæ equitibus, misit ad Babozam (quæ est inter Stiriam & Sigetium) recuperandã. Hi cum peruenissent Cauischam, & inde Babozã ire contenderent, Halibassa tentabat eos depellere, relictóq; Sigetio ad aliquot menses graui obsidione presso, multa huc tormenta de nocte aduexit. quorum aduentu cognito nostri fortiter cum ipsis manus conseruerunt, inq; fugam compulerunt. Interea Turcæ machinas in eminentiora loca euexerunt, vnde nostris magna sunt illata detrimenta, adeo vt multi præstantes viri, præcipuè ex equitibus, interierint. postea traiecerunt fluuium Rymuiam, sed magna cum suorum cęde pulsi sunt. pugnatum est ferme totum diem, adeò vt iustum prælium fuisse videatur.

Turcarum strages.

Maximas res hic gesserunt Polvillerus, Pucheius, Ruber, & Gylis, qui post cum muneribus sunt equites aurati à rege Ferdinando creati. Cum autem oppugnarent arcem, præter gregarios occubuerunt frater Polvilleri, atque Stainbrunnus Alsatus equitum præfectus. præterea Sigersdorfius, qui peditum ordines ducebat. multi quoque capti fuerunt. Ex Turcis verò plures perijsse putantur, & præter reliquos magni nominis præfectus Coppæ. Quanquam vero nostri strenuè Campo potiti fuerunt, tamen ob commeatus & pulueris inopiam obsidionem soluerunt, & ad duo milliaria Gorgum vsque instrumentum omne & impedimenta salua reportarunt, ibidem regis consilium expectaturi. His rebus cognitis rex filium Ferdinandum Austriæ archiducem cum tormentis, equitibus & peditibus eo transmisit, adiuncto ipsi principe Plauicensi & Carolo Cherotino, qui expugnarũt Carothnam vbi circiter quadringenti Turcæ & Hungari perierunt. Hæc insperata res commouit hostem, vt arces & munitiones Babozam, Sammartinum, Gerosgalum, Seliam, Sanlaurentium, & Caliangen incenderint, tormenta disiecerint, & ad Quinquecclesiam vrbem confugerint. Respirauit hac re Marcus Horbatus, & eum locum petiuit, multis villis & pagis incensis. incidit autem in turmam Turcarum, à quibus stipendia militi ferebantur, atque his profligatis haud paruam consecutus est prædam. Adamus quoque præfectus, qui prius Albam regalem inuaserat, suburbium cremauerat, & multa pecorum millia abegerat, tunc oppidum Sian aggressus est. ibi ad quingentos Turcas & totidem transfugas Christianos vicit, & magna præda sine vlla suorum clade domum rediit. Idem pagi à Turcis combusti & deserti sunt, quo via tuta esset, postquam à Sigetio pulsi fuerunt. Post hæc in autumno circiter quatuor millia Turcarum ab Quinquecclesia profecti, vt aduersus Christianos castra metari velle viderentur. sed opere nihil tentarunt. Itaque cum frigus incesseret, Ferdinandi filius sub finem octobris Viennam rediit.

Philippi & Galli in Italia bellum.

Interea Columna, qui se imparem Pontifici agnosceret, Philippi regis opem implorat. Itaque is Pontifici significauit vt clienti suo paternas possessiones relinqueret, esse enim alias honestiores rationes suos cognatos augendi. quod si ita pergat, se suis nequaquam defuturum. verum pontifex nec precibus nec minis per-

permoueri potuit. Vnde Philippus Albano proregi Neapolitano mandauit, daret operam, vt & Columna sua recuperaret, & pontificem ad officium reuocaret. Paruit Albanus, atque eo vsq; progressus fuit, in Velitris Tibure & Hostia occupatis, vt Romam obsideret, quam etiam capere potuisset, nisi religione retentus pontifici parcendum esse duxisset. Interea pontifex Gallum solicitare, misso ad eum fratris filio Carolo Caraffa Cardinali, non cessabat. Annuit Gallus pontifici, & primũ Aquitanorum cohortes aliquot nauibus impositas submisit, qui ei subsidio essent dum maiores copiæ pararentur. Neque tamen contra inducias se facere vel Gallus vel Philippus existimabant, quod non inter se & suis de rebus, sed vterque pro altero (cui deesse non posset) propugnaret. Sed postea Heinricus Guisanum cum viginti millibus peditum & quatuor millibus equitum Romam contendere iussit, vt pontificem liberaret. qui vbi superatis alpibus in Taurinos descendisset, & secundum Padum exercitus ageret, initio anni 1557 Valentiam peruenit. Quum autem ibi transitum negarent & rem sclopetis è muris gererent, Galli oppidum aggressi ceperunt, impositóque præsidio Romam contenderunt. Ibi aliquot mensibus frustra contritis, Guisanus rege eum in Galliam reuocante, exercitum incolumen initio hyemis reduxit, & Pontifex paulo pòst restituto Columna Philippo regi est reconciliatus. Eo autem tempore Melitenses sedulò mare finitimum custodiebant, ne Barbari Christianis dissidentibus ex improuiso nocerent. 1557

Melitensium cum Turcis varij conflictus.

Petierat quidem Heinricus Galliæ rex vt & Solymannus sua classe Siciliam aut Neapolim inuaderet, ac regis Hispaniarum vires distraheret, id quod Turca ob multas causas negarat: nihilominus tamen Piratis, Mauris, & Turcis Africam littoralem incolentibus mandauit, vt maria versus Italiam infestarent, atque vbique prædas agerent, ita vt Siciliæ prorex classem suam in portum Caietanum & Neapolitanum reducere cogeretur. Interea Guisius ordinis Ioannitarum per Franciam prior, atque Cardinalis Guisij, ac Heinrici copiarum Gallicarum præfecti frater, cui Melitensis classis cõmendata erat, quatuor triremibus optimè instructis orientem versus excurrit, atque hosti insidias struere optauit. occurrebant tum ei naues duæ onerariæ varijs mercibus onustæ. eas aggressus deuicit, & in potestatem redegit. Mox etiam quatuor Turcicas triremes offendit, atque horribili clamore vtrinque ædito certamen cum ijs iniit. Tandem Melitenses egregiè vicerunt, ita vt vnam triremem hostium incenderint, secundam submerserint, atque tertiam & quartam vi cœperint. Cum hoc modo victor pro more Melitam rediret, vt classem suam reficeret, atque vulneratos equites chirurgis curandos traderet, ecce aliæ quatuor Turcarum magnæ naues occurrunt, atque prælio decernere gestiunt, vt de occisis socijs vindictam sumerent. Cum autem Prior videret sese prælij aleam vitare non posse, proram fortiter in hostem vertit, & pugnandi potestatem fecit. Quia vero 72 equites grauiter vulnerati, atque aliquot etiam duobus prælijs superioribus interfecti essent, consilio centurionum paulatim decedere ac Melitam versus properare decreuit. Verùm in reditu triremis vna à Barbaris intercepta, in qua 52 equites deprehensi sunt. Ipse vero cum reliquis præda onustus Melitam rediit, atque proxima hyeme quieuit. Sequenti autem vere in Franciam ad ædes suas redijt. Eodem tempore ingentes motus apud Turcas excitati. Nam Bayazethes Solymanni filius ad Sophim perfugerat, vt paterno regno potiretur. At Selimus à patre adiutus fratrem persecutus est, & circa Licaoniam ingenti prælio superauit 40000 Turcarum vtrinque interemptis. Hacque ratione motus ad tempus fuit sopitus.

Galli ad S. Quintinum victi.

Post captam Valentiam renouatum est inter duos potentissimos & Melitensibus gratissimos reges atrox bellum, cuius maturandi occasionem præbuit quod Gallicæ classis præfectus Douacum Belgarum oppidum ex improuiso capere tentasset. vbi etiam magnam pecoris multitudinem abegerunt. Tum verò Philippus sibi in Gallicum bellum incumbendum ratus Aprili mense in Angliam traiecit, & Anglos excitauit vt eorum pecunia & milite ad id bellum iuuaretur, quod & regi-

1553 næ vxoris authoritate obtinuit. Itaq; de communi Angliæ procerum consilio missus est fecialis qui Heinrico bellum denunciaret. Ex eo tempore vterq; rex delectibus in Germania & alijs in locis habendis operam dedit: Et ad Gallum Ringrauius & Rifenbergus ad quindecim millia peditum & quatuor equitum adduxerunt. Ericus vero dux Brunsuicensis magnas copias equitum & peditum in Belgiam Philippo adduxit. Gallus ergo aliquot oppidis & castellis occupatis, & in his Lentium ad Atrebates, ad Ambianum castra posuit. Philippus vero Philibertum Sabaudiæ ducem affinem suum præmittit, & summam belli administrandi potestatem attribuit. Is in hostium terram irruens Marienburgum & Guisium oppida munita prætergressus de improuiso Fanum Quintim obsidere cepit. Qua de re Gallus certior factus suos laborantes nouo præsidio & commeatu confirmare statuit. Re autem non semel frustra tentata, postremo Anneum Momorantium Galliæ equitum Magistrum, peditatu & equitatu alijsq; rebus egregiè instructum, eo transmittit. Profectus igitur Momorantius suos iubet hostem leuibus prælijs distineri, interea ipse in oppidum quæ voluit immisit. Cùm autem in regia castra redirent, neque longius ab hostium castris abessent, quam quò glandes tormentis emissæ peruenire possent, tormentis dispositis in tentoria Philippeorũ magno impetu displodere cæperunt. Itaque Philibertus equitatum suum in hostes concitat, & in fugam conijcit. Mox etiam pedites aggressus magnam stragem ædidit, & ad tria milia cæpit: inter quos Momorantius ipse cum filio, & Ludouicus Gonzaga fuit præterea Ringrauius Germanorum cohortium præfectus. Aliquot etiam post diebus vrbs ipsa quum deditionem facere nollet expugnata est, & magna cæde passim fœdata. Incidit hæc victoria in 4. idus Augusti. Atq; hæc causa fuit quod Heinricus Guisiũ ex Italia cum copijs domum reuocarit.

Caletum à Gallis occupatum.

Hac clade Heinricus territus nouos delectus in Germania, duce Iohanne Vvilhelmo Saxone habuit. Nec Heluetij in tam graui casu regi amico & socio defuerunt. Vbi omnes copiæ in vnum conuenerunt, rex Guisanum omnibus præfecit, eíque Termeum Strozzam adiunxit, cuius consilio vteretur. Is igitur mense Decembri rigenteq́ue hyeme educto exercitu, ea specie quasi ad S. Quintinum recuperandum tenderet, statim Caletum versus vrbem Anglorum maritimam iter arripuit. quamobrem obseruata æstus maris reciprocatione, terra mariq́ue oppugnationem instituit, ac primum arcem obiectam portui quam Risbanum vocant expugnauit, & portum armatis nauibus implevit, atq; milites exposuit, qui ad vrbis portas penetrarunt. Hac ratione irrumpentes milites altero die vrbem munitissimam, & per ducentos annos ab Anglis possessam capiunt & diripiunt, tertio nonas Ianuarij Anno 1558. mox etiam præsidio imposito Guisius Guiẽnam oppidum firmissimum occupat, & incendit, sicq́ue ipsis brumæ diebus Gallia ob celebrem victoriam contra omnium expectationem recreata fuit. Postea quoque conuersis signis Lucemburgum tendit, & Theodonis villam forti præsidio munitam magna vi tandem expugnauit, non tamen sine multorum militum & ducum suorum iactura. Nam ibi Petrus Strozza reginæ Galliæ propinquus belli dux peritus pila percussus occubuit.

Cæsariano-rum ad Gravelingam victoria.

Cum hæc ad Theodonis villam gererentur Termeus Caleti & Senarpo Bononiæ præfecti vltra Grauelingam Dancherquum maris portum oppidanis diffugientibus de improuiso cœperunt. verum cũ id se retinere non posse viderent, præda onusti magnisq́ue gregibus abactis, adornabant abitum, quum ecce magnę adesse equitum & peditum copię nunciantur, duce Egmõdano comite, cui Philippus rex Benicurtium & Renciacum cum suis pariter copijs adiunxerat. nam bipartito profecti sunt vt hostem interciperent. pedites ducebat Lazarus Suuendius homo fortis & prudens. Hi nacti hostem non procul à Grauelinga, in patenti planicie acie instructa, ei pugnæ potestatem fecerunt. Sed Galli qui se numero inferiores esse cernerent intra vallum se toto eo die continuerunt. sequenti die agmine quadrato progressi se Caletum recipere conabantur. Verum Egmondanus eos sic abire

abire non est passus. Nam illico miro impetu hostes aggressus est. Sustinuerunt primò Gallorum equites egregiè hostium equitatus impetum. conseruerunt & peditum cohortes acriter manum. Sed cum Galli vincerentur, eorum acies cœperunt languescere, ac paulatim pedem referre: acrius deinde vrgente hoste, terga vertere. fit magna cædes. permulti in fuga acriter insequente hoste conficiuntur. sed multò plures intercluſi capiuntur. Termeus quoque & Senarpo in manus hostium deuenerunt. Philippus hac potitus victoria hostium terras cum validissimo exercitu ingressus, tandem non procul à Dorlano oppido castra metatus est. Hoc nuncio accepto Guisanus, impositio Theonuillę præsidio, castra inde mouens ad Mosam amnem accessit, intentè quid hostis moliretur obseruans, qui & ipse Namurum ad idem flumen accesserat. 1559

Melitenses pacem regibus suadent.

Hac ratione cum multum Christiani sanguinis effunderetur, Melitenses equites qui neutrarum partium essent, atq; Turcarum & Barbarorum conatum obseruarent, magno dolore afficiebantur, præsertim cum intelligerent munita quædam loca in Africa occupata, adeo vt oblata occasione magnum malum à Turcis nobis esset expectandum. Itaque Iohannes de Homedes, veneranda canicie conspicuus ordinis princeps, Paulum quartum pontificem per literas & legatos diligenter admonuit, vt tandem inter Christianorum summos principes pax constitueretur. Orarunt quoque Philippum & Heinricum regem, vt ciuilia illa bella tollerent, atque mutuis auxilijs arma contra Barbaros maiorum exemplo sumerent. Itaque crebris admonitionibus factum, vt de pace aliquot tractationes haberi inciperentur, præsertim per captiuos Momorantium atque Termeum, intercedente quoque Christierna Caroli Lotharingi ducis matre. Hinc tandem pax tot annos frustra optata, tam sæpe tentata, inter duos potentissimos reges, ac Philipertum Allobrogum ducem facta est. sed occultata diu, ne forte milites, quibus pacis nomen erat odiosum, aliquid noui inceptarent. qua etiam de causa diutius in castris retenti fuerunt, atq; sic tandem dimissi quasi de pace conuenire nequiuissent, & sequenti anno bellum redintegrandum foret. Erant enim in vtriusque castris vltra centum & triginta millia militum, quorum maxima pars è Germanico peditatu & equitatu constabat. Rumor tamen confectæ pacis sensim erumpens apud omnes inualescebat, & bellis iam prorsus defessas nationes magnopere recreabat. Interea Philippo regi nuncia de patris Caroli morte allata, & paulo pòst etiam de obitu vxoris Mariæ reginę Angliæ. Itaque sese Bruxellas ad suorum funera lugenda recepit, dum pacis prodendæ tempus veniret. At in locum Mariæ soror eius Elizabetha regina Angliæ 6 die Nouembris electa fuit.

Philippi & Heinrici Galli pacis conditiones.

Antequam Cæsar moreretur, per Aurantium principem Ferdinando fratri regi Romanorum imperij insignia Francofurtum miserat, atque ipse sese quieti dederat. quo etiam vt moris est electores septem imperij conuenerant. Itaque 16 calend. Aprilis in eiusdem vrbis templo, quod D. Bartholomęo sacrum est, Ferdinandus Imperator Augustus est renunciatus, princeps omni genere virtutum laudatissimus, & in primis pacis studiosissimus. Philippus verò & Heinricus eam hyemem pacis confectæ conscientia quieuerunt. ineunte autem vere Anno 1559 pacem promulgarunt. eius autem præcipua erant capita, vt superiora fœdera omnia rata essent: vt reconciliati principum animi mutua præstent officia, & reipublicæ Christianæ commoda vterque promoueat: vt eo incumbant quò generale Concilium celebretur: vt eis qui alteri parti contra alteram militarunt venia detur, & bona restituantur: Vt Philippus Gallo S. Quintinum, Castelletum, & Haonum restituat, Heinricus verò Philippo Theonuillam, Marieburgum, & Iuodium: Vt Terouanam Gallo (vt tum erat) restituatur neque muniatur: Vt Hesdinum Hispano permaneat: Quicquid vterque rex in Montisferrati principatu tenet, illud duci Mantuano reddat: Vt Gallus Valentiam restituat, Genuensibus vero Corsicam insulam: Cedat item Gallus oppidis quæ in Hetruria occupauit: præterea Sabaudo omnia quæ cis & vltra alpes cepit restituat, præter Taurinũ vrbem, Pinaroliũ,


1559 & Clauasium (quę cis padum sunt) item Cherim & Villanouam vltra Padum, quo intra triennium quid iuris sit decernatur: Sabaudus neutri parti adhæreat: Contra Imperium Germanicum rex neuter aliquid moliatur. Vt etiam firmiore vinculo fœdus teneretur, conuentum est vt Philippus Heinrici filiam Elisabetham, & Philibertus Margaritam, Heinrici sororem uxores ducant. Philippus dotis nomine acciperet quadringenta coronatorum millia, & Philibertus trecenta millia. pacem sanciuit iuramento Philippus Bruxellis nonis Aprilis, Heinricus verò Lutetiæ 14. Calend. Iulij. Facta præterea potestas omnibus Christianis sese ad hoc fœdus adiungendi, modo à fœderis promulgatione intra sex menses, obsignatis literis id contestentur. Hoc modo factum vt Respublica Christiana, atque in primis militaris Ioannitarum ordo plurimum exhilaratus fuerit, & passim supplicationibus institutis Deo gratias egerit.

RERVM

DECIMI LIBRI FINIS.

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MAriqúe fortiter geſtarum,

Liber vndecimus.



VT connubia ex fœdere ritè celebrarẽtur, miſit Philippus rex Albanũ ducem Lutetiã, qui regis ſui nomine ſponſæ fidem daret & acciperet. Itaq; cum decimo calendas Iulij Philibertus Sabaudus & ipſe Lutetiam peruenisſet, eodem die filiæ regis ſponſalia ſunt celebrata, Lotharingo Cardinali verba faciente, ac ſolenni ritu Albano regiam ſponſam tradente. Per ſex deinde dies nullum hilaritatis genus tũm conuiuijs tum ludis regio apparatu exhibendis prætermiſſum fuit. Adfuerunt etiam ex vniuerſa Gallia & Hiſpania plurimi Iohannitarum equites, vtrique regi gratulantes. Septimo vero die (qui fuit tertius calendarũ Iulij) Margarita regis Heinrici ſoror Philiberto deſponſata eſt, & ludi equeſtres habiti, in quibus rex ipſe Heinricus extitit prouocator, vnà cum tribus alijs principibus, Ferrarienſi, Guiſano, atque Nemurio. Prodijt autem

1559 *Nuptiæ Lutetiæ celebratæ.*

1559 rursus in pugnam postridie rex armatus. atque vbi summa cum omnium admiratione conflixisset, & aliquot hastas fortiter fregisset, admonuit eum Momorantius, vt quoniam ingens æstus esset, & ipse iam satis certando laborasset, deinceps quiesceret. cui rex respondit, se iam strenuè quatuor decursionibus esse defunctum, quintam velle in Philiberti propinqui sui gratiam obire, idque statim vt ipsi Philiberto significaret, Momorantij filium ad eum misit. Mox cum Largeo satellitum suorum præfecto, iuuene forti & strenuo, tanto impetu concurrit vt Largei hasta in regis pectus frangeretᵉ, & fragmentum per galeam non rectè clausam, inter duos oculos adactum, regi alterum oculum perfoderet, & fragmenti pars intra ipsum frontis cranium altè infixa occultaretur. Illico accurit Momorantius cum aliquot principibus, qui regem in sella collocarunt, apertáque casside eam plenam cruore cernentes, eum in regiam vt curaretur portarunt. quod vbi vidit Largeus ingenti dolore metúque perculsus, ad regis accidit pedes, eius facti à quo omnis culpa abesset, veniam petens. cui rex promptè ignouit.

Henricus rex interijt.

Ibi statim ei regina adfuit cum Delphino pene exanimata. at rex cum potum petiuisset, dixit se semper operam dedisse, vt pro Gallici nominis gloria fortiter in hostem pugnans mortem oppeteret. Iam verò quando alio mortis genere occumbendum sit, sese Deo commendare. Ex eo vulnere febris molestissima orta, quo factum vt per decem dies acerbissimos cruciatus senserit, adeo vt ei visum hebetaret, & loquendi facultatem adimeret. Itaque vndecimo die vulneris dolore est consumptus. In eo tamen fœlix, quòd pacatum regnum filio reliquerit, qui paulò post de more regum Galliæ inauguratus, Franciscus secundus appellatur. Filia deinde in Hispaniam ad Philippum, qui classe post soceri casum in Hispaniam se contulerat, adducta est, magnáque totius Hispaniæ lætitia accepta, vt pote quæ tam exoptatam pacem attulisset. Philippus autem à Belgia discedens Margaritam sororem suam, Octauij Farnesii vxorem, toti Belgarum Flandrorũqúe prouinciæ præfecit. Regem est secutus Paulus quartus pontifex. nam decimoquinto calẽdas decembris Romæ vitam cum morte commutauit. In eius locum Cardinales, post quatuor mensium de nouo pontifice eligendo certamen, tandem quarto nonas Ianuarij anni sequentis Ioannem Angelum Medicem Mediolanensem suffecerunt, qui se Pium quartum appellauit. Eadem etiam æstate qua rex Galliæ est mortuus Hercules quoque Estensis Ferrariensium dux, cum iter in Galliam adornaret, ardenti febre absumptus est, relicto hærede filio Alphonso. Huius in matrimonio erat Cosmi Hetruriæ magni principis filia. Autumno sequenti etiam Isabella regina Vngariæ obijt, Stephano filio Transyluano relicto. Eodem ferè tempore etiam Ioannes Homedes Melitensium princeps decessit, atque Claudius de Sengle 47 princeps ab ordinis equitibus magna gratulatione substitutus fuit.

Melitensium in Africam expeditio.

Cum hoc modo Christianis pax constitura esset, Melitenses apud Pontificem & Philippum regem diligenter egerunt, vt expeditio in Africam susciperetur, ad Tripolim portum & oppidum, diu à Ioannitis defensum, recuperandum. Illud enim Dragutus Turca ante nouem annos Christianis eripuerat. quin & Meningen insulam (quæ & Gerbi dicitur) quæ Carnano Maurorum regi pertinebat magna nostrorum iactura in suam potestatem redegerat. Itaque Philippus mense septembri Anni 1559 ingentem classem illico parari iussit, vt eodem mense in Sicilia conuenirent, & recta per Melitã in hostes proficiscerentur. Illis sese quoq; Romani põtificis, Hetruriæ principis, atq; ordinis Melitensis, auxilia cum multis alijs ex varijs Christianorum prouincijs uiris fortissimis coniunxerunt, ita vt circiter centum triremes & nauigia conuenirent, Andrea Gonzaga duce existente primario. Cum autem naues tardius conuenirent, princeps de Medinacœli cum parte copiarum Melitam antecessit, atque in portu Marzanugeto cæteros expectauit, donec tandem sub eius anni finem maiores naues quoque eò deuenirent. Dum autem ibidem vernales ventos expectarent, multi militum morbo consumpti sunt. Tandem tempestate commoda orta belli duces deliberant, vtrum recta Tripolis aut Meninge

ninge insula petenda? Melitenses censebant Tripolim obsidendam, idque celerri- 1560
me antequam Dragutus eo peruenire atq; milite & commeatu munire posset. Alij
verò Meningem Insulam inuadendam, quæ omnium rerum copia exercitum ale-
re, atq; tutum receptum à Barbaris in omni periculo dare possit. Indeque oppor-
no tempore Tripolim petendam. Id quod maiori parte in fælici consilio placuit. I-
taque in februario sequentis anni Melita soluerunt & recta Meningam versus cur
sum intenderunt. Interea Dragutus octingentis Turcis lanizeris Tripolim perue-
nit, atq; vrbem propugnaculis, commeatu, & milite egregiè muniuit. Byzantium
etiam nuntios ablegauit, atq; Solymanno de Christiana classe in Africa nuntiauit.
Nostri verò Meningem appulsi cum Barbaris Mauris decertarunt, atq; hoste fuga
to in insulam descenderunt. Insula illa nõ procul à littore distat, atq; paludibus pas-
sim repleta est. caret autem aliis fluminibus, atq; in medio monrosa existit. Habitãt
ibi ad triginta millia hominum vili vestitu in humilimis casis. Est autem satis fru-
ctifera, ita vt Dactylos, olivas, hordeum, milium & eiusmodi proferat. omnes Bar-
bari existunt auari & libidinosi, qui multarum mulierũ conuersatione delectant.

Eam insulam cum Christiani intrassent Caruanum regem ad se vocarunt, vt cum *Meninges in-*
eo de belli summa deliberarent. Interim arcem eius Insulæ munitam octo mil- *sula à nostris*
libus peditum obsidere, & tormentis maioribus muros concutere statuerunt. *oppugnata.*
Præibant Hispani, secundo loco Germani, & Itali sequebantur. Illi in itinere
Maurorum decem millia nostris insidias tendentia intra syluam deprehenderunt.
Eos ergo aggressi ad septingentos occiderunt, alios in fugam conuerterunt. Po-
stea pergentes ad arcem venerunt, atque arcta obsidione cinxerunt. Præfectus
eius loci cum videret se hosti resistere non posse, cum Turcis aufugit, & ar-
cem Mauris defendendam reliquit. Verum illi deditionem fecerunt, incolumi-
tatem pacti. hácq; ratione locus ille munitus in Philippi regis Hispaniæ potestatem
peruenit. vbi etiam Varona & Hieronymus dellacerda cum suis cohortibus præ-
sidij causa permanserunt. Dum hęc fierent Rex Caruanus in nostrorum castra per-
uenit atq; cum belli duce colloquium habuit. Erat veneranda canitie conspicuus
& Maurorum habitu alba linea indutus. Aderat quoq; Tunetani regis filius. sede-
bat rex in terra atq; differebat qua ratione Turcæ ex Africa pellerẽtur. Cum autem
eorum sermones protraherentur nauicula illico aduenit, atq; significauit Bassam
Piali ingenti classe octoginta quinq; triremium aduentare, atq; hinc inde plures ad
illum accedere. Id quod nostros meritò in tanta militum penuria terruit. Nihilomi
nus tamen nouam arcem propugnaculis instruebant, atq; cum Insulæ primario cõ
ueniebant. Is Draguti signa deiecerat & in eorũ locum Hispani substituerat. Pro-
miserat quoq; sese quotannis sex millia coronatorum, Camelum, quatuor struthio-
nes, quatuor accipitres minores, quos Nisos vocant, & quatuor cæruleos falcones
tributi nomine (sicut prius Draguto) regi Hispaniarum persoluturum.

Nono die Maij ordinis Iohannitarum Magister alia nauicula significauit Turci *Christiano-*
cam classem in propinquo esse, & iam ex Gozo insula recessisse, cum aliquot milli- *rum clades.*
bus lanizaris & Asappis optimè instructis. Itaq; vela colligerent atq; sese ad tutio-
ra loca, aut ad se Melitam reciperent, ne Christiani ex improuiso damnum aliquod
paterentur. Itaq; Iohannes Andreas Auria Ghimeranum ad ducem misit, eumque
orauit, vt illicò se in naues conferret, quo ante Turcarum aduentum retrocederẽt.
Verum is ad arcem perseuerabat. Nam Christiani ibi quatuor propugnacula prius
erexerant, atque vnam Auriam, secũdam Gonzagam, tertiam Viceregem, & quar
tam Ordinem Ioannitarum denominarant, cum arx ipsa Philippalcazer diceretur.
Præterea puteos & cisternas effoderant, pro aqua tempore necessitatis colligen-
da. Itaque dux sperabat & classem & arcem conseruari posse. Cum autem Tur-
carum ingentem classem sequenti die conspiceret, cum Auria discedere statu-
it. Verum bis ventorum occursu ad portum redire cogebantur, ita vt vterque
vix tandem in arcem incolumes peruenirent. Turcis autem erat ventus secundus,

qui il-

1560 qui illos celeriter ad insulam impellebat. priori tamen nocte maior pars nauium cum quatuordecim triremibus discesserant. In mense quoque Aprili Iohannitarum princeps suas triremes auocarat, quibus prorex Siciliæ etiam alias decem addiderat, vt maritima loca Siciliæ defenderent. Interea Turcæ appropinquant, ac tormenta in nostros exonerant. Mox etiam decem naues immobiles ad littus sub arce existentes in potestatem redigunt, deinde etiam alias naues, licet nostri aliquandiu fortiter resisterent. Sequenti nocte Vicerex & Auria duabus nauiculis ex insula Melitam effugerunt. Rex quoq; Caruanus cum principe Tunetano ad tutiora Africæ loca se receperant. Inde Vicerex in Siciliam rediit, & Insulam contra hostes muniuit. Aurias autem dissipatas naues hinc inde in mari collegit. Ea tamen expeditione nostris septendecim triremes & magna pars nauium interierunt.

Turcæ insula Meninge potiti.

Erat in arce Aluarus cum quinque millibus peditum ex Germanis, Italis, & Hispanis, præterea mille alij belli penitus expertes. Itaque cum Turcæ arcem 17 Maij obsiderent, Aluarus egregiè restitit, atque aliquoties Turcarum impetus repressit. Postea quoq; Dragutus accessit, atque quindecim maioribus tormentis munitiones concussit, quæ Tripoli secum aduexerat. Habebant nostri in arce quadraginta tormenta minora & mediocria, quibus plurimos Turcarum & Maurorum prostrarunt. Aliquoties etiam eruptione facta cum hoste decertarunt, ac multis occisis & vulneratis in arcem redierunt. Cum hoc modo per duos menses obsidionem pertulissent, Turcæ omnes fontes, puteos, & cisternas sustulerunt, atque terra replerunt, ita vt in summa æstate siti milites deficerent. Barbari etiam subinde cuniculos agebant, atq; propinquius ad arcem aggeres erigebant. Nostri aliquandiu marinas aquas distillarant, atque eius salsedinem aufferentes dulces reddiderant. Verum lignorum materia deficiente, etiam id eis ereptum fuit. Eam necessitatem cum Aluarus sensisset, cum quibusdam alijs triremem ad arcem consistentem noctu ascendit, atq; effugere tentauit. Verum à Turcis intercepti fuerunt. Hac ratione factum vt milites qui vel morbis vel gladio supererant deditionem fecerint, qui vita donati in miseram seruitutem abducti sunt. In hoc bello circiter octodecim millia hominum, morbis absumpti, aut aquis submersi, aut armis & tormentis occisi fuerunt, quorum multi etiam ægroti & vulnerati ab eius loci incolis trucidati sunt. Illi tamen omnes pro Christianæ fidei defensione fortiter occubuerunt, præsertim cum ante tres menses pontifex ipsis literas indulgentiæ ac peccatorum remissionem transmisisset. Eodem etiam Anno 1560 Andreas Auria classis præfectus 25 Nouēb. obijt ætatis suæ 94. Cum hanc insignem cladem Christiani accepissent, Sariffus rex Marocus Africæ quoq; Christianos inuadere atq; regni fines dilatare proposuit. Itaq; filium suum ingenti exercitu in regionem Mazauagensem misit vt eam occuparet. Sita est regio illa in littore Africano versus Oceanum orientalem, atq; Lusitaniæ aut Portugaliæ regem suum principem agnoscit. Cum autem munitiora regionis loca à Lusitanis fortiter defenderentur, atq; Barbari nihil efficerent, tandem multorum cæde in die Ascensionis domini Anno 1561 à nostris prælio victi ad propria loca redire coacti fuerunt.

Maximilianus Cæsar electus.

Ab ea expeditione Christiani aliquandiu quieuerunt, & à tot diuturnis bellis animum recrearunt. Verum paulo post Anno 61 Franciscus Galliæ rex obijt, & Carolus 9 eius frater successit, sub quo ciuilia bella diuturna religionis causa excitata fuerunt, id quod Melitensium ordini in Barbaris profligendis plurimum obfuit. præsertim cum in Maio eiusdem anni Turcæ litora Italiæ & Melitensium inuaserint, & aliquot homines secum abduxerint. Cum etiam Philippus aliam classem contra Barbaros instruxisset 18 Nouemb. Anno 1562 Naufragium passa est ita vt 25 triremes cū Mendoza præfecto submersæ fuerint. Ferdinandus quoq; Cæsar indutijs cū Turca pactis Germanorū principes inuicē recōciliauit, ac ab omnib. instar patris cultus & obseruatus fuit. Cū aūt is laboríb. & ætate cōfectus esset, circūspicere cœpit de rege Romanorū eligendo, qui post eius obitum absque Germaniæ tumultu Imperator constitueretur. Itaque cum Germaniæ electoribus ea de re agere cœpit,

cœpit, atque Maximilianum filium Bohemiæ regem, pacis & iustitiæ amantissimum principem, proposuit. Hac ratione factum vt Franckofurti Comitia instituerit electorum principum, vt aliquid certi ea de re statueretur. Illi cum frequentes ibidem comparuissent, atque res in deliberationem venisset, tandem vnanimi consensu propter plurimas & grauissimas causas Maximilianus Imperatoris filius 24 nouembris Anni 1563 rex Romanorum electus, & magna solennitate coronatus fuit. Sequenti etiam anno 8 septemb. Possonij rex Vngariæ inauguratus. 1563

In illis Comitijs Franckforti 23 octob. Ebraimus Stroschenius Solymanni legatus 29 equis & 6 camelis comparuit, & pacem cum Ferdinando Imperatore ad aliquot annos confirmauit. Is in consessum post aliquot dies admissus Sclauonica lingua longam orationem habuit, atq; Christianis pacem suasit. Conditiones erant vt captiui Christiani & Turcæ vtrinque liberarentur: vt Ferdinandus annuatim triginta millia ducatorum Vngaricorum Turcæ penderet: vtque Stephanus Ioannis regis filius cum suis in hac pace comprehenderetur. Solymannus eam pacem iuramento scripto affirmabat. Postea legatus Imperatori nostro sui domini munera offerebat, duo pocula Christallina cum gemmis decorata, præterea quatuor camelos, & equum Turcicum auro & margaritis egregiè exornatum. Tandem Ebraimus Ferdinando & Maximiliano eius filio gratulatus ac optima quæq; precatus est. Verum pax illa non fuit diuturna. nam statim post biennium mortuo Ferdinando præfecti Vngarici turbas excitarunt, atque loca quædam munita contra pacis formulam occuparunt. Rebus fœliciter pactis Ferdinandus Imperator per Rhenum ascendens octauo die Ianuarij Basileam peruenit, atq; à Magistratu summa liberalitate & hilaritate exceptus fuit. Eodem tempore Huldricus Vveinbergerus Imperatoris consiliarius atq; Cameræ Austriacæ secrearius per biduum apud me diuertit, atq; primò ad Imperatorem aditum patefecit. id quod mihi in proximis Augustanis comitijs apud Maximilianum plurimum profuit. Postea Imperator in Sueuiam & Rhetiam peruenit, ac tandem per Bauariam descendens Viennam rediit. Habebant tum Dani cum Suecis bellum grauissimum, ita vt Dani hostes 9 die Nouembr. insigni prælio ad Helmstadium superarint, magna Imperatoris perturbatione. Cum autem sequenti 1564 anno ætatis 60 in festo S. Iacobi ex hac vita migraret, Maximilianus Cæsar successit, atq; merito Imperator Augustus salutatus ab Imperij Electoribus fuit, magna omnium principum & ciuitatum Germaniæ gratulatione. *Turcarum legati Francofurti.*

Eodem tempore Hispani ac Melitenses Africam inuaserunt, & ad oram arcem munitam Peuold Vrletz die 6 septembris summa fortitudine occuparunt multis Barbarorum trucidatis, ita vt præda onusti domum victores reuersi fuerint. Maximilianus quoq; Imperator præter expectationem cum Turca in Transyluania bellum habuit. Nam Melchior Balassus eius præfectus aliquot oppida in finibus eius prouinciæ occuparat. Hac iniuria rex eius loci cõmotus, Sackmarum obsedit Cæsarianæ ditionis, quod tamen Balassus ex Imperatoris beneficentia potiebatur. Id etiam oppidum Vayuodani ex improuiso adorti vnà cum eius vxore & liberis interceperunt. Balassus vt contumeliam vlcisceretur, Debrezinnum celebre Pannoniæ oppidum eius ditionis diripuit & incendit. Mox etiam Transyluani expugnarunt oppidum Hadad, eorúmq; copiæ augebant. nam Solymannus supra quatuor millia Turcarũ, & Moldaui tria millia ad eos miserant, ita vt Vngaris adiũctis plurima damna Cæsarianis inferebant. Inde oppidum Vngar obsederũt & oppugnarunt, cui Burgstalerus cum Germanis præerat. Illi ita mœnia tutati sunt, vt ex hostibus 400 ceciderint, ex Cæsarianis verò 40. Eo peracto Cæsar duo millia peditum conscripsit, & Cassouiam petere iussit. Hos duo peditum signa sclopetariorum subsecuta, atque quadringenti Silesii equites. Hisce omnibus Lazarus Suendius vir strenuus dux assignatus, quem peditum duæ cohortes cum octo æneis tormentis in castra deduxerunt. Cum hac ratione plures coirent, atque Suendius supra octo millia instructorum militum in promptu haberet, Tokayum munitum *Transyluanicum bellũ.*

castel-

1564 castellum in finibus Vngariæ obsidere statuit, atq; Anno 1565 nonis Februarij oppugnauit. opportunè autem tunc accidit, vt magna glacie Bodrogus & Tybiscus flumina quibus alluitur fortiter rigerent. Itaq; impetu facto Ducem glande traiecerunt, atq; præsidiarios ad deditionem compulerunt. Postea quoq; nostri oppidum Erdeud ditissimum expugnarunt. Statuerant quidem Barbari Transyluanis succurrere, atq; eorum magna manus ad Budam conuenerat. sed quia post hyemem magnæ aquarum inundationes erant, ad eosdem celeriter peruenire non poterant.

Lazari Suendij successus.

Proposuerat Solymannus Transyluanum iuuare, & in Pannoniam primo vere proficisci. nihilominus vt Cæsarem falleret, & in proposito impediret Marcum Cibinienſem Transyluanum, qui ad Mahometis sacra defecerat, legatum ad eum misit, vt ad pacem hortaretur. Idem Vayuodus & rex Poloniæ fecerant. Verum Suendius Cæsarem per internuntios admonuit, pacem verbis, & re bellum denunciari, eáq; astu fieri, quo postea imparatus armis opprimeretur. Nihilominus Cæsar ne à transigendæ pacis negotio alienus esse videretur artium præfectis iniũxit, ne quisquam eorum hostem iniuria afficeret, quòd tamen ab ipso non seruabatur. dum enim Viennæ de pace ageretur, iuxta Iulam plurimæ incursiones fiebant, ita vt Tesmaruensis præfectus & sex millia militum cum tormentis eò deuenerit. Ad Transyluaniam quoq; indies maior numerus Turcarum confluxit, vt iustus exercitus esse videretur. Dum hæc fierent nostri prope Sigethum eruptione facta ducentos Rascianos interfecerunt. sed in reditu Turcæ superuenêre, & magna strage nostros affecerunt, vt ex sexcentis pauci euaserint. Erat tum Nicolaus Strinius præfectus apud Cæsarem. Suendius verò interea Sackmarum à Transyluanis accensum omni studio ob loci situm reficiebat. Cum etiam Turcæ munimenti restaurationem impedire conarentur, Germani summa celeritate illos adorti in fugam compulerunt, & septem signis ademptis in castra retulerunt. Postea præsidio ibi relicto Suendius Cassouiam contendit, vt quæ ad bellum sustinendum necessaria essent compararet. Ibi etiam Cæsarem admonuit, nouis præsidijs opus esse. Itaq; breui quinq; cohortes peditum, Ioanne Vvernhero à Reytnauu duce, ad eum transmissi, cum aliquot maximis tormentis muralibus.

Erdeum à Turcis occupatum.

Sub Calend. Iunij Transyluanici oppidum Erdeum, prius à Cæsarianis occupatum & munitum, grauiter obsederunt, prolatisq; tormentis, & scalis admotis iam sibi aditum sperabant. At loci propugnatores ita aduersarios reiecerunt, vt præter vulneratos diuersis vicibus ad octingentos trucidarint, atq; oppido egressi duo maiora tormenta interceperint. Hostis tamen die noctúq; nihil intermittebat vt loco eo potiretur. præerat arci Lauenbergus alarum centurio, cui Suendius secundò trecentos equites in auxilium miserat. Vnde plurimi conflictus vtrinq; habiti, in quibus & Lauenbergus ictu tormenti grauiter vulneratus, paulo pòst interijt. Cũ hoc modo pertinacius pergerent, atq; oppidani & milites conspicerent, ob penuriam commeatus & militum, atq; ob graueolentia cadauera, nullam spem relictam qua se tueri possent, pridie nonis Augusti communi consensu deditionem fecerũt. In oppido quoq; Sakmaro miles plurimis contagiosis morbis absumi ceperat. vnde Suendius relicto ibi quinq; militum signis, iuxta Tibiscum castra posuit. Cæterum non multò post & ipse graui febre laborare cœpit, qua etiam per multos menses conflictatus est. Per idem quoq; tempus Cernouichius Byzantio rediit, à Cæsare missus vt de pacis conditionibus cum Solymanno ageret. Is retulit Turcas atrocissimum bellum parare, & prius nihil minus quàm pacem expetiuisse. Itaq; etiam Cæsar totus in eo versabatur vt bellici apparatus hinc inde in sua ditione fierent. Mox quoque Theschini in Silesia equitum & peditum delectus fuit habitus. deinde in Lætipurgo quinque signa peditum Germanorum delegit, quibus Posonij trecenti milites additi, ac in pago iuxta Iauarinum trecenti equites Vngari, qui omnes in castra missi sunt.

Bellũ in Vngaria redintegratum.

Præerat tum in Germania Ordinis Ioannitarum equitibus post Schillingũ Georgius Hochenheimius Bombastus, vir belli & pacis temporibus clarissimus, qui ante

ante 40 annos Viterbij Ioannitarum paulo antè Rhodo expulsorum ordinem su- 1565
sceperat, atq; postea Melitę multa præclarè fecerat, & arcem S. Elmo contra Turca
rum irruptionem ædificarat. Itaq; & ipse Imperij princeps confirmatus, fratres sui
ordinis adhortatus est vt Cæsari in Vngaria succurrant, atq; Turcam Tyrannũ im-
pediant, ne Germaniæ patriæ obesse queat. Itaq; Romerus cum quibusdam fratri-
bus Ioannitis, ac 40 equitibus Teuthonicis, & quinq; cohortibus peditum, armis
& rebus necessarijs optimè instructi, in Vngariam penetrarunt. Aduenerunt quo-
que sexcenti alij ex Germania equites duce Hoschirero, ac mox alij quingẽti, qui-
bus copijs collectis Adamus Gallus natione Germanus præfectus fuit. Venerunt
etiam illis diebus in Austriam Guntherus comes Schuuartzẽburgius, Othingus,
Mansfeldius, & Liechtensteinius, viri illustres & rei militaris gloria percelebres,
quos plurimi nobiles viri comitati sunt, quo Cæsari hoc in bello suam operam na-
uarent. Dum hęc fierent & Suendius ad Tibiscum castra haberet, Turci eadem per
insidias noctu aggredi statuerunt. At nostri dolum inesse conspicati, eorum consi-
lia præuerterunt. Itaq; in quoddam nemus proximũ, qua venturi putabantur, non-
nullas turmas equitum & magnam partem cohortium arcanè miserunt. Cum igit̃
Turcæ ad nostros recto itinere properarent, hi extemplò ex insidijs properantes
eis accurrerunt, rémq; ita strenuè & fæliciter gesserunt, vt insigni eos clade affice-
rent. Plurimi tamen noctis beneficio & equorum celeritate seruati sunt.

Saxones cõtra Turcam pugnant.

Per idem tempus Grassẽi equites cum centum Hungaris in mille hostes incide
rũt, & inito prælio circiter ducentos ex eis conciderunt, inter quos & præfectus
Lipensis fuit. Erant tum Saxones pugnæ auidissimi & in castris fremebant, atq; ex-
eundi facultatem petebant. verùm ob hostium insidias retenti fuerunt. Venerant il
li nuper ex Germania ducibus Gleyssenthalo & Sebottendorffio, armorũ cultu ac
equitũ ornatu omnes cõspicui. Ex his mille viginti sex Augusti electoris stipẽdio
alebantur per spacium quinq; mensium & amplius, quibus sese trecenti quinqua-
ginta adiunxerant, vetere stirpe ac bellica virtute insignes, qui proprio sumptu Cę-
sarem in ea militia secuti sunt. Turcarum castra mille tantùm passibus à Cæsarianis
distabant, & in inferiori parte Tibisci locabantur, pontémq; super flumen Samos
construxerant. Nostra verò sita erant iuxta oppidum Kizar, ad ripam fluminis in
quo erant nonnulla tuguriola, pro his qui præcipuum locum in castris habebant,
eáq; optimo & munitissimo vallo cingebantur. Interea quoq; Carolus Archidux
in Styria & locis finitimis multa præclarè & militariter peregit, suósq; vigiles con-
tra hostes habuit, qui plurimis damnis eas oras infestabant. semel autem contigit vt
nostri valida manu Turcas aggressi magnam stragem ediderint, atq; ad tria millia
trucidarint. alio in loco Turcarum quadringenti Thrinum oppidum adorti sunt.
Verùm præsidiarij erumpentes ex eis 60 interfecerunt, & 75 captiuos abduxerũt.
Etsi autem vtrinq; infensis animis certabatur, Viennæ tamen adhuc pacis consilia,
agitabantur, eóq; multi Pannoniæ proceres accersiti fuerant, qui de pacis cõditio-
nibus transigerent. Verùm Suendius, cui omnia de pace suspecta erant, Cæsarem
subinde de nouis copijs reliquóq; militari præsidio admonebat, eũq; hortabat̃, ne
hosti fideret, cũ certò cõstaret ipsum omnia dolo agere, & p̃ter bellũ nihil meditari.

Alba Regalis ferè à nostris intercepta.

Accidit circa autumnum quod Eccius à Salma vir illustris & strenuus lauarino
(quòd nostri Rabum vocant) cum suis cohortibus egressus, versus Albam Regalẽ
proficiscerẽt, octo miliaribus distantẽ, haud modica spe vrbis potiundi. Ad eum e-
tiam ex Possonio plurimi equites missi, cum maioribus tormentis & scalis. Tũ ve-
ro vrbs præsidijs erat destituta, atq; nostri cum ludice vrbis conuenerant, qui ipsis
vxorem & liberos obsides dederant. Conuenerat inter illos, vt proxima luce, cum
greges de more exigerentur, Salmensis per turmas dispositas ad portas vrbis
armentis occurreret. At Cæsaris mandatum hæc consilia disiecit. Nuncius enim
cùm literis ad Salmam aduolarat, quibus ex ipsius præscripto quamprimùm illinc
suas copias abducere & lauarinum reuerti iubebatur: Eccius Cæsaris voluntate co
gnita paruit, ac re infecta domum redijt, ingenti omnium mœrore, qui se illi comi-

1565 tes addiderant. Iudex autem cum nostros non ad oppidum aduentare conspiceret, illico sibi fuga consuluit. Turcæ vero re cognita atrocibus pœnis in eos sæuierunt, qui cum hoste conuenerant, atq; quadraginta palis & ferreis vncis sustulerũt. Ideo hoc Cæsar præceperat, quia Viennæ nõ sine magna spe de pace agebatur, ipseque paulo ante Georgium Hossutotum virum prudentem ea de re ad Solymannum legarat. Ob id etiam edicto sanxerat, ne quis hostem noua iniuria lacesseret, sed tantum vim illatam repelleret. Dum hæc fierent equites Saxonici ab electore domum reuocati, discesserunt ex Suendij castris, vt eorum opera in sua ditione vteretur. Cæsar etiam plurimos alios centuriones & milites qui ex Germania venerant domũ remisit, qui tamen in illis partibus mox auidissimè desiderabantur, cũ denuo Mars sæuiret, & vires aduersariorum nouis copijs augerentur.

Spes pacis in Vngaria sublata.

Paulo pòst Turcæ Neostadium accesserunt, & statim oppugnarunt. Huic præerat Gleysmũlnerus, qui cum se imparem videret, incolumitatem cũ hoste pactus sese dedidit. Hunc locũ postea nostri recuperarũt. Eodem quoq; tempore Turca ad oppidum Sigethum captus fuit, qui eò venerat vt loci situm exploraret, & ante tredecim dies Byzantio discesserat: is ad Carolum principẽ perductus pro certo affirmabat, Turcarũ regẽ in Pannoniã venturũ, ad Sigethum & Iulium obsidendũ, integrũ exercitum dicebat supra quadringenta millia virorum futurũ, præter illos qui ad remiges cõparabantur. Eccius etiã Comes quosdam speculatores intercepit, & Solymanni aduentũ ad proximũ annũ in hanc prouinciã certò intellexit. Inter illos erat Scaphir Vayda præsidis Budani cõsiliarius præcipuus. Quocirca ex his liquidò patebat frustra amplius de pace aut inducijs cogitari, quin potius aperta futuri belli signa conspiciebantur. Tum etiã Agricolis, qui annuos census nostris ac Turcis pſoluebant, seuerè iniunctum ne Cæsarianis quicquã in posterũ præberent. Iuxta oppidũ quoq; Pupa octoginta milites fuerũt abducti, q̃ Cæsari inseruiebãt. Propè Iauarinũ quoq; & aliã loca Pãnoniæ Turcæ populabundi excurrebant, & indigenas magnis detrimẽtis afficiebant, vt cuiuis appareret eorũ odiũ ac sæuitiã indies in nostros augescere. Id cũ Cęsar multorũ literis p̃cepit, Iauarinũ prę̃sidijs firmauit, & ibi militares copias recensuit, atq; Sigethũ auxilia transmisit. Cæterũ cum videret hæc contra Solymanni potentiam parũ sufficere, more maiorum ad vires Imperij confugere, atq; in proximum annum Comitia Augustæ celebrare statuit.

Solymanni apparatus contra Ioannitas.

Eodem etiã 1565 anno Solymannus statuit Ioannitarũ sacrũ ordinẽ in Melitensi insula oppugnare, & funditus delere. Illi em̃ p̃fessioni suę satisfaciẽtes omnib. Turcis nocebãt, maria p̃currebãt, atq; in omnib. bellis, quę varia Imperatores aut reges Christiani aduersus Turcas suscipiebãt, suas vires cõiungebãt, ita vt passim Barbaris plurima dãna darẽt. quibus rebus Solymannus animo angi, fremere, & Melitẽses eqtes intẽtus obseruare, moliriq; qua ratiõe eos toto mari pellere & exterminare penitus posset. Itaq; quãtã posset maximã classẽ exornare cœpit, suisq; maritimorũ locorũ præfectis idẽ facerent, imp̃auit. Mox etiã conuocatis Bassis & præfectis suis, quorũ circiter sexaginta cõuenerãt, sic eos allocutus est: Quod p̃ hosce quadraginta annos semp̃ optaui, vt mihi à cæteris bellis tantũ ocij daret, quo istos Cruciatos (qui se Christianorum p̃pugnaculũ esse gloriantur) è suis nidulis ejcerẽ, id mihi videor hoc tempore Dei & Mahometis erga nos fauore consecutus. Nam & Persarum conatus sic repressimus, vt nos impedire nequeãt. Et in Pannonia, vnde aliqui motus metuendi ferebant, ea nos ipsi breui agitabimus, quę hostẽ nostrum in intimam Germaniam sese alidere pacémq; à nobis petere sint compulsura. Vos ipsi nostrorũ hominum ac negociatorũ quærelas quotidie auditis, quos Melitẽses illi Cruciferi rapiũt & spoliant, quorum iniurias aliquando vlcisci nos omnia iura compellũt. neq; mihi aliquid gratius atq; ad nominis nostri gloriam aptius contingere põt, quã si hęc duo ante obitũ perficerẽ, vt Melitam capiã, & res in Pannonia cõstituã. Nisi fortè q̃s existimet nobis difficilius esse Cruciatos hos ex Melitẽsi scopulo deturbare, quã vel maiorib. nostris Hierosolyma totáq; Syria, vel nobis ipsis ex insula Rhodo depellere ac p̃pulsare. At hæc propior est Italiæ, vnde auxilia submitti & classe defendi possit? Mihi credite, nunquam nobiscum mari cõfligere, qui toties

toties se victos fuisse meminerint, audebunt, præsidia verò locus tam angustus ma 1565
gna nec capere nec alere queat. Ad hanc ergo expeditionem, classem potentissimã hoc vere mittere statuimus, & iam vniuersis Nauarchis vti instructi cum suis copiis adsint imperauimus. Aderit Algerij rex: Alexandrina præsidia in promptu sunt. Draguti quoque instructa nauigia, nostra vel me procurante exornantur. Huic classi cunctas occidentis vires cessuras non dubitamus. id quod Dei & Mahometis magni ope, vestráque duces nota virtute freti dicimus. Iam illud modo reliquum, vt de belli gerendi ratione nobiscum singuli cogitetis, vestráque consilia ad me referatis. quod vt melius facere possitis en vobis totius insulæ situm, munitionumque designationem in hac tabula exhibeo, quam à certissimis & peritissimis accepimus. Audita Solymanni oratione, reque diligenter deliberata, decretum est vt primo quoq; tempore nauigarent. Comeatibus igitur alijsque quæ militibus vsui forent maturè comparatis, ventos expectabant.

Valetæ principis ad suos oratio.

Erat tum Ioannes de Valleta Gallus 48 sacri ordinis princeps, qui superiori anno Claudio defuncto communibus suffragijs successerat. Is per homines idoneos (quos semper Bizantij habebat, qui ipsum de consilijs & actionibus Solymanni certiorem redderent) huiusmodi apparatum intelligens, nequaquam est territus, præsertim cum cogitaret victoriam à Deo pendere, itaq; ad ea comparanda animũ adiecit, quæ forent tantis viribus repellendis necessaria. Ac primum suis ad Concilium vocatis, sic locutus est. Quid Solymannus paret, fortissimi fratres, quantum in nos bellum moliatur, vos ipsi mecum cognoscitis, ita vt non opus sit longiori ad vos oratione. Notus hostis, nota imperandi libido, notæ vires, notum eius in nos Christianúmq; nomen odium sempiternum. In illud potius mihi quisq; intendat animũ, vt ante omnia Deũ nobis conciliemus, dein quæ ad bellũ opportuna videntur omnia comparemus. Porro vt Deũ cõciliemus duo à nobis pręstãda sunt. quorum vnum in vitæ sanctimonia, alterum in eius cultu & firma spe præsidij, quæ pietas dicitur, consistit. His maiores nostri innumeris aduersis Barbaros in oriente victorijs potiti sunt. nec dubium quin si nos pariter erimus comparati, huius tyranni vires conatúmq; simus illusuri. Verum quoniam Deus vigilantibus adesse solet, ijs ea præsidia adiungamus, quæ & nostra professio & belli ratio postulat. ea partim in nobis, partim in Christianis principibus posita sunt. Nam commeatus, stipendia, arma, cæteráq; quæ belli vsus poscit sic parabimus, vt nemo nos sumptib. aut labori pepercisse queri possit. Omnia profundam, nec vitæ cupiditate vllum periculum defugiam. Quod ad principes attinet, mihi persuadere nequeo illos, in tanta rei gerendæ occasione, tantóq; omnium periculo esse cessaturos. Equidem singulos hortabor literis. & nuncijs excitabo. In pontifice quidem maximo, in Cæsare, ac Hispaniæ rege abundè satis præsidij nos habituros esse non ambigo. Hi & cæteros commouebunt. Vos autem, Equites, certum habeo sic pro Christi religione, pro salute, fortunisq; omnibus contra Tyrannum dimicaturos, vt nostræ glorioſæ crucis acumina sit vel in ipsa vrbe Byzantij sensurus. Neq; enim iam res in insula Rhodo procul à nostrorum auxilijs, ab Asia, Europa, ab Aegypto terra mariq; hostibus septi, rem geremus, sed in Italię & Hispanię oculis, in locis munitissimis, vnde hostis facilè circũueniri poterit. Quod vt fiat, Deũ opt. max. precari & implorare debemus.

Melitensium alacritas ad Turcas excipiendos.

Hæc vbi princeps dixisset, qui aderant equites omnes, se potius vitam, quàm vt causæ communi desint, aut in Solymanni potestatem veniant, amissuros, vno ore promiserunt. Post preces votáq; ad omnia insulæ templa decreta, ex Equitum ordine tres Tribuni delecti, vnus Italus cognomento Imperator, & Borneus natione Gallus, & Quatruis Tarraconensis, viri cauti & belli inprimis gnari, qui quæ bello opportuna censerent, cuncta sedulò pararent. Ab his igitur ædificia suburbana, & arbores quæ locis munitis impedimento esse possint deiecta, munitiões inspectę, confirmata præsidia, commeatuum omnis generis quanta maxima potuit copia distributa. A magno etiam Magistro literæ ad pontificem & cæteros principes datę, nuncij in varia loca dimissi, qui cùm alios, tum equites Melitenses de toto negocio

certiores facerent. Per eos dies Garzias Toletanus qui pro Hispaniæ rege Philippo Siciliã administrabat, regięq; classi præerat, veritus ne Solymãni classis p speciẽ Melitẽsis expeditionis Guletã arcẽ, in Tunetani stagni faucib. sitam, peteret, ad eã prę sidio atq; alijs rebus necessarijs confirmandã traiecit, & in itinere Melitã accessit, vt cũ ordinis Magistro de ratione belli ageret. Sed cum accepissent Solymanni classem iam Byzantio soluisse, nõ tam diu simul, quàm rei grauitas postulasset, esse potuerunt. Itaq; Garzias ad Guletam profectus, & ea confirmata, maturè se in Siciliam recepit, vbi classi & ipse exornandæ operam dedit.

Turcarũ ingens classis Melitam venit.

Solymanni classis 23 die Martij Cõstantinopoli è portu profecta, Pelopõnesum versus cursum direxit, Methonémq; puenit. Ibi Mustapha annos 75 natus terrestriũ copiarum ductor exercitum recensuit. Censa autem ex Asia minore equitum, qui Spachi dicuntur, septem millia, quibus præerat eiusdẽ prouinciæ prę fectus, cũ duobus legatis: ex Cilicia quingenti: ex Lesbo insula quadringenti. Habuit præterea prætorianorũ, quos Ianizeros appellãt, quatuor millia quingentos, quos bini ab ipso Solymãno tribuni electi ductabant. nam horũ præfectus, qui Aga vocaẽ, ab vrbe nunquã discedit. Ad hoc, est genus hominũ apud Turcas, qui è templorum fructibus viuunt, quorum tredecim millia in exercitu fuerunt. qui se Byzantij pro lege patria deuouerant. Conuenerãt ex Thracia & Pelopõneso præfecti duo & legatus vnus cum mille ducentis equitibus, cúmq; tribus millibus & quingentis ex varijs locis voluntarijs. Ibidem quoq; Pial rei maritimæ præfectus censum nauiũ habuit, reperitq; triremes centum & triginta, naues minores onerarias vndecim, & totidem maiores, præter eam quæ prope Methonem fracta est, in qua fuere pulueris sulphurei cadorum sex millia, pilarum tredecim millia, & spachi sexcẽti, ex quibus vix ducenti euaserunt. Decem præterea ex Rhodo triremes, sub Halisporti hominis septuagenarij imperio: binæ Mitileneæ Salacho Algerij regis recens mortui fratre præfecto. itémq; biremes, aliáq; piratica nauigia circiter septendecim. Hac valida classe Turcæ 13 Maij Methone profecti, & 18 ad Melitam appulsi, portum cepêre in ea insulæ parte quæ Orientem hybernum spectat, quem Marzasiroccũ vocant. Sed cum ibi se non satis tutos cernerent, in alium locum qui Maiarus appellatur se receperunt. Nondum Draguta venerat, qui ad insulam Gerbas existens Tunetano regi ænea quatuor tormenta & alia quædam dono miserat, ne se bello huic immiscereť, sed ex pacto Turcas certo commeatu iuuaret.

Ioannitarũ in Insula copiæ.

Interea Magister equitum vir acri ingenio consilia hostium & itinera explorare, & in omnes partes intentus vigilare. In equitibus autem & reliquis militibus summa erat constantia & alacritas. Erant in insula mille trecenti milites stipendia facientes. Mille item socij nauales ex Equitum classe, & quingenti in Angeli oppido. Incolarum vero ad quinq; millia, qui se ex agris in vrbẽ receperant, rei bellicę haud imperiti. Quingenti præterea sacræ militiæ Equites, præter sacerdotes & armigeros. nam tria hæc genera sunt eorum, qui in hoc ordine Fratres dicuntur. Hi arces & oppida S. Elmi, Angeli, & Michaelis tuebantur. In vrbe autem Melita ducenti milites erant impositi, ac totidem ciues, & quadringenti ex tota insula delecti. eqs merentes trecenti. Hisce Ioannes Vagno à Moncalerio præerat. Aderãt quoque affatim commeatus, arma, tela, & omnia quæ diuturnæ obsidioni, bellóq; multarũ rerum egenti vsui esse solẽt. atq; quod in his est maximum Inuictus animus, qui ex victis sæpè victores efficit. His rebus paratis Gyon Ioannitarum classis præfectus, vir impiger & fortis, cum sclopetarijs quinquaginta hosti in littus descendenti obuiam procedit, quo eum in aperta loca eliceret. Verum illi se illico ad naues recepe runt. Ab altera autem parte, vbi classis maior erat, ducẽti è nauibus emissi, obuiam habuerunt Riueriam Gallum, cum octo aliis equitibus, qui interfecto equo, & vno ex socijs amisso, viuus in manus hostium peruenit, reliqui ad vrbem re-

Consilia Turcarũ nostris detecta.

troceſſerunt.

Dum hæc geruntur nauta quidã Illyricus Christianus è portu Marzasiroccо in vrbem Melitam profugit, qui hostium consilia patefecit. aiebat enim Mustapham

decreuiſ-

decreuisse plures in terram copias cum æneis tormentis exponere, locáq; munita 1565
obsidione cingere. verum ei rei Pialem reclamare, queriq; se in apertum exitium missum, cum vix octo Ianizerorum millia, & decem Spachorum haberet. reliquos præter socios nauales imbellem turbam esse. se quidem nihil incepturum donec Dragutus, qui in horas expectabatur, adueniisset. Tunc arcem S. Elmi oppugnandam. Iusserat enim Solymannus ne quid Draguto inconsulto agitarent. Nihilominus tamen cum vniuersa classis ad eum portum applicuisset, egressa sunt ad viginti hominum millia, atque quinque campestria tormenta è nauibus extracta. castra quoque aggere & fossa permunita. locus ille Azorbar eorum lingua dicebatur. Hoc facto Pial ipse cum septem millibus Michaelis castellum speculatum procedit, qua parte Catharinæ fanum est situm. quanquam propius accedere non est ausus, quod tormentis ex oppido peteretur. Certatum nihilominus satis acriter à Melitensibus, qua in pugna Curtelinius Prada vno Hispano comitatus tanta se virtute in hostem immisit, vt signum vnum aufferret, & Sangiacum quendam cum aliquot occideret. Itaque Turcæ in castra redierunt, & deliberarunt S. Elmi ne arcem an oppidum Michaelis oppugnare præstaret? decretumque S. Elmi arcem totis viribus oppugnandam esse. sed cum prius in montem vnde arcem speculari possent ascendissent, leue prælium commissum, in quo vtrinq; pauci desiderati.



Rebus sic paulatim procedentibus, cogitauit Valetta de ijs quæ gererentur To S. Elusi arx
letanum Siciliæ proregem, quo maturius classem pararet, esse certiorem faciendũ. obsideri ce-
Itaq; triremem vnam noctu è portu soluere iubet, atq; in Siciliam contẽdere, quæ pta.
Saluagum equitem cum mandatis veheret. Interea Turcæ vallum ad S. Elmi arcem
tormentis verberandam extruunt, vtq; naues affligerent, quæ in portu maiore sta-

1565 bant,ſicqúe ſuis in portum prorumpendi aditum patefacerent. At non diu ea munitione vti potuerunt,nam vix opus perfecerant,cũ crebris ab arce fulminibus corrupta ac deiecta fuit.quæ res Barbarorũ audaciã nonnihil repreſſit.Eo tẽpore Ochial cum ſex nauibus è præſidio Alexandrino deductis,in quibus nongenti milites erant,ad Turcarum copias acceſſerunt.Itaq; Turcæ vallum alterum loco eminentiore conſtruere, eo tria magna tormenta comportare,quibus non modo portum in quo Melitenſium naues erant,ſed & ipſam Angeli arcem principis ſedem infeſtam reddebant.atq; in hunc modum propius arcem S.Elmi foſſa & aggere acto accedere.quanquam primo id fruſtra conati,quòd ab ijs qui in arce erant impedirentur.Tamen poſt ſummis laboribus & induſtria perfecerunt.Quamobrẽ breui in eum locum tormenta,vnde arcem & Michaelis caſtellum percutere inſtituerant,collocauerunt.Erat Hiſpanus quidã nobili genere in Turcarũ caſtris ſeruus. is|cum conſilia quædam hoſtium cognouiſſet, de ijs per quendam Chriſtianum perfugam Valetam certiorẽ fecit.Eo audito princeps binas cohortes Hiſpanorum in S.Elmi arcem ire illico iubet,quas Cerda & Miranda duxerunt. Hi magno arci præſidio & hoſti detrimento fuerunt.Venit & Draguta Leptitanorum præfectus cum nauibus tredecim,& militibus mille ſexcentis.Hunc ſequutæ biremes decẽ, Hippone & Meninge militum binas cohortes deportantes.

Saluagi equitis induſtria.

Interea Saluagus Genuenſis militiæ ſacræ eques Meſſanam peruenit.is vbi de rebus Melitenſium Toletanum certiorẽ fecit,celoce Melitam redire iuſſus eſt,quẽ præſidij gratia binæ triremes haud procul Melita comitatæ,mox in Siciliam rediẽrũt.Is aũt non ſine præſenti periculo per medios hoſtes in oppidũ ſeſe tertia noctis vigilia immiſit.Iam Turcæ mutato conſilio ad aquam Marſæ caſtra fecerant, quæ res difficiliorẽ ingreſſum Saluago fecit.Expoſitis quæ à Toletano haberet mandatis,eadem nocte in Siciliam à Valeto eſt remiſſus,vt ei nunciaret maioribus copijs opus eſſe.proinde vnam aut alteram cohortem delectorum militum quamprimũ mitteret,quo ſe aduerſus tanti hoſtis vim tueri poſſet.Saluagus ergo propere ſe mari cõmittit,& breui in Syracuſanum portũ delatus binas priores triremes nactus, Melitam cum quadringentis militibus,in quibus non pauci ſacri equites erãt,mittit.addit & maiorum tormentorum peritos aliquot. ac occiduam Melite partem, vbi ab hoſte conſpici poſſent, vitarent, orientalem verò tenerent docuit. inde in Auſtrum flectentes ad littus quod Miliare dicitur naues appellerent.inde militem per depreſſos inſulæ locos noctu Melitam vrbẽ(quæ inde quater mille paſſus abeſt)ducere properarent,vnde in Michaelis caſtellum facilè tranſire poſſent. His dictis ipſe Meſſanam contendit.Ibi Toletano belli grauitatem,& defenſorum paucitatem exponit.mille ſaltem pedites petit,quibus exiſtimaret obſidionem tãtiſper poſſe ſuſtineri,donec is tota claſſe laborantibus ſubueniret.

Cruenta pugna ad S.Elmum.

Dum hæc parantur,Turcæ repentè arcem S.Elmi die 3 Iunij expugnare ſunt aggreſſi,rati ſe eam partẽ, quæ aggeri arcis vicina erat,breuioribus ſcalis poſſe ſuperare.At noſtri in foſſa munimento antea deſtituta,per quòd hoſtem à latere propellerent lignorũ faſcib.ac terra vallũ ſatis firmũ conſtruxerunt,è quo arce quoq; iuuãte acriter reſiſtere,foſſam hoſtium cadaueribus replere.Barbari multitudine vrgere,donec vi vallum obtinuerunt.quo facto tota illa parte foſſę potiti ſunt, quę portum Muſetum ſpectat.quo in loco mira celeritate ſeſe aggere muniuerant, qua in re plurimũ iuuabant,tormentis in altera Marzamuſeti fronte collocatis. eis enim tota illa pars defenſorib.nudabatur,angulus propugnaculi deprimebat,ipſiusqúe aggeris frons concutiebatur,cuius altitudo hoſti moleſta,noſtris quoq; parũ commoda erat,quod latera caua quibus defenderetur nõ haberet.Quoniam verò nox imminebat,quinque millia Barbarorũ ibi permanſere.Vnde Chriſtiani ſeſe in arcem recipere,locumqúe eum hoſtibus relinquere coacti ſunt.In ea oppugnatione ex Barbaris octingenti cæſi, partim Ianizeri partim Spachi,præter ſaucios nõ paucos,quorũ bona pars in foſſis ſemianimis remanſit.E noſtris in primo cõgreſſu circiter 45 ſunt deſiderati,inter quos ſacri equites Guardãpes Aruernus, Maſius Nar

bonen-

bonenſis, Contilius Hiſpanus, Somaia Florẽtinus, & Neinecus Germanus. vulnerati etiam aliquot, in quibus Motta centurio, qui poſt in arce ex eo vulnere eſt mortuus. Eadem nocte Magiſter equitum ducentos milites, & centum equites in arcẽ ſubmiſit, vt locũ fortiter defenderent, vna cũ quadringẽtis qui prius in arce fuerãt. 1565

Interea Valeta, qui militum inopia laborabat, vehementer mirabatur auxilia ſibi nulla ſubmitti, binas præſertim triremes, quas Saluagus propere antea miſerat. Verum illæ, nauicularij culpa, curſum ſuum vti erant iuſſæ nõ tenuerant. nam cum vitare occaſum, & in ortum inflectere deberent, in occaſum peruenerunt. quo factum vt princeps Melitenſis tam neceſſario ſubſidio caruerit, quę quidem res cum Toletano tum Saluago moleſtiſſimè accidit. Videbant enim fore ſi Barbari S. Elmi arcem occuparent, vti reliqua loca in magnum diſcrimẽ adducerentur, omnisque ad ſubueniendum aditus intercluderetur. Romę tamen tum milites ſcribebantur Pij 4 pontificis iuſſu, qui Melitam mitterentur. Nam Cambiano Ioannitarum legato centum auri libras, puluerem ſulphureum, atque alia in belli vſum neceſſaria obtulerat, vt ſui exemplo reliquos etiam principes ad ferendam opem Ioãnitis excitaret. Militibus qui ſexcenti erant Pompeius Columnam præficit. Hanc cohortem multi voluntarij ſecuti ſunt tanto ardore, vt quæuis parua mora annus videretur. Neapolim igitur profecti ibi Ioannem Andream Auriam cum nauibus longis vndecim, Populoniæ Dominum cum nouem, Lainicium Sabaudum cũ tribus, totidémq; priuatorum quorundam ſumptibus exornatas, nacti ſunt. In has naues pedites Roma venientes recepti ſunt, atq; Meſſanam vbi regia claſſis parabat tranſuecti fuerunt. Ea autem Turcæ per exploratores ſtatim perceperunt, itaq; ante omnia experiri, quàm Chriſtianorum vires augerentur, conſtituunt. nam arce S. Elmi capta reliqua ſibi faciliora promittere. primum portum Muſetum in ſuam poteſtatem vẽturam, vbi claſſem tutò habere poſſent. locum vero inter duo maria, tum ad Michaelis oppidum oppugnandum, tum ad prohibendum ne quis in portum maiorem intraret, neue ex eo emitteretur, valde opportunum. *Valetæ cura ob militum inopiam.*

Hęc Turcæ ſecũ ppendentes arcẽ quaſi fulminib. crebris verberare incipiunt, q̃ per quatuor dies facere non deſtiterunt. Nocte inſequẽte repente magna vi murũ aggrediunt, & iam ſcalis aggreſſi, ppe ſumma cepãt cũ noſtri tanta virtute eos deiciunt, vt nunquã poſt (niſi extremo cõgreſſu) ſcalas admouere ſint auſi. Dũ hæc in hac parte gerunt, Draguti milites ad Martianã ſcalã ſuperbia elati ſe contulerãt. Id noſtri vidẽtes ex Angeli oppido egreſſi ita eos excepunt, vt eorum non paucis cæſis, reliquos extẽplo in fugã coniecerint. Ex noſtris Bonnemius Gallus ſacræ militiæ eques cũ ſeptẽ alijs deſiderati ſunt. Eodẽ tempore Monſerratus in arcẽ eſt miſſus, vt Broliæ loco ibi præeſſet. is enim ex vigilijs & labore in morbũ inciderat. Idem Broliа ante ſæpius principi ſcripſerat S. Elmi arcem adeò munitam & inſtructam eſſe, vt nullo modo fieri poſſe cenſeret, q̃ in hoſtiũ poteſtatem veniret. Itaq; eqtib. & alijs q ibi erant tantũ ſuis verbis animi addiderat, vt ſupra humanas vires dimicarẽt. Nec Turcæ tanta clade reiecti animos demittere, cæterum maiore q̃ antea conatu arcem tormentis dies aliquot quatere; mox omni genere telorum & machinarum muros aggredi. nam & pontem è nauium antennis, ea latitudine vt decem viros pariter incedentes caperet, ſupra foſſam iecerant. quatérq; mille ſclopetarios circa foſſam diſpoſuerant, & claſſem omnem ad Georgij litus haud procul ab arce appulerant. cúmq; eam dies octodecim æneis tormentis tredecim millib. contortis globis laceraſſent, ac iam iam ſeſe arce potituros ſperarent, ecce Baragamus Cantaber eques Melitenſis Medranúsq; centurio Hiſpanus, cum aliquot alijs fortiſſimis viris, ad pontem accurrunt, ac ſumma admiratione Turcis ſe opponũt. Res cominus magna vi vtrinq; geritur, & iam hoſtis ſignũ Turcicum in propugnaculum extulerat quẽ dũ Medranꝰ cõprehenſum tenet, isq; ſeſe explicare nititur, vterq; glãde cõcidit. *S. Elim arx grauiter oppugnata.*

Eo tempore milites paulo ante eo tranſmiſſi magno adiumento fuere. cum enim viderent rem in tãtum diſcrimen adductum, pars cadis puluere incendiario plenis ponti ſubijcere, alij picem ſulphure & tæda mixtam ardenti in pontem mittere, *Turcarũ ingens ſtrages*

1565 alij in proximos saxa voluere, omnis generis tela ingerere, pars eminus sclopetis hostem propellere. ita pons exustus, cuius ruina ad octingentos Turcas oppressit. cæteri vulneribus confecti quoquo modo potuerunr recedunt. tum verò nostri duo vexilla iam in ipsis murorum pinnis infixa, quorum alterum Mustaphæ, alterum Draguti erat, refixerunt. At in altera parte iam Turcarum manipulus aggeris æditioris summa occuparat. quos vbi qui in Angelica arce erant vident, illico tormento se eos deiecturos rati, septem è nostris propugnatoribus in eodem aggere interfecêre. postea errorem corrigentes quatuor Turcarum præfectos, cum duodecim audacissimis militibus, maiore pila contorta discerpsere. Dum hic summis viribus pugnatur, iam Barbari fossas ad eam Elmi partem quæ Angeli arcem spectat egerant. sed nostri tectis sulphure & pice accensis, eos citò discedere coegerunt. In hunc modum Barbari ab omni parte fortiter repulsi in castra redierunt. Ex Barbaris in hac pugna ceciderunt duo millia, ex nostris ferè centum, ac totidem vulnerati fuerunt.

Valetta scribit põtifici. Eodem die Valetta, cum portum Musetum à Barbaris non tam arctè custoditi cerneret, propere celocem ex portu ad Martiam scalam trãsferri per terram iubet, quo illinc in Siciliam trajiciat. nam quanto in periculo S. Elmi arx esset, Pontificem & Toletanum per literas certiores facit, eosqûe ad auxilia maturanda hortatur. quas ad pontificem dedit tales erant: Beatissime pater, Est ita periculo propinquũ, ne veniant ij in potestatem hostium quibus do literas, vt mihi rarius scribere omni no necesse sit. Veruntamen id sanctitati vestræ significandum fuit, quòd optimus Deus suum hunc religionis ordinem in Melitæ oppugnationibus tuetur, quod in arce Elmi defendenda præcipuè apparet. nam cum intra viginti dierum spacium arx illa tredecim millia ictuum globorum ferreorum sustinuerit, facile apparuit quãti sit aduersus hostes Sanctum hoc crucis insigne. Idem cum sub crepusculum arcem acerrimè inuasissent, atque quater recẽtiores pugnatores renouassent, quod prælium ad quinque horas durauerit, tanta cum suorum clade repulsi sunt, vt plures sexcentis fuerint desiderati, veluti ex captiuis perceptum est, vulnerati multò etiam plures. Illud opus fuit sanè non humanarum virium, sed diuinę potentię, quę nobis hanc tam insignem victoriam comparauit, vt demonstraret quanti nostram religionem faceret, atque vt hoc exemplo Christiani principes alacriores fierent mittẽdis auxilijs, quod sanctitatem vestram pro sua singulari benignitate facturam esse non diffidimus. Nos interim pro viribus hostes à mœnibus repellere & propugnacula defendere, diuino adiuuante auxilio, non cessabimus, vitam etiam ipsam pro Christiana religione, si res ita tulerit, effundentes. Atque hac vna spe in tantis molestijs confirmamur, quod Sanctitatem vestram procuraturam scimus certò, non solum vt hic religionis ordo, sed etiam vniuersa regio Christiani nominis, ab his communibus omnium bonorum omnisqûe tranquillitatis hostibus sit libera. Quod vt fiat Deum optimum supplíciter rogamus, & vt sanctitati vestræ ad hoc tantum negocium accommodatæ vires suppeditentur. Melita 12. Calend. Quintil. Anno 1565. Huiusmodi etiam literas ad Toletanum misit, atque obnixè rogauit, vt auxilio ferendo festinaret.

Dragutus ad arcem S. Elmi occisus. Toletanus his literis acceptis cognitoqûe obsessæ arcis periculo, vehementer est cõmotus, seqûe classem vniuersam in Barbaros educendi cupidine teneri ostendebat. Verum quod ab Liguria & Hispania nondum supplementa nauium venissent, nec sine illis prælij fortunam periclitari consilium esset, placuit Ioannem Cardonam cum quatuor nauibus longis, in quibus duæ Melitensium equitum, propere mittere. Cardonę Roblesem castrorum magistrum cum delecta Hispanorum militum cohorte adiunxit. Vna quoque equites Melitẽses ad octoginta, qui Messanæ trajiciendi occasionem expectabant profecti sunt. qui etsi tempestate alijsq; rebus impediti serò in Melitam peruenerunt, magno tamen adiumento fuerunt. Hæ 4 naues soluerunt Messana 12 die Iunij. At Barbari haud pluris tot suorum stragem facientes quàm pecudum, obstinatis animis pugnam redintegrare, extremaq;

omnia

omnia experiri constituunt. Ac primum æneis machinis horrenda in arcem fulmina noctes atque dies iaculari. post vndique qua muri deiecti fuerant impetum face re, tanta multitudine & vi oppugnantium, vt ni omnem iam terrorem vera propugnatorum virtus è pectoribus excussisset, res ipsa fugam aut deditionem extorsisset. Grauis fuit illa vtrinque pugna. quinq; horas pugnatum est acerrimè, ac tandem Turcæ virtute nostrorum repulsi pedem referunt. nec tamen secutam noctem quietam agunt, sed tormentis ita arcem defensoribus nudari satagunt, vt nostri vix impedire possent quo minus scalis ascensum tentarent. quod ne facere tunc auderent, à nostris summo conatu prospectum est. Ex nostris ducenti eo conflictu desiderati, ex Barbaris innumerabiles. Ipse Dragutus dum & ducis & militis fortissimi munera obit, saxo caput percussus, biduo post vitam amisit. corpus eius Leptim honorificè delatum. 1565

Equitum in arce obsessorum constantia.

Hac nostrorum virtute ac facinoribus suorúmq; clade Turcarum duces magis efferati, classe vniuersa in vnum collecta, S. Elmi arcem corona circũuenire iubent, ibique consistere, eo consilio vt eam terra marique totis copijs extremũ oppugnarent, nec nouos subinde milites alios alijs submittere desisterent, donec arce potirentur. Itaque pontes, scalæ, Machinæ, arma, tela & alia quæ expugnationi vsui essent magno studio comparantur. Hæc cum Valeta ex arce Angelica cerneret, veritus (vt par erat) ne arx diutius ferre tantum furorem posset, biduo quàm Barbari extremum impetum facerent Concilium cogit, & quanto in periculo sint qui Elmi arcem defendunt ostendit, atque consilium dent hortatur, quid ad illorum salutem faciendum sit, ita tamen vt nihil à solita sanctæ militiæ virtute alienum statuatur. His auditis breues sententiæ dictæ, decretúmque quoniam arx teneri vltra non posset, vti eorum qui in ea erant saluti consulatur. ad quod quidem efficiendum duodecim nauiculæ missæ, quibus nostri exportari possent. Itaque tres equites sunt delecti qui eò nocte insequente maturarent, & arcem diligenter inspicerent. Quod si propugnatores existimarent arcem esse deserendam, aquam veneno corrumperent, & tormenta clauis configerent. Eò igitur delecti viri profecti Medina Hispanus, Rocca Gallus, & Constantinus Castriotus Italus, nec sine præsenti periculo vitæ cum sclopetis à Barbaris peterentur, militibus præsidiarijs Ordinis sententiam exposuerunt. Illi primùm Magistro & reliquis gratias agunt, quòd de sua salute sint soliciti. quod ad arcem attinet, eam quidem si eius angustiam, defensorum paucitatem, & hostium multitudinẽ spectare velint, in periculo magno versari, siquidem Turcæ sæpius pugnam iterare statuant. sed quia adhuc Dei opẽ præsentem senserint, se velle eam ad extremum vsq; spiritum tueri. Vitæ huius breuem esse cursum, gloriæ sempiternum. Hæc Magistro renunciarent, hortarentúrq; securo esset animo, sibiq; de ipsis ea promitteret quæ fortium virorum essent, eorũ præsertim qui sacræ equitum militiæ nomen dedissent. Responso eo accepto, tres equites ad Magistrum rediere. Is Concilio aduocato, quid legati cẽferent audire voluit. Castriotus censebat locum defendi posse at Rocca Gallus contrarium statuebat. Cum autẽ Hispanus Castrioto accederet, maior pars voluit vt per dies aliquot arx retineretur, ne hostis insolentia augeretur & ne ordini dedecus aliquot inureret.

S. Elmi arx à Turcis expugnata.

At Barbari in id quod statuerant intenti, 23 Iunij cũctis circa arcem terrestribus maritimisq; copijs coactis, media nocte scalas ab omni parte admouerunt, pontes vineásque agere, duobus & triginta æneis catapultis ingentes pilas contorquere; quod reliquum erat munimentorum demoliri. Nostri contrà alios deturbare, alios repellere, cædere, auidius vulnerare quàm semet tegere. vbi maior ab hoste vis fieret, ibi maxime virtutem ostendere. clamor vtrinque permixtus hortatione, lætitia, gemitu: totius prælij facies varia, incerta, fœda, & miserabilis. Eriam ventum erat ad horam diei tertiam cum anceps esset victoria. ac ni tanta fuisset æneorum fulminum vis, qua iam muros omnes ad saxum vsque in quo arx stabat deiecerant, potuissent nostri Barbarorum impetum aliquot dies sustinere. Verum nudato muris ac defensoribus saxo, & plus quadringentis interfectis

vix

1565 vix iam se aliquis ostendere poterat, quin statim discerperetur. & iam arcis præfectus Monserratus, Eubœæque prætor Garas vno totmenti ictu conciderant: Reliqui tamen qui pro arce stabant tanta clade non territi, quin potius maiore vi niti, Barbarorum signa iam in arce fixa refellere, discerpere: signiferos, centuriones, præfectos, alios que confodere: nihil iam spectare, quàm vt vitam pro religione ponerent, gloriam immortalem tenerent. Iam sol ad medium cœlum ascenderat, æstus ingens, lassitudo, crebri ictus, hostium tanta multitudo, vt subinde recentes fessis submitterentur. nostrorum contra paucitas, eaque labore, vigilijs, siti, & vulneribus debilitata fecerunt, vt barbari tandem vi arce potirẽtur. sed tanta suorum clade vt permirum sit, tam multos à tam paucis occidi potuisse. Nostri omnes ad vnum fortiter pugnando c[illegible]si. Inter quos fuere centum & triginta equites ordinis.

Turcarũ erga equites furor.

Maxima tum crudelitas Turcarum in ordinis equites apparuit. nam cum arce capta aliquot equites semiuiuos inuenissent, corde prius è pectore eorum exempto capiteque amputato, rubris sagis cum alba cruce indutos, pedibus in Angeli Michaelisque castellorum conspectu ad triginta suspenderunt. Cęterum cum hoc non satis Mustaphæ videretur, eos simul iunctos in mare abijci iussit. Commoto autem mari sequenti die, ventus eos in maiorem portum eiecit: quos à nostris cognitos Valeta piè & honestè cum magno dolore humari mandauit. Sed ea hostis Barbarie adeo ipse exacerbatus fuit, ut ediceret, ne quis deinceps Turcam vllum caperet, sed omnes ferro trucidarentur. Itaque quotquot capti antea fuerant, omnes illico obtruncati, eorumq; capita, qua parte hostis erat extra muros proiecta. Interierunt ex nostris, ab initio obsidionis ibidem vsq; ad arcem captam, mille trecenti milites. Etsi autem Valeta amissa arce summo dolore premeretur, præ se tamen aliud ferebat, ne suorum militum animos turbaret. dicebat enim sibi nihil improuisum accidisse. hanc esse belli fortunam, vt modo hi, modo illi vincantur. neq; esse ob eam rem hostem formidandum, qui tantam stragem acceperit, vt victus magis quàm victor dici posse videatur. His dictis è conspectu abijt. deinde ad præsidij Melitæ vrbis præfectum Petrum Mesquitam literas dedit, quibus eum atq; sacros milites qui Messanæ erant, vnaq; Toletanum de arce S. Elmi iactura certiorem fecit, quæ tales erant.

Valetæ literæ ad præfectum vrbis Melitæ.

Religiose frater, nuper infelix arcis S. Elmi iactura grauissima nobis accidit, quæ & si animum nostrum (vt debuit) dolore singulari affecit, tamen vt in mentem venit hæc omnia de manu domini proficisci, æquo animo perferre conati sumus. Speramus enim fore vt diuina clementia nos protegat in reliquis certaminibus, quæ etiam diu defendit. Nam S. Elmi arx eo iam erat redacta vt humanis viribus amplius defendi non posset, cum nostri tot tamque acres hostium oppugnationes fortiter sustinuissent, nullo nostrorum adiuti subsidio, quod & maxime mittere debebant, & facile in tanto temporis spacio potuissent. sed pro rebus omnibus Deo gratias agere oportet, à quo solo vt hactenus beneficia accepimus, ita in posterum obtinebimus. neque humanis viribus confidere opus est, nisi quæ diuina ope excitantur: quando neque literæ nostræ, neque diligentia, neque admonitiones, neque mandata vel illos excitare potuerunt, qui nobis parere debebant. Non patitur angustia temporis vt infortunij calamitatisque nostræ magnitudinem Toletano explicemus. tu facile nostro nomine ad illum perscribere poteris, omnésque amicos nostros certiores facere, quod si feciissent, quæ per literas nostras monebantur, & si vel parua auxilia misissent, fortasse arcem illam non amisissemus. atque quod etiam magis esset Italię finibus calamitosum, vereor ne, nisi Toletanus decreuerit citò ab hac obsidione nos soluere, non opportunus postea accedat. idque præsertim si ante obsideamur, quàm parua illa militum auxilia nobis accesserint, quæ tanquam in somnis apparuerunt. Nõ diffidimus sanè Domini dei nostri benignitati, quem nobis & auxilia breui missurum, & optimam Toletani mentem omniũq; Christianorũ salutis cupidam, cum summa fœlicitate incitaturum speramus, vt ad nos liberãdos veniat, cum totius vis negotij in celeritate collocata sit. Hostes cum totam classem in por-

in portu Marsamusetto collocarint, expurgandis locis intenti sunt quæ tormentis infestabantur, vt nos etiam pro viribus infestent. Continuò lectis his literis mittito ad nos Sanctæ Catharinæ, Belcalcaræ, Belmesti, & Zorici centuriones cum suis cohortibus, vt eorum militum opera vti possimus. quoniam sine illis maxima sumus in rerum omnium perturbatione. Imperamus igitur illis per has literas, vt statim ad nos iter arripiant, quorum auxilia maximè sunt nobis necessaria. Supplici-ter diuinam clemẽtiam rogamus, vt aliquem bonum nunciũ ad nos mittatis, voscꝫ Deus protegat & fortunet. E burgo Angelico die 24 iunij. 1565

Lectis Magistri literis Mesquita properè nauiculã in mare fieri iubet, in idꝫ Ma sium equitem cognomento Colonellum ingredi. cui & Magistri ad se literas, & suas etiam eiusdem ferè sententiæ ad ordinis Equites qui Messanæ agebant tradit, oratꝫ vt in Siciliam velis remisꝫ trajiciat. Interea Mustapha hominem ad Valetam mittit, & cum eo senem quendam Hispanum captiuum, cui libertatem (modò ad oppidum vsꝫ cum suo nuncio eat) promittit. eisꝫ mandat vt cum Valeta de deditione agant, videántꝫ ecqua ratione pacisci velit. Qui ad oppidum profecti, Turca foris expectante, Christianus intrò ad principem admittitur, eiꝫ Mustaphæ mãdata exponit. At Valeta vbi pactionis ac deditionis vocem audiuit, sic exarsit, vt ni fuisset Christianus è vestigio eum suspendi imperasset. Itaꝫ ei optionem facit, vt aut cum ipsis maneat, aut illico discedat, dicátꝫ comiti suo, ni confestim abeat, sese tormentis eum ab arce repulsurum: Hoc accepto nuntio Turca repentè in castra rediit, qua Mustapha in tantam rabiem est coniectus, vt palam ediceret, se nullum crudelitatis genus in Christianos deinceps prętermissurum. Erat tum apud Mustaphã Philippus è Lascarorum nobili Græcorum familia, qui à Turcis Patras in Achaia occupantibus puer in ea vrbe captus est. Is cum Mustaphę consiliorum multorum particeps esset, diuino quodam instinctu cogitauit se non parum Christianis commodare posse, si ad eos transiret. Itaꝫ ad Michaelis castellum transire constituit. qꝫ cum sæpius tentasset tandem primo die Iulij sese in mare coniecit, atꝫ ad castellum magno vitæ discrimine enatauit. nam à Turcis glandibus & sagittis petebatur. Hic ad Magistrum deductus, ei non solùm multa hostium consilia patefecit, verum etiã quid ad Michaelis angulum faciendum esset edocuit. Pòst etiam strenuè contra Turcas pugnauit. Obsidione soluta cum Magistri commendatione Romã ad Pontificem venit, vbi Turcicam sectam detestatus, in Hispaniam ad regem Philippum se contulit, quo ei pariter Solymanni consilia indicaret.

Turca ab Equitibus petit vt se dedant.

Interea Colonellus incolumis Messanam peruenit, atque comperit Christianam classem nondum esse instructam, vt rebus Melitensium afflictis statim possit succurrere. nam nec dum ex Hispania naues venerant, & Ioannes Andreas Auria cum viginti octo longis nauibus reditum parabat, vt quatuor millia peditum, qui in Etruria scribebantur, acciperet. Quam tarditatem secum reputantes sacri milites, re inter se deliberata, opem suis ferre quocunque modo decernunt. Huic expeditioni duos è suo cœtu præficiunt, Messanensis & Barolitanæ domus Commendatores. Hi properè Toletanum conueniunt, & commemorant, quæ sacri milites non modò pro Hispaniæ rege, verum etiam pro tota republica Christiana gesserint: quantos sumptus etiam superiore anno cum Pionias oppidum expugnasset, fecerint. vbi nec commeatui, nec machinis, nec nauibus, nec vitæ propriæ pepercissent, quo regi prodessent. Ad hoc reputaret Melitæ iacturam non ad sacros equites tantum, sed ad Italiam omnem, præsertim vero ad Siciliam ob hostis vicinitatem pertinere. His atꝫ alijs de causis se ab eo quatuor millia peditum flagitare, cum quibus sacri equites, qui illic essent, item qúe alij voluntarij complures Melitensibus opem laturi properarent. His copijs sperare se si minus hostem repellere, at eius progressum remorari posse, donec ipse vniuersa classe producta Turcicam inuadat ac dissipet. Cum secum Toletanus quid agendum sit deliberat, nuncius ab Hispania aduenit, & regis animum declarauit. Itaque respondit se quod peterent facere non posse, quod ea ratione se suis

Melitenses frustra auxilia petunt.

1565 suis nauibus priuaret. Quod si vero equites cum Pontificiorum militum parte in insulam portari placeat, posse eos id duabus illis longis nauibus quas haberent facere, se quoq; vnam è suis additurum. Hoc responso accepto, cum aliud extorquere non possent, quod deferebatur acceperunt.

Subsidia nostrorum mari impedita.

Dum hæ naues instruuntur, quatuor illæ quarum suprà mẽtionem fecimus, quæ sexcentos milites & octoginta sacros equites vehebant, variis difficultatibus per vigínti dies conflictatæ, nondum Melitam attingere potuerant. Quoniam autem Toletanus præceperat ne descensionem facerent, ni prius an Elmi arx à nostris teneretur scirent, nauiculam speculatoriam in terram emiserunt, seq; illum & sequentem diem in mari opperituros promiserũt. Interea graui exorta tempestate factum est, vt ea ad diem dictam redire nequiuerit. Propterea qui expectarant veriti ne aut tempestate amissa, aut ab hostibus intercepta esset, Pozalum Siculæ oræ locũ Melitæ proximum se recipiunt. cum eò peruenerunt, Elmi arcem etiam tum defendi cognouerunt, simulque reuertuntur vt descenderent. Verum vbi ad sex millia passuum loco appropinquant, vbi descendendum erat, ignem conspiciunt. quę res fecit vt & Catascopium ab hostibus captum, & hostem ibidem in insidijs esse suspicarentur. Vnde Pozalum redeunt, vbi ab Equite Gallo qui è Melita venerat accipiunt, eam facem suo iussu accensam, vt eo signo admoniti sine metu procederent. qua re cognita magna celeritate ad eum locum contendunt, ac tandem ad saxa nigra quæ Lybiam spectant, die 29 Iunij nocte intempesta descensionem faciunt, properéque ad vrbem se conferunt. ibi magna lætitia accepti principis imperium expectabant. Interim nebula (quod ibi rarissimè fit) exorta est vt prospectum ferè omnem tolleret. Erat tum in arce puer 12 annorum qui de fenestra prospiciens territus, se Turcam versus Michaelis castellum euntem videre clamat. Quo audito aliquot equites ordinis in eam partem excurrunt, atque Græculum è Melita vrbe inueniunt. qui retractus & quæstioni subiectus confessus est, se hostem de nostrorum militum aduentu certiorem facere voluisse, vt ex insidijs ad Magistrum euntem interciperentur. Ergo equites eum in quatuor partes dissecari præceperunt.

Præsidiũ ad principem venit.

Triduo pòst milites præsidiarij, qui è Sicilia venerant, noctis initio incolumes ad principem peruenerunt. Horum aduentu incredibile est, quantum animi obsessis accesserit, & in primis Valetæ, qui Equitum suorum florem sibi diuino numine accessisse perspiceret, ac lachrymans Deo gratias ageret. Qui recentes venerant à principe id vnum ceu honorarium petebant, vti Michaelis præsidio imponerentur. Id quod Valetta eis permisit, nec tamen ob id vetus præsidium remouit. Hi ergo quibus cupido ingens esset cum Barbaris manus conserere, sequenti die validam eruptionem fecerunt, hostemq; ad Margaritam nacti supra ducentos occiderunt, tórq; sauciauere, vt nullus incruento gladio in castellum redierit, nemine suorum amisso. Id cum Turcarum præfectus cerneret, cognouit eos esse qui nuper in Castellum venerant. Idcirco cum suis expostulauit, quasi per eorum socordiam illi ingressi essent. Illi autem maxime in suspicionem venire, quorum custodiæ extima insulæ loca demandata erant. eam suspicionem augere, quòd tres Algerianæ triremes sese subduxerant. qua re factum vt nec illis, nec Christianis Turcæ sectam professis, fideret. Itaq; edixit ne horum quisquam extra naues cubaret: qui facerent palo confixi atque exusti pœnas darent. & custodijs mutatis Salachi biremes ad insulæ custodiam admouit. Ne quid autem vel ipsorum aliqui vel Christiani tentare possent, naues complures in Museti portu catenis simul iunctæ, cæteræq; inter se minus disiunctæ haberi cœptæ.

Morbi in Turcarũ castris.

Cum autem ea tempestate in Turcarum exercitu dyssenteria atque alijs morborum generibus innumeri milites laborabant, tria valetudinaria constituta sunt: vulneratorum vnum ad aquam Marsiam, ad cuius custodiam duo Turcarum millia addita: alterum in puppibus nauium, vbi Turcæ volũtarij: tertium inter ipsa nauium transtra, vbi Christiani coacti curabantur. Eodem tempore Bassa præfectus, Leptitanis in Dragutæ demortui locum Ochialem præfecit, qui cum nauibus longis

gis quinque eò profectus, rebus ibi compositis in castra reuersus est, binasque frumento onustas naues Bassa Leptim ire iusserat, vt ibi nauticus panis pararetur. Ad Solymannum quoque Zolochum militum præfectum miserat, qui de S.Elmi arcis expugnatione illum doceret, ferretque Melitæ insulę qualem inuenerant dessignationem, addebatque se Melitenses paratiores & firmiores quàm initio credidisset inuenisse. quod si vltro bellum trahere placeat, viris, commeatu alijsque ad bellum necessarijs opus esse. quod si haberet, se loca reliqua munita (sed non tam cito) occupaturũ. Interim dum responsum pręstolatur, nullum tempus ab oppugnatione vacuum passus est. nam septuaginta muralibus machinis, in quibus tres maximi Basiliſci, quatuordecim è locis oppugnatio cœpta. à furcarum enim promontorio ad aquam Marsiam, indéque ad Elmi arcem, in qua trecentos lanizaros collocarat, totum illum ambitum multiplici aggere vallóque & castellis sepiuerat. vnde dies noctesque Angeli & Michaelis oppida tormentorum fulminibus quassare, muros demoliri, propugnacula deijcere, domos frangere, sic vt in eis vix quisquam tutus esset. qua ex re mulieres pueríque magnis detrimentis affecti. Ipsi verò Barbari intra suas munitiones incluſi tutiores esse, nec sæpe excurrere nisi multitudine freti, quod ab Equitibus à tergo instantibus eorum non pauci semper trucidarentur. 1565

Vbi Romę de S.Elmi arce amissa compertum est, mœrore & metu ciuitas repleta. pars enim dolere pro gloria Latini nominis, pars timere ne ad se quoque Melitensium calamitas redundaret. Fuit etiam genus hominum inuidum, maledicum, & belli ignarum, quod culpam arcis amissæ in Valettam transferret, quem tamen sua ipsius virtus, & viri fortissimi qui cum ipso fuerunt à calũnia satis vindicabunt. Sed prius diximus tres longas naues Messanæ comparari, qui tanta diligentia vsi sunt, vt 7 die Iulij è portu discederẽt. Erant in eis præter Equites sacros Hispani sexcenti, & pontificij trecenti Pompeio Columna duce. Remiges partim voluntarij partim coacti. his libertas promissa, si modò suo munere nauiter fungerentur, vt in portum se immitterẽt, fore vt eodem quo reliqui milites haberentur loco. ac vt nõ modò viris verum & commeatu obsessis subuenirent, nauibus ducentos quinquaginta medimnos frumenti, cum puluere sulphureo, nitro, & plumbo ad tormentorum vsum imposuerunt. Et quanquam factu difficilimum videbatur, vti per portũ in insulam intrarent, nihilominus tamen tantus erat in equitibus suis subueniendi ardor, vt omnia sibi & alijs facilia & tuta promitterent. Cum autem Insulæ appropinquare cœpissent, speculatoriam nauiculam præmiserunt, vt signis ex Angeli arce perspectis agnoscerent, procedendum ne aut retrocedendum esset. quæ cum eò processisset, deprehensum est recedendum esse. Quod vbi Turcæ deprehenderũt illico vt signa obscurarent, æneis tormentis explosis, cœlum fumo tanquam nebula replere. verum quod iam à nostris visa essent, id frustra fuit. Sic tres illæ naues in Siciliã redierunt. Neq; enim Valetæ optimo principi visum fuit tot equites sacros, tot claros viros & milites in apertum discrimen vocare. Videbat enim in Museto portus faucibus aliquot Barbarorum naues ad locum qui Arenulæ vocatur noctu subsidere, vt portus maioris ingressum & exitum prohiberent. *Fama de Melitensium periculo sparsa*

Per eosdem dies, qui in vrbe erant, cognita nostrorum valida eruptione, & ipsi audaciores facti. Nam cum Barbari prędabundi aliquot pecora abigerent, equites nostri eos insecuti, atq; aliquot ex Barbaris interfectis prædam abstulerunt, nec eo contenti, ad naues usq; persecuti sunt. At Turcæ videntes fugam ad se versum fieri, arma conclamare, ad Imperatoris tabernaculum accurrere, & à muris verberandis cessare. Hæc res fecit vt Valeta putaret eos ad Michaelis castellum inuadendum se comparare, idcirco ratus sua præsentia præsidio vires, atq; animum accessurum, in eam partem per pontem qui ratibus constratus vtranq; peninsulam coniungebat, transire proposuit. sed re propere cognita in arcem reuersus est. Sunt qui hoc factũ audax, sed plenum periculi existiment, quod non corporis sed animi virib. res magnæ gerantur, quibus princeps etiam absens suis adesse possit. Verum Valeta lau- *Turcarum strages.*

1565 de fuit dignissimus, cum veterum Imperatorum exempla secutus in prelio presens esse, atq; ex occasione suis consulere aut præcipere statuisset. Eodem tempore Algerij rex cum triremibus septem & decem biremibus, in quibus duo millia ducenti milites erant, Turcis auxilio venit. Cui cum ab initio non adfuisse molestum esset, cuperétq; aliquot illustre facinus patrare, simul militum suorum virtutem experiri, ab Imperatore postulauit, vti sibi principem locum in Michaelis oppugnatione permitteret. id quod non modo permisit, verum etiam duo millia lectissimorũ militum è suis ei adiunxit. quo impetrato è Museti portu ad aquam Marsiam circiter nonaginta naugia minora machinis celeriter transferri iubet. quod ex ea parte regi castellum mari oppugnare consilium esset. At Valetta cum is conspectis, tum à perfuga eius rei antea admonitus, hostis consilium cognouit, & duos Melitenses naucleros industrios illicò accersit, réq; cum eis communicata scisitatur, quid illi faciendum censerent, quo Barbaris ad muri pedem descensionem facere parantib. obuiam iretur. Hi respondent, se existimare si ex nauiũ antẽnis tignisue ferreis annulis simul contextis cathena fiat, eáq; ab angulo Angelicæ arcis ad eum locum ad quem hostis naugia appellere cogitabat, ducta, eorũ cogitata impediri posse. Placuit cõsiliũ, sic vt sequẽte nocte & pfecta catena fuerit, & suo loco posita.

Arx S. Michaelis frustra oppugnata.

Barbari vbi diluxit hoc impedimento conspecto suspensi hęrere, ignari quo nã modo suos milites exponerent. Dum sic cogitabundi hærent, ad regem perfuga Christianus accedit, pollicetúrq; se catenam illam fracturum, simulq; sumpta securi sese in mare abiecit, quem tres (quo illum iuuarent) secuti sunt. ad quam simul ac nando peruenerunt perfuga in eam insiliũt, securimqúe impingere cœpit. Id nostri videntes, repentè sex Melitenses cum nudis gladijs eo enatant, ac duobus interfectis cęteros fugant. Post nemo tam audax inuentus, qui idem tentare vellet, nec ob id tamen rex cœpto destitit, sed mira diligentia se ad oppugnationem parauit. Itaq; die 15 Iulij inalbescente cœlo, terra mariq; oppugnationem aggreditur. Verum cũ obsessi omnia tormenta in eam partem direxissent, unde naues veniebant, tanta fuit eorum vis vt trium horarum spacio quo perseuerauit oppugnatio, Turcarum duo millia discerpta submersaqúe fuerint, & naues duodecim depressæ. Maior naugiorum pars ad catenam appulsa, cum descensum in terram facere nequirent, ad castelli angulum proras obuerterunt. cæterum re infecta retrocedere sunt coacti. Prælıatum est in terra horis quinque. Turcæ complures, è nostris ducenti desiderati, in quibus Fridericus Garziæ Toletani præfecti Siciliæ filius pila ferrea discerptus. itemqúe Gordius natione Gallus, Franciscus Sanoghera eiusqúe nepos Iohannes Hispani, omnes sacri equites. Medina quoque vulneratus, qui post ex eo vulnere est mortuus.

Valeta ex Sicilia auxiliũ petit.

At Valeta qui videret quanto in discrimine res Melitensis futura esset, si huiusmodi prælijs sæpius esset decertandum, vbi fessi dies & nocles cum nouis committerentur, die 17 Iulij hominem in Siciliam misit, qui à castello ad aquam Marsiã enatauit, & illinc ad vrbem per medios hostes euasit, vnde naugiolo Messanam peruolauit. Huic literas ad Toletanum dat, & postulat ad se binas suas triremes cum ijs equitibus qui tum Messanę erant & cum militibus, mitti. monetqúe vbi ad insulam accessissent ante portum consisterent, paratę signo dato sese in portum inferre. Eodem tempore quo is Messanam peruenit, classis ab Hispania, quę multos variarum gentium equites sacros vehebat, venerat. Cum autem Toletanus duas illas naues longas vellet ad Valetam mittere, prius ad eum literas occultis notis exaratas binis nauiculis misit. hisce triremes missurum significabat, cæterum signa petebat, quibus illæ cognoscerent intrandum ne aut retrocedendum esset. quæ cum diuersæ proficiscerentur, alteram medicamentis onustam ab hostibus interceptam esse post intellectum est. & quanquam altera incolumis ad Melitenses peruenit, tamen quoniam aliquot dies ante inter Michaelis castellum Melitamqúe vrbem omnia itinera intercluſa, tresqúe vltrocitroq; commeare consueti capti ab hostibus fuerant, atque acerbissimè necati, ad hoc portus vigilantissimè custodiretur, Equites qui

qui Messanæ erant de binis triremibus mittendis consilij inopes erant. Nihilominus tamen quod eas Magister postularet, visum eas esse fortunæ committendas, hac tamen cautione vti ne omnes illi equites periculo exponerentur, sed ex omnibus quadraginta modo cum satis magno militum auxiliariorum numero mitterentur. Cum his Salazar Hispanus centurio à Toletano missus in scapha remulco à triremibus in Gaulon vsq; trahenda, præfectus est, qui post illinc in Melitam insulam vrbemq; hostium copias speculatum iret. 1565

Interim Turcæ cladis in oppugnatione Michaelis acceptæ memores, vindictæ cupiditate ardere. idcirco tanto impetu castellum tormentis verberare, vt quãtum noctu reficiebant tantum mane illi deijcerent & comminuerent. Dumque tormentis res ageretur pontem ipsi construxerant, quem die 20. Iulij ante solis ortum in fossa posuerant quo exæquatis locis prælium cum nostris manu facerent. Qui ab eis visus, Parisotus Valetæ nepos & Agleria equites cum militum mercenariorum satis magna manu extra munitiones excurrunt, vt pontem igni corrumperent. qui à Barbaris excepti re infecta omnes ferè, vnà cum Parisoto & Agleria interierunt. Barbari tormentis muros quatere vsque ad 28. Iulij nunquam intermiserunt, quo post meridiem castellum multis locis inuadunt, terfessis aut deiectis recentes submittunt, tantáque vi agunt vt nihil dubitent se eo die castello potituros. At nostri haud minori vi resistere, telis, tormentis, igni, manu hostem propellere, & tandem vti à muris discedat, suorum magna iactura cogere. Hac victoria obsessis animus creuit, sic vt iam hostem parui facerent. Quoniam vero à nostris extra prælium tormenta silerent, neque iam eruptiones fierent, putabant Barbari paucos esse in præsidio milites, & tormentorum materia fomentóque destitui. At id Valetæ consilio potius quàm inopia fieri. qui cum nihil de auxilijs acciperet, videretque Barbaros ad inuadendum indies ferociores, nolebat in ocio præsidia consumi. Sed Turcæ cum viderent frequentibus prælijs rem parum procedere, omnẽ industriam ac laborem cuniculis agendis impendere statuunt. & iam pene vnum antè perfecerãt, quàm id nostri perciperent. Quo autem minus id animaduerterẽt binas triremes accedere, eoq; ex loco tormentorum globis domos pulsare iubent, rati nostros, dum quid hostis facturus sit spectant, muros remissius custodituros, se vero occultius per cuniculum in castellum irrepturos. *Turcarũ ad S. Michaelẽ strages.*

At obsessi vbi eorum artes senserunt contrario cuniculo eas irritas facere, cum aliorum tum maximè vnius igniferi virtute hostes propellere. nam is cum prius in cuniculum testas pice accensas coniecisset, ipse secutus hastam Phalaricam præferens Turcas omnes è cuniculo eiecit. hanc ob rem torque aureo quinque librarum à Magistro equitum donatus est. Postera quoque die quæ prima Augusti fuit eruptione ab aliquot facta, pons ille qui fossæ impositus erat, facibus & puluere in iectis exustus est. quod quidem opportunè factum. Nam postridie Turcæ sole in occasum inclinante denuo castellum, vbi Carolus Ruffus curabat, aggressi, à nostris fortiter repulsi sunt. prælium tribus horis, Turcæ trecenti cæsi, ex equitibus ipse Ruffus atque Baresus cum aliquot mercenarijs militibus occubuerunt. Hoc tempore nostri multitudine tormentorum adeo inclusi ab hoste tenebantur, vt ne in fossam despicere, aut sese vllo modo ostendere, nedum eruptionem facere possent, quin illico peterentur. nec tamen ob id, vbi se occasio præclari facinoris dabat vitæ suæ parcere. Id quod in Calderonio Hispano patuit. qui cum animaduertet eam muri partem, quam hostis ad castellæ munitionem percusserat, speculandam esse exiuit, & mox glande percussis concidit. hic casus, cum reliquos terrere debuisse videretur, incendit. Nam cum cernerent hostes in fossæ replendę operam dare, noctu exire constituunt, eorumque conatui obuiam ire. Itaq; centum, pars Equites sacri, pars stipendiarij, impetu in hostes facto, eos fossam deserere, fugamq; capescere compellunt. ex eis circiter octuaginta cæsi, è nostris decem, in quibus duo equites Ioannes Cantaber atq; Macrinus, quorum capita hastis præfixa in vallo Seruatoris, quo à nostris videri possent, extulerunt. *Turcæ cuniculis frustrà agunt.*

1565 Eodem die vesperi, qui erant in vrbe Melita, simul plures ignes excitarunt, & sclopetorum plausum ædiderunt. id tam obsessi quàm Turcæ fieri existimarunt quod classis nostra appropinquaret, vel auxiliares in insula copiæ profligandis hostibus pares adessent. sed neutrum fuit, idque eo tantum factum, vt & alacritatem ostenderent, & Barbaros suspensos rei nouitate terrerent. At Turcæ fossam ad Castellæ propugnaculum terra repleuerunt, quæ res effecit vt neque ab depressis illis casis, neque ab Aruernię angulis qui ad hostes tormentis petendos porrigi solent, lædi Barbari possent & ipsi ad murum tormentis deiectum transirent. A vallo igitur æditiore, quod ad Seruatoris latus extruxerant, duobus tormentis grandioribus iaculari cœperunt. primóque ictu fenestram, qua pilæ emitti in hostem solent, cui Franciscus Castilia præerat, attigerunt. Ioannes Beruardus Godinetius eques Hispanus vir strenuus plumbea glande traiectus occubuit. Eodem die Franciscus Aquilates Hispanus præsidiarius miles, qui Gauli vxorem cum liberis habebat, ex oppido Michaelis metu ac spe persuasus ad hostes perfugit, estque præfectos ad impetum faciendum rursus adhortatus, oppido sine dubio potituros, quod vix quadringenti viri in eo essent, laboribus & vulneribus penè confecti, reliquos periisse. Itaque Barbari vbi vident tormentis per nouæ vrbis & Michaelis muros vel plaustris aditum patefactum, vtrunque totis viribus inuadere constituunt, & experiri, tantum ne esset obsessis virium, vt ab eis toties repelli ab oppugnatione possent.

Transfuga addit Turcis animum.

Ergo septimo die Augusti eadem hora Nouam vrbem ad Castellę propugnaculum & Michaelis castellum adoriuntur, tanta vi & multitudine vt terra circa omnis tegeretur. Tormentorum tonitrua, sclopetorum cum crepitu grādo, armorum fragor, tubarum & tympanorum clangor, virorum vtrinque clamores, tot tantáque erant vt cœlum cum terra permisceri videretur. Hæc cum Equites qui in vrbis præsidio erant audirent, cœlúmque fumo obduci cernerent, veriti ne Barbari (vt ad Elmum) nunquam ab oppugnatione desisterent, donec oppido potirentur, illico vniuersus se equitatus ex vrbe effundit, atque vt ab oppugnatione Turcas auerterent in eos qui Aquæ Marsiæ præsidio impositi erant impressionē faciunt. qui omnes trepidi improuiso metu fugere, nostri insequi, cædere, fundere, illi horrēdum stridere: quo qui apud Michaelem certabant excitī, prælium relinquere sunt coacti, vt suis laborantibus maturarent opem ferre. sic à nostris vtrinque magna cum strage repulsi vltra mille & quingentos desiderarunt, præter eos qui à Melitensi equitatu, priusquam sui adessent, interfecti fuerant. E nostris vtriusque oppidi plus cētum sunt desiderati & totidem ferè vulnerati. nam prælium vltra quinque horas productum. Hic Valeta illo & alijs proximis diebus è tāto periculo liberatus, Deo supplicationem indixit, & ad templum cum ciuium multitudine ad orandum accessit.

Horrendum, cum Turcis prælium.

Dum hæc geruntur Garzias Toletanus indicio à Calabria allato accepit, naues quasdam militibus, commeatu, alijsque ad belli vsum necessarijs onustas Byzantio Melitam contendere. quamobrem extemplò quinque longas naues eis obuiam misit. cumque hi ad triginta miliaria appropinquassent eas naues non repererunt, sed Myoparonem vnum, vnamque Liburnicā biremem. Myoparonem capiunt, biremis Melitam ad hostes profugit. Sed Mustapha ratus neminem adeo fortem qui non tandem fatigetur, nullam obsessis requiem dandam esse censuit. Itaque suos qua parte aditus tormentis patefactus erat, Michaelis castellum inuadere iubet. At nostrorū virtute cito magna clade reiecti sunt. Neque enim tā crebras oppugnationes Bassa instituebat, quod eis locis potiri sperabat, sed vt strenui ducis munere fungeretur & Solymanni voluntate satisfaceret, qui aut ibi cuncti vitam amitterent, aut ea loca caperēt imperauit. quin etiam ad Solymannum Lyburnicam cum literis p volare iussit, quibus eum de classis conditione docebat, quibus difficultatibus conflictaretur exercitus, quā exigua esset spes ea loca capiendi, ac quantus Christianorum apparatus. Interea binę illę Melitēsium triremes Messana profectæ Syracusas venerant, vbi diem vnum manserunt, vt Salazari celocem ad cursus celeritatem inunge-

Bassa Solymanno scribit de equitū virtute.

inungerent, ac Pachynum promontorium citò præterueherentur. Itaque postri- 1565
die è portu exeuntibus obvius fit Melitensis quidam è Pozalo nauibus vectus, & grauiter saucius. is rogatus quid ei contigisset, respondit se cum noctu iuxta portũ vno cum comite nauiculam appulisset, à duobus Siculis inuitatum vt secum ea nocte maneret, nocte autem intempesta adsunt Turcæ quinque, à quibus duo Siculi capti, comes occisus, ipse vulneratus noctu euaserit. ad hoc Siculos Turcis indicasse, in eum portum binas triremes sacris militibus veniisse, quę in Melitam proficiscantur. Hac re audita Equites intellexerũt suam profectionem hosti notam esse. quodq; cogitarant in portum Melitensem se immittere, periculosum fore, aut fieri non posse. nihilominus à suscepto itinere non sunt territi. Dum sic procedunt, binas triremes & vnam Liburnicam haud longè præterire cognoscunt Melitam versus. nec fuit dubium quin illæ essent à quibus quinque Turcæ emissi ea patrassent, quæ saucius retulisset. Suum tamen iter Pozalum vsq; tenuerunt.

Ex eo loco literis ad Toletanum datis de ijs quę acciderant eum certiorem faciunt. cumqúe se mari committere nollent Vulturno Austroqúe reflantibus, Syracusas redierunt, vt ex Toletani sententia cæterum cursum instituerent. Visum igitur ei ne vltra procederent, sed classem vniuersam opperirentur, quę breui in Melitam esset traiectura. At Salazar Pozalum deductus, nauicula cursum suum tenere statuit, & breui in vrbem Melitam incolumis peruenit. ibi Turcico ornatu & comite (qui & ipse Turcicam linguam norat) assumpto, noctu in hostium castra speculandi gratia se contulerunt. Ibi cognouere militum vix quatuor millia super esse, & eorum plerosque saucios & morbis confectos. reliquos inutilem turbam esse. vbi aũt castrorum formam & modum inspexissent, in vrbem sunt reuersi. Hinc proxima nocte cum Petro Pacio audaci Hispano ad locum Malecæ speculæ proximum se conferunt, eoqúe accuratè obseruato Petrus ibi relinquitur, vt Toletanum de omnibus rebus certiorem faceret. Cæterũ Salazar ipse sua nauicula fœliciter est Messanam reuectus, & Toletano quæ vidisset omnia exposuit. inter cætera affirmabat classem Turcicam debilem, mancam, & longè imparem esse, quę cum Christianorũ decem millibus congrederentur. Rediérat & per eos dies vna ex illis duabus nauiculis, quas supra missas speculatum diximus, ad hoc quatuor illæ triremes Messana ante profectæ, Turcas quatuordecim circa Melitam captos ferentes, qui omnes idem quod Salazar affirmabant. Hæc atq; alia effecerunt, vt Toletanus aliquanto citius de educenda classe cogitaret.

Exploratores vtiles.

Interim obsessi omni industria & viribus sese tueri satagunt. Erat ibi Franciscus Guiara primipili centurio, qui ab oppidi muro, quem hostes tormentis deiecerãt, decem pedum interuallo munimentum eduxit, longum passus quinquaginta. pedes latum quinque, cum suis vtrinque angulis, quod binis noctibus est perfectum, postqúe obsessis magno adiumento fuit. Hostis subter angulum fossę, vbi Boninsegna Hispanus eques curabat, cuniculum agere cœpit. sed obsessi id sentientes contrario cuniculo irritum fecere. Factum tum erat vt perfuga, dum ad oppidum nataret, ab hoste caperetur quod nostris molestissimum erat, qui aliquid de hostium cõsilio cognoscere potuissent. Vbi hoc parum procedit, pars Turcarũ turrim Michaelis occupare conantur, pars ad Magistri & Castellæ propugnaculum aliquot pulueris incendiarij sacculos injicere. sed nostrorum vigilantia effectum, vt omnis eorum conatus frustra esset. nam eorum multis in cuniculo cæsis, etiam puluere aliquot cados abstulerunt. His difficultatibus Mustapha & Pial frustrati sua spe, cum prioribus deliberant manendúm ne diutius aut discedendum? Plerique domum redeundum putant. At Mustapha manendum, dum biremis quam Byzantium miserat cum Solymanni mandatis rediret: interea vi aut dolo casum victoriæ quærendum. Itaq; modò tormentis pulsare, modò pontes parare, modò cuniculos aut aggeres facere, aut fossas implere, aut prælium inire. Propterea cum noctu Robles castrorum Magister ad muri ruinam inspiciendam accessisset, tormenti glande ictus occubuit, magno nostrorum dolore. is enim suis artibus obsessis multũ profuerat.

S. Michaelis oppidũ frustra oppugnatum.

1565 Eam ob rem Valeta Tribunum militum, virum strenuum misit, vt Michaelis arci præesset, qui etiam vigilando & prouidendo sic eam prouinciam, administrauit, vt Barbari quoties locum sunt aggressi, toties cum detrimento repellerentur & in fugam conijcerentur.

Prælium ad arcem Angeli quinq; horarum.

Eo tempore Turcarum speculatoriæ triremes Piali maris præfecto nunciant, classem Christianorum in promptu esse: qui improuisum eius aduentum veritus, naues longas septuaginta instrui iubet. reliquerat autem in portu Museti quadraginta inermes, quod neque viros nec armamenta haberent. Igitur Pial per dies aliquot in Maiaro ad littus se continebat, noctu vero in altum progressus nostros expectabat. Vbi neminem apparere videt, socios nauales rursum in terram exponit, deinde maiore quàm vnquam antea impetu vtriusque oppidi muros quassant, eis præsertim tormentis qui Basiliſci appellantur, quorum pilæ ducenûm pondo, septem palmorum orbe constabant. His arcis Michaelis muri planè deiecti. Tum etiam Bassa Turcarum ad Angeli vrbem Castellæ propugnaculum sic crebris tormentorum ictibus percussit, vt totum penè prostrauerit. Itaque cum Barbari viderent vtrunque oppidum muris omnique munimento nudatum, sic vt nihil iam mutuum conspectum impediret, die 18 Augusti in meridie totis copijs vtrunque oppidum aggressi, ter reiecti, terque regressi, tandem ingenti cum strage & pudore ab omni parte deturbati, receptui canere coacti sunt. pugnatum fuit ad horas quinque. In eo prælio Valetta armatus contoque formidabilis ante alios fortissimè pugnans conspiciebatur, cuius præsentia non modò milites, sed & pueros & mulieres ad fortiter agendum excitauit. Ex ingenti autem Turcarum numero pars in vrbis fossa constiterat, vt muros suffodere ac subire possent: ne etiam ab Castellæ vallo tormentis læderentur, munimentum è terra, fasciculis, & alia materia celeriter perfecerant. Id obsessi cum obseruassent, directis in eam partem tormentis plures interfecerunt, & flammis iniectis egregiè corruperunt, ita vt nostris nihil obesse possent.

Nocturna pugna.

Postero die ab hoste prælium ad eadem loca redintegratum est. nam ex copia militum pro fessis recentes adducebantur. Ac primum tormentis ad noctem vsque, vtrunque oppidum pulsarunt. deinde media nocte lucente Luna prælium atrox horrendo cum stridore & impetu incœptum. Ea res nostros initio terruit. Verum virtutis memores, omni genere telorum & piceis ignibus effecerunt, vt hostes mulctati post trium horarum certamen in sua castra redierint. Eodem die à nostris cuniculus ad castellæ propugnaculum est deprehensus, in quo Turcæ centum inuenti & trucidati, ipseque cuniculus corruptus. Nec tamen sequenti die hostes quiescere, sed septies recentibus submissis eadem loca inuadere, non modò armis verum & sacculis puluere igneo refertis pugnare, quibus Boninsegna ambusta facie oculum amisit. Tum etiam Barbari ad Speronem vehementer adnitebantur, vt in arcem irrumperent. Ibi Centius Aquitanus eques in vallum ascendit, contoque pugnans vno confosso alios terruit. Ipse verò glande brachio vulneratus fuit, nihilominus victor vallum conseruauit. Vnde Turcæ vbique ingenti strage pulsi, atque ex nostris circiter centum desiderati, hique plerique tormentorum pilis. In his fortissimi Equites erant Fragus, Pratus, Soderinus, Boniportus, Fagianus, Rufinus, & aliquot alij longiori vita dignissimi. Subterraneum quoque aditum ad S. Michaelis castellum egerunt Turcæ, qui simul arte solita deprehensus & impeditus fuit. Hoc modo factum, vt strenuus Ioannitarum Ordo cum Barbaris non modò armis comminus, & tormentis eminus, sed etiam arte & dolo singulis horis decertare cogerentur, vt habitationem suam conseruare possent.

Valetæ principis mirabilis constantia.

His tot tantisque periculis quidam inter Equites veriti, ne quod sæpius tentatur tandem procedat, Valetæ principi dixerunt: Sibi videri omnia literarum monumenta, omnes tabulas & Diuorum reliquias ex oppido in Angelicam arcem transferenda, vtpote locum munitiorem & tutiorem. Valeta etsi intelligebat eos

eos hæc bono animo dicere, nihilominus ea oratione nonnihil commotus eis re- 1565
spondit: Hoc aliud nihil esse, quàm non solum Melitensium, qui strenuè se gererẽt, pluscúe præstarent quàm quisquam sperare potuisset, animos debilitare atque infringere, verum etiam militum mercenariorum, si hoc illi persentiscerent. Itaque se omnia conseruare aut amittere statuisse. atque ne quis deinceps spem in Angeli arce reponeret, velle omne arcis præsidium in oppidum deducere, vt vnà cum aliis cum hoste pugnarent. solos tormentorum Magistros in arce relinquere, qui si opus foret, pilas in hostes contorquerent. Responsum tali principe dignum, & posteritatis memoriæ commendandum. Cum hoc modo Magister equitum labantes animos ad virtutem erigit, Turcæ primo diluculo eadem loca maiore quàm antea vi adoriuntur, præsertim ad Castellæ ruinam, vbi Sanromanus, qui in ea parte curabat, breuem hanc vitam amisit, ac immortalem acquisiuit. Ad Michaelem quoque Adurnius eques ac Fagio, cum aliis aliquot grauiter vulnerati. nam hostis se citò è pugna retraxit, & simul tantis tormentorum fulminibus iaculari, vt omnis insula tremere, cœlum ardere, subtexíq; fumo videretur.

Valetta tum è prælio matutino satis fessus, secesserat paulisper sui recolligendi causa: cum ecce sacerdos quidam Hispanus manibus in cœlum sublatis ad principem accurrit, clamans & vociferans, actum de re Melitensi esse: Iam enim tria quatuorue signa hostium per Castelli ruinam in oppidum irruisse. Quo audito repentè Valetta capiti cassidem imposita sumptáque hasta: En vobis fratres, inquit, venit hora qua nos fortissimos Christianæ religionis defensores ostendamus. Quòd si eandem virtutem quam prius retinemus, non est quod desperemus. Idem hostis, idem Deus. Ite mecum illustres viri: Hæc fatus, simul ipse vbi periculum maius properare, & cum eo milites omnes, item ciues mares & fœminæ, pueri senésque cuncti in hostem vadunt. Ibi prælium atrox & periculosum. alij hostem ab ingressu arcere, alij ingressum occidere, fugientem insequi, sauciare & pellere. Illi fortiter resistere, ita vt maxima vi certaretur. intus, foris, omnia constrata telis, armis, cadaueribus, & sanguine. Magister omnia prouidere, adesse, laudare, hortari, pugnare, strenui militis & boni imperatoris officia simul exequebatur. Ita cum solis occasu cædentibus Barbaris prælium finitur. Valetta hanc victoriam multo suorum sanguine comparauit, & plus quàm ducentos fortissimos viros amisit. Hostium verò ad duo millia occubuerunt, præter eos qui ingressi erant, quorum nullus euasit. Hæc sunt quatuor illa prælia cum obsessis continenter facta, tanta Equitum ordinis fortitudine & constantia, vt Turcarum duces & centuriones mirarentur, ac faterentur, tales strenuos ac bellicosos propugnatores inter Christianos se hactenus non inuenisse.

Ioannitarũ ingens periculum.

Interea Garzias Toletanus vt in Melitam exercitum deportaret, solum Iohannem Cardonam Panhormum cum duodecim nauibus profectum expectabat, vt inde naues quatuor commeatibus onustas traheret. Is cum aduenisset, cum classe septuaginta duarum triremium vigesimo die Augusti Messana Syracusas profectus est. Ferebat delectorum militum decem millia, in quibus ducenti & amplius sacræ Ioannitarum militiæ equites, & circiter quadraginta Stephanitæ. Hic est equitum ordo quem ante quatuor annos Cosmus Medices Florentinorum dux ad Melitensis militiæ exemplum instituit. Differt in eo ab Ioannitis, quod pro candida rubram crucem gestant auro circumscriptam. deinde quòd milites ipsi semel esse mariti possunt, quod Iohannitis permissum non est. Ilua Ligustici maris insula est eorum propria sedes. Verum dum in ea Cosmopolis vrbs noua à Cosmo condebatur, Pisis habitarunt. Ordinis Magister idem est qui & author, eiusque successores. Nomen illud non à Stephano protomartyre habent, sed à Stephano pontifice Florentinæ ciuitatis patrono, in diuorum numerum relato. Præter equites sacros in ea classe fuerunt viri illustres, fortissimi, Ascanius Corina, Piscarij fratres, Hannibal Estensis,

Stephanitarum equitũ ordo.

1566 Hercules Varanus, Aeneas Pius, Capinus Vincentiusque Vitellij, alij præterea genere & militia clari. Classe igitur in portum Syracusanum appulsa, Toletanus Auriam cum vna triremi & Scapha Melitam præmisit, qui hominem in terram exponeret, vbis à Petro Paccio (qui ad Malecam speculator relictus fuerat) quid vidisset cognosceret. A quo intellectum, in mari nullum nauigium visum, præter vnam Liburnicam. sedecim etiam vela 21 Augusti æquatum ad Salinas venisse. quo autem post abierint, per noctem non fuisse obseruatum.

Pluteorũ in pugna vsus. Nostri interim ad Castellæ ruinam se egregiè munierant, tormentáque bellica pluribus in locis collocarant, quibus hostis latera pulsabant, & eorum aggeres diruebant, quos ad Boninsegnæ propugnaculum fecerant, vt inde Castellæ aream sclopetis peterent. At Turcæ cum vtrunque oppidum denuò aggredi statuissent, pluteum tignis asseribusque contextum, triginta militum capacem, sub Michaelis prostratum murum agunt, id eo fiebat vt nemo nostrorum in ea parte se ostendere auderet. Quod cum nostri ferre nequirent, eruptione facta, ijs qui erant sub pluteo fugatis, pluteum igni iniecto corruperunt. Eodem modo qui nouam vrbem oppugnabant, altero pluteo pariter ad Castellæ ruinam combusto, reiecti sunt. Insequente nocte Castellæ custodes eruperunt, & corruptis Turcarum munimentis, & præsidiarijs ibi obtruncatis, cuncti incolumes in vrbem redierunt. At cum illo & alijs diebus hostis non quiesceret, sed vineis, pluteis, & aggeribus reparatis nostros subinde à muris submouere contenderent, omnis illorum labor nostrorum virtute fuit irritus. Egerant obsessi ad Castelli ruinam cuniculum, in eóque octo sulphurei pulueris cados intulerant, vt si hostes denuò inuaderent, iniecto igne dissiparentur. Dum autem Barbari circa eandem fossam fodiunt, in eum cuniculum incurrunt, & ablatis cadis corrumpunt, suumque munimentum absoluunt. His in hunc modum vltró citróq; agitatis, Mustapha terrestrium copiarum dux iam præcipiti æstate non esse cunctandum ratus, statuit Michaelis arcem totis viribus oppugnare.

Turcarum conatus irriti. Itaque producto Imperatoris Solymanni augustiore vexillo, cuius in cuspide aureus globus eminebat, per ruinas in oppidum perrumpere iubet. Subeunt hi: resistunt nostri: ingens atque anceps prælium geritur. cumque bis iam reiecti essent, ipse Mustapha ad suorum munitiones progressus, orare & hortari milites, ne deficerent. illum diem superiores labores & victorias cõfirmaturum: ne hostes victos vincere paterentur. nullum iam hostium munimentum esse, quo se tegant, omnia deiecta, superesse modo aliquot defessa & mutilata corpora, quę aciem suorum gladiorum ferre non possint: tali pertinacia ipsos arcem S. Elmi obtinuisse. Postremo pro cuiusque ingenio pecuniam, honores pollicendo, minitando, obtestando alium alio modo excitare. Hi ergo prælium redintegrarunt. Pugnatur vtrinque magna vi. sed Barbari nostris cædere coacti sunt. Nostri enim fossam quandam egerant, in ea duo mediocria tormenta collocarant, quibus pluteum firmiorem (corio etiam per latus munitum contra ignes) per latus peterent. Is primo tormentorum iactu comminutus, & quadraginta milites sub eo lacerati. Quin & eadem nocte, qui in altero oppido ad Castellæ propugnaculum stabant, eruptione facta omnes hostis munitiones corrumpunt, barbarósq; ex aggere deiectos fundunt. in eo loco hostium fuêre trecenti, nostrorum tantum viginti quinq;, cum quibus tamen illi congredi noluerunt. Alterum cuniculum nostri ad castellæ vallum egerãt, eadem de causa. sed cum viderent, quod facile ab hoste suas munitiones reficiente deprehenderetur, ipsi ignem apposuêre, cuius impetu repente sexaginta Turcæ, qui ibi erant, in aerem sunt dissipati.

Toletanus prorex Siciliæ Melitensibus succurrit. Dum hæc fierent Garzias Toletanus cum classe Syracusis profectus, Pachynum versus secundis ventis iter dirigebat. Ibi nauis oneraria in mari conspicitur, tempestate in eum locum delata, Ea ex Meninge insula commeatum, puluerem sulphureum, & globos in Turcarum castra deuehebat. Hæc nostris conspectis deditionem fecit, quam Toletanus (socijs naualibus permutatis) Syracusas misit.

cúmq;

cúmq; secundo cursu Melitã versus classis procederet, tanta repentè exorta est vis ventorum, vt ad Aegusam insulam ducentis & viginti millibus passuum à Melita versus occasum distantem, reiicerentur. Iámq; primus dies septembris erat, cum literæ à Toletano ad Valettam adferuntur, quibus se breui ad insulã cum classe adfuturum significabat. Eodémq; die Christianus è Turcarum nauibus, vbi captiuus erat, in Angeli oppidum fuga elapsus, affirmabat, in Turcarum castris paucos esse ad pugnam idoneos. Illud etiam addebat, eos de Melita vrbe obsidenda cogitare, iámq; murales machinas quinq; ad id in prõptu esse, nam & superioribus dieb. duodecim equos, & proximè quatuordecim ex præsidio Melitẽsi captos. Interea classis iam tranquilliori mari se Drepanum receperat, vnde Gaulon versus nauigauit. In itinere autem binæ Ioannitarum triremes Liburnicas duas Turcarum conspicatæ, in eas impetu facto ceperunt, & vnà cum classe abduxerunt. sunt autem Liburnicæ leuiores biremes quæ ob celeritatem & leuitatem non mediocriter ad prædandum accommodatæ, quæ vulgo Bergantini dicuntur. sic quinta septembris die ad Gaulon insulam peruenerunt. Cæterum cum Toletanus è Melita nulla signa videret, quibus fretus descensionem faceret, Pozallum est reuersus, quo Auria eum secutus est se signa vidisse affirmans. vnde Garzias postero die prima noctis vigilia ad Gaulon insulam rediit. 1565

Die eodem quidam perfuga Christianus à Turcis ad nostros transierat. is Valettæ principi dixit se idcirco effugisse, vt ei lætum nuncium afferret, scilicet Turcas postremò fortunam in Michaelis castello oppugnando tentare statuisse, id quod in sequenti die essent facturi. quod si ex sententia ipsorum procederet, mansuros, sin minus, prorsus abituros. Vt autem id maiore animo facerẽt, Mustapham signiferis qui primi signa in mœnibus fixissent auri talenta quinq; præmium proposuisse, eósq; ad superiores militiæ ordines promoturum, reliquos pecunia aut honore remuneraturum. Valetta ratus hæc sibi Dei nutu significari, ei gratias agere, deinde quæ vsui essent ad hostes repellendos diligenter apparare. Turcæ totum eum diem Nouæ vrbis domos nauésq; in portu stantes tormentis percutere, quibus etiam nauis magna depressa est. At Toletanus mane ad Melitam classe appulsa, copias in insulam propere diluculo exponit. Dúmq; naues eius ad Gaulon aquantur, is cum exercitu ad quatuor stadia progressus, præfectos militum quid factu opus sit docet, monétq; vt omnia edicta regis Hispaniarum nomine fiant, donec ad Magnum ordinis Magistrum perueniant, tum ei sicuti regi omnes pareant. Ita paucis cohortatus eos Melitam proficiscentes reliquit, & circa meridiem ipse se ad naues recepit, ac vniuersa cum classe ad Orientem versus nauigans, in Melitæ vrbis conspectum venit, quæ tribus millibus passuum à Meridiano littore abest. qua conspecta Melitenses omni genere tormẽtorum lætitiæ signum dedêre. quibus & ipse bis tormentis explosis respondit. Deinde in Siciliam rediit, vt Vrbinatis principis cohortes quæ Messanæ erant, acciperet, & mox Melitam versus rediret, quo abeuntẽ Turcarum classem à tergo insequeretur. *Mustaphæ suis præmia proponit.*

Turcæ vero, qui an Michaelis oppido potiri possent postremo experiri in animo habebant, iam aliquot dies ante classis aduentum vasa colligere cœperant. Cæterum vbi de classis aduentu & copijs expositis audiuerunt, repentè alij ad arma, alij ad vasa conclamant, & simul trepidi sibi quisque consulit. alij fugere, alij arma capere, pars ad munitiones & tormenta accedere, & impedimenta ad naues trahere. Id cum illi qui in Angeli oppido erant cernerent, non expectato Magistri imperio, eruptione facta ad Burmolam, vbi Turcarum aliquot cohortes tormentum ingens custodiebant, magno impetu procurrunt. Cæterum Barbari relicto tormento se in fugam concitarunt, nostri tormentum in oppidum traxerunt. Quòd si eo die recentes nostræ copiæ hostium tergo, dum ad naues concurrunt, institissent, aut victoriam impetrassent, aut pleraq; machinarum bellicarum parte potiti essent. sed illi vetus rei militaris *Turcarum trepidatio.*

1565 taris dictum secuti sunt, quo monemur, Hosti abeunti viam sternendam, pontémq; vel argenteum faciendum. Quo factum vt Barbari pleraq; impedimenta & machinas bellicas nauibus imponerent.

Turcæ prælio victi.

Dum Turcica classis è portu Museto educitur, die vndecima septembris perfuga natione Ligur ad Valettam propere venit, eique significauit Turcarum ad decem millia Melitam versus tendere, vt nostris copijs occurrerent. Ea re audita Magister magnam militum manum ad S. Elmi arcem ire iussit, qui in ea sacræ militiæ vexillum figerent. Profecti viginti quatuor tormenta ibi inuenêre, quæ Turcæ inde tam citò extrahere non potuerant. Turcarum autem classis ad S. Pauli portum transiuit, ibique septem millia militum vnà cum Mustapha in terram exposuit. Audierant enim nostros trium millium numerum non excedere. Inde audaciores facti vrbem versus procedunt. sed nostri ad pugnam iam parati Barbaris obuiam tendunt. Vbi vtrique in collem quendam venissent, clamor ingens exoritur, ac prælium inter primos incipit, & multi vtrinque cadunt. At nostris numero & robore inualescentibus, Turcæ terga vertere, nostri insequi, cædere, fundere, donec illi in naues compellerentur. in eas dum certatim sese immittunt, circiter quadringenti in mari perierunt. cæsi autem ad duo millia. In naues igitur compulsi, in sequentem diem & noctem in eo portu constiterunt. mox autem luce ineunte ad tormenti bombum (quod erat abeundi signum) Græciam versus vela direxerunt, Melita insula vastata & inope relicta, oppidorum etiam muris solo æquatis. nam ictuum muralium tormentorum septuaginta octo millia, quibus loca insulæ concussa sunt, fuisse memorantur.

Melita à Turcis liberata.

Pulsis è tota insula ingenti cum clade Turcis, Valetta princeps magna gloria victor præcationes Deo opt. max. decernit, fortibus viris præmia distribuit, ac vniuersis laudatis gratias egit. saucios etiam ac morbis affectos summa cura refecit. Cum autem tot nobilium equitum sui ordinis interitum cognouisset, illorum fatum deplorauit, ac hinc inde conquisitos honorificè sepulturæ mandauit. Eorum fuerunt ducenti quadraginta, viri sempitèrna laude ex varijs nationibus dignissimi. ex alijs autem nostris, ad quinque millia desiderati. E Turcis verò cecidêrunt in omnibus prælijs ad viginti quatuor millia, & inter hos quos Solymannus habuit omnium præstantissimi. Quare si quis difficultates nostrorum, quas per quinque menses fortiter sustinuerunt, diligentius consideret, si perpetuos labores in tam diuturnis & crebris oppugnationibus & prælijs, vix vllam militarem virtutem multis seculis clarius enituisse intelliget, quæ possit cum magnitudine Valettæ & huius ordinis equitibus comparari. dum pertinaciam hostis vicerint, & turpi quasi fuga recedere coegerint. Postea quoque Valetta de ruinis instaurandis consilium capit, atque in his omnibus itinera & consilia hostium explorauit, nihilque in victoria remissum patitur. In primis verò ad ordinis sui priores in varias prouincias scripsit, huius belli pericula exposuit, atque admonuit, vt quicquid rerum superesset colligant & Melitam transmittant, quo celeriter omnia restaurari, atque commeatu, armis, viris refici possint, ne Turca fortassis futuro anno cum classe reuersus Ordinem sacrum imparatum opprimat. Præcipuè verò Georgium Alemanniæ priorem eius rei per literas admonuit, quarum exemplum mihi princeps liberalis ostendit, atque vt aliquando in historias sui ordinis (de qua mecum agere incœperat) referrem, humaniter petijt: quæ sic sonant:

Valetæ literæ ad Georgium Bombastum.

Frater Ioannes Valetta Magister Hospitalis Hierosolymitani, Venerando & religioso in Christo nobis charissimo fratri, Georgio de Hohenheim dicto Bombasto, prioratus nostri Alemanniæ priori, Salutem dicit. Et si non dubitamus, quin ex multorum literis & relatu iã intellexeris aduentũ classis Turcicę ad has insulas, imò ordinem nostrũ inuadendum & penitus delendum, fœlicémq; & diuinitus de ea à nobis habitam victoriam: tamẽ illa ipsa, si nostris etiam literis ad te perferrent, multo

multò tibi iucundiora futura putauimus. Nam cum certò nobis persuasum sit, te in hoc tam fœlici quàm salutari successu Deo opt. max. gratias esse acturum, fructúmque huius beneficij ad te, propter dignitatem quam in nostro ordine geris, maximè peruenturum, libenter tecum commune hoc gaudium pariter gaudere constituimus, planeqúe ac palàm testificari, hanc tam insignem tamqúe admirabilem victoriam nos Domino Iesu Christo summo regum Regi, ac bonorum omnium auctori, referre acceptam. Quòd vt meritò & libentius facere possis, rem omnem, non longis verbis (id enim esset Historiam scribere) sed summatim & paucis explicabimus. Sultanus Solymannus Christiani nominis & præsertim Ordinis nostri acerrimus hostis, non contentus nos clarissima insula Rhodo, arcéque Tripolitana, fortunisqúe penè omnibus iam expoliasse, non aliud cogitans, nisi qua ratione nos ante alios penitus delere atq; extinguere posset, classem instructissimam & numerosissimam aduersus nos parari iussit, quæ Byzantio vndecimo calendas Aprilis soluens, decimo quinto calendas Iunij appulsa est: constabat ea classis ex triremibus, biremibus, alijsqúe nauigijs fermè ducentis quinquaginta. Hostium numerus pugnatorum veritati propior fuit plus minusúe quadraginta millium. Præfectus exercitus terrestris Mustapha Bassa, classis verò Pyali Bassa, qui paucis diebus transactis, in exonerandis in littus commeatibus, & speculandis locis, figendis tentorijs, alijsqúe (vt fieri solet) ordinandis, arcem sancti Elmi (quæ in faucibus portus sita est) magno impetu, maximáque tormentorum vi inprimis oppugnare cœperunt. Idqúe cum plures dies labore non intermisso fecissent, ac magnam murorum partem aperuissent, omniqúe missilium telorum genere impugnassent, virtute tamen & industria nostrorum Equitum aliorumqúe militum, triginta quinque dies propugnata & defensa est, magna cum clade & cæde hostium, licet arx ipsa iudicio multorum uix ad paucos dies contra tantam vim defendi posse videretur. Tandem octauo calendas Iulij, cum nostri multitudinem & impetum inimicorum sustinere non possent, terra mariqúe circumdata ac intercluſa, omniqúe auxilio destituta, paucis nostris qui supererant trucidatis, à Turcis arx ipsa capta est. 1566

Qua victoria elati arcem & oppidum S. Michaelis, & hanc nouam ciuitatem, præsertim ad propugnaculum Castellæ & Lusitaniæ, oppugnare incœperunt. pluribúsque locis magna diligentia, maioriqúe machinarum & tormentorum bellicorum impetu & numero (more suo) mœnia quatere atq; deijcere aggressi sunt. Quam oppugnationem horrendam & stupendam effecerunt in primis Turcarum exercitus, terra mariqúe apprimè tremendus. mox ingentia, nullibiqúe locorum tam horrendæ molis furibundique impetus tormenta, globos ferreos saxeósque quinq; septémq; palmorum rotunditatis, interdiu noctúque iacentia, quibus non modò crassissima mœnia dirui, sed etiam montes subuerti possent. quorum vi mœnia ipsa plurimis in locis adeò corruerunt, vt facilè plano pede ascēdi possent. Quę cum Barbari ipsi sæpius magno impetu ingredi tentassent, toties magna cum strage & ignominia, permultis eorum occisis ac vulneratis, repulsi & reiecti sunt. Præfecti autem tam maris quam terræ, postquam tot locis omnibus copijs obsidione oppugnationéque ferme quadrimestri, summa vi frustra oppugnassent, & maiorem partem suorum veteranorum militum amisissent, hyeme præsertim iam instante, quo omnia bella iure gētiū cōquiescere debēt, nihil aliud prętęr receſſum seu potius fugam meditati sunt, quam maturare coegit Garziæ à Toledo Sicilię proregis ac præfecti classis regis Hispaniarum cum subsidio & auxilio decem millium militū & selectorū virorum auxilia, inter quos erāt ad minus ducēti & quatuordecim Equites nostri, ac plures alij nobiles & generosi viri, qui sola Christiana pietate cōmoti, voluntariè ex diuersis mundi partibus concurrerunt, opem & auxilium nobis allaturi. Habes summatim & paucis progressium ac fugam Turcicæ classis, victoriámque de ea diuinitus à nobis obtentam. Tuum erit considerare & *Actorum eō memoratio.*

1566 re & conijcere, quo in ſtatu Ordo ac inſula hæc in præſentiarum ſit & reperiatur, in quam paupertatem redacti ſimus, quantis rebus indigeamus, quibus niſi ope & auxilio fratrum noſtrorum, præſertim tui ſimilium, vt ſperamus & credimus adiuuemur, actum erit de rebus noſtris. Bene vale. Melitę ſeptimo idus Octob. anno 1565.

Melitenſes ſe ad bellũ denuo parant.

Interea Valetta vbi ſe hoſtili obſidione liberatum vidit, nullũ totius hyemis tempus intermiſit, quin ſemper de futuro bello cogitaret. Quia vero arces & loca diruta inſtaurari oportebat, plurimiſq; rebus indigebat, quas ſibi ad reprimendos Turcicos conatus neceſſarias eſſe intelligebat, miſit quoq; literas & nuntios ad Põtificem Rõmanum, Cæſarem, Regem Hiſpaniarum, & reliquos Chriſtianos principes, quibus eos hortabatur, vt communem cauſam adiuuarent, ſibiq; opportuna ſubſidia mitterent, alioqui relicto militari præſidio in propugnaculis Melitẽſibus, inde cum reliquis Equitibus qui ſupererant ſe in Siciliam commigraturum, & hac ratione ſibi & ſuæ religionis hominibus proſpecturum, antequam denuo Bizantinam oppugnationem experiri cogeretur. Pontifex & Hiſpanus, audita legatione, ſtatim decreuerunt illi auxilium ferre. Itaq; Papa curauit in promptu haberi tria millia peditum armatorum, duce Proſpero Columna. miſitq́ interim ad Melitenſem principem aliquam ſummam numeratæ pecuniæ. Hiſpanus quoq; illum pecunia adiuuit, & Imperatori Auguſtæ Vindelicorum Comitia celebranti per legatos ſignificauit, vt liceret ſibi quatuor Legiones Germanicas conſcribi, quæ quadraginta ſigna peditum conſtituebant. Idq́ue ei Maximilianus liberaliter conceſſit. Delectu igitur habito Ladronij fratres, & Ioannes Baptiſta ab Arch, ac Hannibal Altempſis exercitum in Italiam deduxerunt. Ex his decem ſigna Guletam tranſmiſſa, decem in præſidia oppidorum Galliæ Ciſalpinæ collocata, decem Neapolim perducta, & decem Melitam tranſuecta. Luſitaniæ quoq; rex aliquot aureorum millia ordini equitum in ſubſidium miſit. Cæterum vbi auditum eſt claſſem Othomanicam ineunte æſtate non reuerſuram, collecti milites dimiſſi fuerunt, maiúſq; ſtudium & diligentia eſt adhibita in propugnaculis, totáq; inſula reſtauranda & munienda, potiſſimum ea parte quæ hoſti opportunior eſſet, quaq́ue facilius capi poſſe ex præteritis periculis videbatur.

Chius inſula dolo à Turcis occupata

Diximus autem prius claſſem Turcicam relicta Melitenſi obſidione Byzantiũ verſus receſſiſſe. Hæc igitur, & ſi antea ſemper in itinere per inſulam Chium tranſiret, tamen alio nunc diuertit. ſciebant enim præfecti Solymannum contra eius loci incolas maximè indignatum, quod toto eo tempore, quo durauit Melitẽſis obſidio, præfectus Chius quicquid apud Turcas gereretur Valetæ ſignificarat, atque duorum annorum tributum Solymanno perſoluere neglexerat. Illud erat quotannis decem millium aureorum. Nec etiam conſueta munera purpuratis mittebantur, qui ideo magis Tyrannum incendebant. Itaq; Solymannus Piali Baſſæ negocium dat, vt quam primum claſſe parata inſulam inuadat, eámq; vel arte vel vi expugnet, omniq́ue libertate exutam totam in ſuam poteſtatem redigat. Is protinus dicto obtemperans cum claſſe octoginta triremium, 15 Aprilis anno 1566, ad inſulã Chium appulit, quo quidem Chriſtiani feſtum Paſchatis celebrabant. Inſulæ primares claſſe conſpecta illico legatos cum commeatu ad Baſſam miſere, & portum pro nauigijs & quicquid opportunum eſſet benignè obtulerunt. Eos Pial comiter excepit, ac extemplo in tribus locis portum occupari iuſſit. Ibi poſtea deſcenſionẽ faciens vrbis præſidem & duodecim viros primarios ad ſe in caſtra euocauit, ſibi enim ex Imperatoris ſui ſententia quædam cum illis conferenda eſſe, antequàm exercitum Melitam aut in Apuliam transferat. Ergo habita deliberatiõe, magno metu ad ipſum profecti ſunt. Is mox ingreſſos capi & compedibus alligari iuſſit. Milites poſtea rectà in prætorium pergentes facilè occuparunt, & nemine repugnante oppidi vexillo (in quo erat inſigne D. Georgij cum rubra cruce) ſublato Turcicum erexerunt. idémq; factum per totam inſulam magna Turcarum lætitia. Poſtea templa diruerunt, eáq; ſuo ritu conſecrarunt. Incolis quoq; ibi commorandi aut recedendi facultas data. Mox etiam præfectus vrbis & Senatores cum eorum familia

lia quinq; nauigijs Byzantium transmissi, nouusq; magistratus ex Turcis constitutus, & Mahumetana sacra inducta. Tandem Pial præsidio ibi relicto inde soluit, & cum suis rectà Iapygiam versus contendit. Ibidem Turcæ prædabundi vicos ac ædificia incenderunt, multósq; mortales captiuos secum abduxerunt. Cum enim Hispanus arces & oppida illic præsidijs antè muniuisset, Barbari re infecta discedere cogebantur. Eodem tempore Pius 4 pontifex discessit & Pius eius nominis quintus in die Decembris successit. 1566

Dum hæc circa Melitam insulam fierent, Maximilianus Imperator cum Imperij principibus Augustæ Comitia celebrabat, vt Turcas in Pannonia inuaderet atque eorum impetum à Melitensibus auerteret. Cum itaque principes frequentes tandem ibidem comparuissent, septimo calend. April. omnes Imperij ordines conuocauit, & necessitatem proposuit, qua cogeretur se contra Solymannum armare, quem certò constabat maximis cum equestribus tum pedestribus copijs paratis in Pannoniam venturum eo consilio, vt mox Viennam inuaderet. Itaque plurimis cohortationibus contendebat, vt cæteris controuersijs postpositis, tantum præsenti negocio animum intenderent, atque rem de auxilio præstando citra moram exequerentur, vt viribus coniunctis Imperij maiestas & amplitudo illæsa permaneret. quod si pristinam virtutem, quam prius patruo Carolo & Ferdinando patri declararant, erga se quoq; ostenderent, se daturum operam ne tanti beneficij memoriam ex animo vnquam obliteraret. petebat autem per octo menses octo millia equitum & quadraginta millia peditum: postea per tres annos continuos partem mediam. idq; totum in signata pecunia, quæ (pro vt se belli occasio offerret) militibus distribueretur. Principes re deliberata statuerunt, se Cæsari per octo menses tria Romana auxilia, id est duodecim millia equitum, & peditum viginti millia, & per biennium & anni dimidium quatuor equitum millia concessuros. Cum autem Maximilianus vrgeret & maiora auxilia peteret, principes non modò liberaliter concesserunt, sed etiam multi in hanc militiam se sponte ituros pollicebantur. Erat enim Imperator pius, eloquens, & humanissimus, id quod ipse tum Augustę præsens satis supérque intellexi, cum tertiò ad ipsum admissus opus meum de Illustribus viris Germaniæ offerrem, atque regalia munera cum Comitis Palatini dignitate præter expectationem ab eius Maiestate summa liberalitate acciperem. Loquebatur Imperator Latinè, atque inter alia de Republica Basilienſi mecum conferebat, idq; tam ornatè, vt eam eruditionem, prudentiam & humanitatem in tanto principe admirarer. *Maximiliani Augustana comitia.*

Illis quoq; diebus Carolus Archidux Austriæ Cæsaris frater Posonij conuentū Vngarorum indixerat, in quibus Vngariæ proceres affuerunt, quos tam benignos & faciles inuenit, vt omnibus eius postulatis assentirētur, seq; vnà in eam expeditionem profecturos dicerent, si aut Cæsar aut aliquis ex fratribus Germanis huic bello interessent. His confectis rectà in vrbem Viennam iter tenuit, ibiq; hoc idem ab Austriacis proceribus impetrauit. Dum hęc fierent Ioannes Vayuoda subinde maiores copias instruebat, & viribus augebatur. scripsit etiam literas ad vrbes & proceres Hungariæ, quibus eorum animos ad sui studium pertraheret, idq; ex Solymanni Turcæ sententia, qui mox ipse cum exercitu venturus esset. Hortabatur quoque eos vt sexto Idus Martij Thordæ omnes conuenirent, atq; secum de rebus statuerent. Id cum Lazarus Suendius cognouisset, qui tum iuxta oppidum Vngariæ cum suis copijs morabatur, alias protinus literas conscripsit, atq; Hungariæ proceribus dissuasit, ne vel Vayuodæ vel Turcæ consilia sequerentur, qui eorum interitum potissimum respicerent, sed potius Maximiliano Augusto Imperatori obtemperarent, qui Christianorum communi subsidio ipsos defendere, ac in pace conseruare statuisset. Hácq; ratione factum, vt partes inuicem sese inuadere & opprimere inciperent. idq; præsertim in Turcis spectabatur, qui varijs incursionibus Pannoniam infestabant, & Cæsarianis damna inferre cupiebant. Hinc accidit cum præfectus oppidi Ainatschi cum præcipuis militibus Agriam negociorum *Bellum Imperij contra Turcas decretum.*

1566 causa profectus esset, ipsi die S. Georgio sacrato scalis admotis oppidum vi occuparint, & omnes ibi deprehensos occiderint. Mox etiam Segithum oppidum oppugnare statuerant. Verum Nicolaus Serinus eius arcis præfectus, protinus hostē cum suis aggressus, prælio decertauit. Erat conflictus vtrinque acer, horribili cum clamore & impetu, qui vario euentu ad quatuor horas productus, sed tandem hostes in fugam versi, plurimis eorum cæsis atq; vulneratis. Postea quoque prope Iulam, Iauarinum, & reliqua loca prædabundi excurrebant, & plurimis damnis nostros subinde afficiebant.



Solymanni in Vngariã aduentus.

Ob has causas Cæsar quæ ad bellum opportuna essent sedulò parabat, & militaribus præsidijs à Germaniæ principib. impetratis circa finem Maij Comitia dissoluit, atq; copiarum præfectis vt milites passim conscriberent iniunxit. Horū præcipui erant Philibertus Marchio Badensis, Georgius Comes ab Helffenstein, Gütherus Comes à Schvuartzenburg, Christophorus Liechtensteinius, Nicolaus ab Hatstatt, Vvilhelmus Vvellerthunus, Ludouicus Vngenadius, Burchardus Barbus, Iacobus Schellenbergus, Georgius Praunus, Christophorus Schellendorfus Bernhardus Hardecus, & Zacharias Grumbergus. Discedentibus hisce cunctis ad sua munia, Cæsar quoque Augusta discessit, & ad Viennam iter intendit. Audiuerat enim Solymannum cum maximo exercitu Byzantio egressum, per Mœsiam & Bulgariam Belgradum rectà peruenisse, vbi etiam Iohannes rex eum conuenit, eiusque dextram deosculatus, se & suos ei commendauit. Eo tem-

tempore Suendius oppidum Huſt in finibus Tranſyluaniæ dira obſidione preme- 1566
bat. Prætor autem Budanus Palotam oppidum, quòd octauo lapide Iauarino diſta
bat, per octiduum fruſtra oppugnauit. Nam Georgius Thurigerus vir fortis ibi
præerat, atq; Barbaris egregiè reſiſtebat, donec ſpes noui ſubſidij affulgeret. Idibus
enim Iunij duodecim ſigna peditum Iauarinum venerant, duce Georgio Helffen-
ſteinio. Id cum Barbari cognouiſſent obſidionem ſoluerunt, ac fugientibus ſimiles
inſtrumenta quędam bellica ibidem reliquerunt. Itaq; à noſtris auxilia in oppidum
intromiſſa. Turcæ vero qui receſſerant propè Albam regalem caſtra locarũt. Hácq;
ratione in diuerſis partibus Hungariæ grauiſſimum bellum inchoatum.

Primò conuenerunt quatuor Legiones Germanici peditatus, Remero, Balder- *Imperatoris*
duno, Helfenſteinio, & Polvuilero ducibus. Equitum nigrorum erant ſupra vigin- *exercitus.*
ti millia, & quatuor millia Hungarorũ. Sabaudiæ dux quadringentos equites ſclo-
petarios miſit, acceſſerunt quoq; plurimi alij equites ac nobiles ex diuerſis Europę
locis, qui ſuis ſumptibus Cæſari egregiam operam nauare volebãt. In primis verò
Georgius Bombaſtus Imperij princeps aliquot ſui ordinis Rhodiorum equites in
Vngariam deſtinauit, atq; contra Barbaros fortiter pugnare iuſſit. Multi quoque
principes ac vrbes Italiæ ſtudium ſuum erga Cæſarem declararunt. Siquidem Gõ-
zaga, Genua, & Luca ipſum pecunia numerata iuuarunt. Coſmas Hetruriæ prin-
ceps tria millia peditum ſuis impenſis aluit, atq; Alphonſus Ferrariæ dux huic bel-
lo, cum ſplendido nobilium & fortiſſimorum virorum comitatu, intereſſe voluit.
Ordinarat Cæſar ſuper Danubium duodecim triremes ac triginta naues onerari-
as, quæ ſic aptabantur, vt nulla ſagittarum vi lædi poſſent, ac etiam inſuper impoſi-
ta fuerant plurima diuerſi generis tormenta. aderant ibi tria millia peditum maiore
parte ex Italica natione, quibus præerat ſtrenuus miles Philippus Flachius Germa
nus Rhodiæ militiæ eques, q poſtea inter principes recepus. Reliqua pars exerci-
tus varias machinas militares curribus deferebãt Iauarinũ, vbi omnes copiæ debe-
bant conuenire. In Auſtria quoq; edicto Cæſaris nobilitati iniunctum, vt ſinguli
proprio ſumptu ſe ad eam militiam accingerent, præſertim cum certò cõſtaret, So-
lymannum ſenem huic expeditioni interfuturum.

Turcarum verò exercitus in plures partes diuidebatur: pars erat ad Albam Re- *Veſprimium*
galem, pars ad Sigethum, vbi etiam Bellerbechus Aſię minoris præfectus cum in- *Turcis ad-*
genti exercitu expectabatur, vt oppidum expugnaret. Interim Eccius à Salma cum *emptum.*
parte ſuarum copiarum Iauarino egreſſus Palotam venit, ac inde ad Veſperinum,
quæ duo millia paſſuum aberat, acceſſit. Eam vrbem ſcalis admotis illicò oppugna
uit, hoſtem ex muro deiecit, portas combuſſit, vigiles trucidauit, ac vi in poteſtatẽ
redegit, omnibus Turcis ad internecionem cæſis. Ipſi enim ante aliquot dies om-
nes captiuos Chriſtianos crudeliter quoque trucidarant. Salmenſis relicto Veſpe-
rini Georgio Thurigero protinus inde Iauarinum rediit. Palotam verò Germani
milites defendebant. Poſtea Salmenſis oppidum Tartam inter Iauarinum & Co-
maram 28 die Iulij oppugnauit, atque ad deditionem præſidiarios adhortatus eſt.
Id cum facere recuſarent ſex bellicis tormentis tanta vi ac impetu oppidi mœnia di
uerberare cœpit, vt magnam eorum partem diſſiceret, ac tanta impreſſione inſta-
ret, vt portis fractis oppido potiretur, omnibus Turcis præter quinquaginta truci
datis, qui ſeſe in quadam turri includentes pactionibus dedidere. Inter hos erat
præfectus Veſprinij, & huius loci, cum præſidis Budani affine, qui Viennam illi-
co tranſmiſſi ſunt. Mox etiam noſtri vlterius progreſſi oppidum Geſterum oppu-
gnare decreuerant. ſed Turcæ proſpecto primo agmine, relicto cõmeatu & ma-
chinis militaribus ex altera parte inde aufugerunt. Idem etiam fecerunt, qui in ca-
ſtellis Vitha, Tſchokiku, & Sambok fuerant, qui bellica præſidia incenderunt, &
ſe in vrbem Strigonium receperunt. Hunc ſuorum ſucceſſum cum Cæſar audiret,
Deo gratias in omnibus templis dixit, ac certis horis publicas preces inſtituit.

Eo tempore Nicolaus Serinus Sigethi præfectus per ſpeculatores cognouit So *Turcarum*
lymannum Drauo flumine ponte cõſtrato exercitum traieciſſe, & copias aliquot *ſtrages.*

1566 militares duce Mechmetbego præmisisse, vt eum ad vrbem Quinq; ecclesiarũ expectarent. Itaq; statim mille pedites & aliquot equites, Casparo Alapiano & Nicolao Cobacho præfectis, in eos misit, qui aliquam rei benegerendæ occasionem nacti, eos quamprimum inuaderent. Hi ergo cum ad Turcarum castra venissent, proximo die sub ipsum crepusculum hostes palantes nihilque insidiarum metuentes aggressi sunt, & repẽtino metu perculsos alios ad fugam adigunt, alios vulnerant, plerosque interficiunt. Turcarum dux dum grauiter sauciatus fuga sibi salutem pararat, in locis palustribus occubuit. Huius filius cum nõnullis insignioribus captus & Sigethum perductus, præda ingens à nostris habita. Nam præter camelos & alia huius generis multa quoque vasa argentea, multúmque auri & argenti signati secum detulerunt. Id cum Cæsar cognouisset, copijs in vnum coactis totius militiæ præfecturam Ferdinando fratri tradidit, quo absente Comitem Schvuartzenburgum ei substituit. Tormentis verò & machinis militaribus Paulũ Iaderensem præfecit. Ipse verò pridie Idus Augusti cum maximo apparatu discedens Duci Pomeraniæ Imperatorium vexillum dedit, atque per Altenburgum & Posonium Iauarinum peruenit, vt ibi exercitus omnis lustraretur. Classis quoque Cæsariana duce Philippo Flachio equite Melitensi per Danubium eódem delatũ est. Mox etiam ex Italia Prosper Columna & Angelus Cæsius, atque ex Gallia Guisius, Brissacus, Zansacus, Stroza & alij splendido armorum cultu apparuerunt. Hi paulo antè ad insulam Melitam profecti erant, eo animo si Othomannica classis denuo ad eius loci oppugnationem redijsset, suam operam Rhodiæ militiæ Equitibus in eo bello nauarent. At cum res aliter succederent, recta in Pannoniam concesserunt, cum aliquot sacri ordinis viris fortissimis: Venerant & Vvolffgangus & Richardus Palatini Rheni, & ducis Bauariæ filius cum mille equitibus in castra Cæsaris.

Sigethum à Turcis obsessum.

Interea Mustapha Bosnensis & Catambeius Turcarum prefecti Drauo traiecto 13 calend. Augusti Quinqueecclesias peruenerũt, indéq; Solymanni iussu ad Albam Regalem profecti sunt, vt præfecto Budensi presidio essent. quos etiam Hasambegus cum multis militum cohortibus secutus est. Mox etiam Solymannus superato Drauo Sigethum versus rectà contendit, & Nonis Augusti primo lapide ab arce Sigethi castra metatus est versus ædem S. Laurẽtij. Erat ibi Nicolaus Serinus Hũgarus vir militaris cum duobus millibus bellatorum. Est id oppidum in finibus Pãnoniæ loco palustri natura & arte munitissimum. Id Barbari admotis machinis muralibus arcta obsidione cingunt, nihilque intermittunt, quod ad expugnationem facere videretur. In ea obsidione ab vtrisque multum & fortiter pugnatum, & varij conflictus habiti, hostésq; sępius repulsi, etiam ante Solymanni aduentum. Cum autem Imperator adesset, Turcæ summo diluculo nouam vrbem tribus locis adorti sunt, pugnatumque ad vesperam, & ferè per totam noctem sequentem. indeque accidit vt Serinus conspecta suorum cæde prima luce nouam ciuitatem incendi, & veteris portas occludi iussit. Hanc Turcæ 4 Idus Augusti varijs tormentis inuadunt, pluteisque tecti eò rem deduxerunt, vt 14 cal. sept. vetus oppidum expugnarint, & nostris priusquam ad pontem receptus daretur plurima damna intulerint. Proximo die etiam arcem aggressi, & magna strage inde reiecti sunt. Grauissimam autem oppugnationem 4. cal. sept. instituerunt die S. Iohannis decollationi sacrato, quo olim Belgradum, Rhodum, & Budam occuparant. Verùm omnis eorum conatus fuit irritus. Sed nequaquam animo consternati ad oppugnationem sępius redeunt, atq; cuniculis agere incipiunt, ita vt Nonis septemb. cœlo inalbescẽte maioris arcis propugnaculum accenderint, atq; ignis sua vi in arcem vsq; flammas emiserit. Turcæ hoc successu elati, protinus & alteram munitionem acri certamine inuaserunt, quę à Serino adeò strenuè defensa est, vt Barbari eo conflictu insigni strage afficerentur.

Sigethum vi expugnatũ.

At cum ferè omnia igne & incendijs conflagrarent, nostri continuò sese in arcẽ interiorem recipere statuerunt. eámq; ingressi portas occluserunt, & sese fortiter contra Turcas armarunt. Sed hostis 6 septemb. die, & sequenti etiam ignem in oẽs

domos

domos coniecit, vt omnia loca flagrare inciperent. Cum itaq; Serinus arcem vndi- 1566
quaq; incẽdi, iámq; nullum propugnationi locum relinqui animaduerteret, ſtatim correpto gladio foras egreſſus in plateam interioris arcis venit, ibiq; ſuos armatos ad prælium cohortatus eſt. præſtare enim fortiter pugnando vitã amittere, quàm in efferas Barbarorum manus deuenire, præſertim cum pro fide & patria certantes vitam æternam ſint ingreſſuri. Itaq; vexillo prę eunte, primus omnium diſtrictum enſem dextra & altera clypeum circumferens, foras exiuit, eúmq; ſtatim omnes q ſupererant ingenti animorũ alacritate ſequebantẽ, & in ipſo ponte cum hoſte pugnã ineũt. Ibi Serinus poſt aliquot Turcarum cædes bis ænea glande vulneratur, mox-que alterius tormenti pila in capite percuſſus humi decidit, & repentè animã Deo reddidit. Noſtri etiam amiſſo duce fortiter dimicabãt, ac in arcem redire ſtatuebãt. ſed plerique ab hoſte præuenti trucidantẽ, & qui in arcem venerant ad vnum omnes crudeliter occiduntur. Serini caput à Mechmeto, cuius authoritate omnia gerebãtur, Muſtaphæ Budano præſidi cognato ſuo tranſmiſſum, qui ſtatim ſerico inuolutum per agricolam ad Cæſarem in caſtra ad lauarinum ablegauit. Is eo viſo indoluit, & Balthaſaro Serini filio humandum tradidit, qui in paterna arce Tſchacaturna honorificè in maiorum monumento ſepeliuit. Sicq; Sigethum Chriſtianorum propugnaculum in Barbarorum manus deuenit.

Illis diebus Turca quidem magni nominis fuit captus & ad Cęſarem perductus qui ſupplex libertatem petebat & pro huius rei beneficio ſanctè iurabat ſuum regẽ fato extinctum. Verum nec Cæſar nec principes qui aderant fidem adhibebant, quia ipſis videbatur caſtra Solymanni, ſi eius mors interueniſſet, in ea quiete ac militari diſciplina conſiſtere non poſſe. Verum Mechmetus ſingulari prudentia Solymanni obitum ſuppreſſit, ac omnes in officio retinuit, ac ſi Imperator inter viuos ageret. Venerat Solymannus ex Thracia in Pannoniã cum ingentibus copijs, & eas in plures partes diſtribuerat. Magnam enim partem in Tranſyluaniam miſit, duce Feratho purpurato, ad expugnandam Iulam. alteram ad Sigethum ſecũ retinuerat, vt illic re bene geſta rectà Viennam contenderet. Cæterum cum is ſenio cõficeretẽ, & diuturni itineris labore defatigatus eſſet, ac anxius videret ſuos milites in crebra & acri Sigethana oppugnatiõe multoties noſtrorũ virtute reiectos, in dyſenteriã decidit, qua 3 non. ſeptemb. eſt mortuus, ano ętatis 76. ſtatura fuit ſupra mediocrẽ, habitu graciliore, ceruice oblonga, ore candido & exangui, oſſeo ferè naſo eóq; aduncо. In ſeruanda fide erat cõſtãs, liberalis, & magnificus, ita vt multi affirmarint, ipſo tãto imperio dignũ, niſi Chriſtianæ fidei cognitio in eo deſiderata fuiſſet. Cæterùm Mechmetus ideo eius mortẽ occultauit, ne miles ſuo principe orbatus, ſigna & ordines deſereret ac res ad defectionẽ inclinaret, militésq; à ducũ impio deficerẽt, pſertim cũ dubio adhuc Marte ad Sigethũ decertareẽ. Statim etiã fideles nũtios Byzantium ablegauit, atq; Selymum de patris obitu certiorem fecit, admonẽs vt ſumma celeritate ad ſe in caſtra Pãnonica aduolaret, ac Impiũ ſuſcipet.

Solymannus in Vngaria obijt.

Eodẽ tempore quo Sigethum obſeſſum etiam Iula à Turcis grauiter oppugnata, arx in confinio Pannoniæ verſus Tranſyluaniam ſuper Lacu Sarcad ſita. miſerat eò Solymannus quadraginta millia virorũ, qui Turcica & Scythica nationẽ cõſtabant, duce Parthau. Dum hoſtis eam obſidere inciperet, aquarum inundatione impeditus illinc paulatim recedere ſtatuit. Noſtri autem eo cognito ſtatim poſtremũ agmen inſecuti ſunt, & vtrinq; multi interierunt. Cæterum haud multo pòſt reuerſi oppidum arctiſſima oppugnatione preſſerũt, eiúsq; muros plurimis tormentis cõcuſſerunt, vt obſeſſi in magno periculo eſſe viderentur. Paucis poſt diebus, cum illi remiſſius agerent, noſtri noctu eruptione facta in eorum caſtra excurrerunt, multísq; occiſis aut profligatis, bellicas aliquot machinas abduxerunt, alias verò ſtilis ferreis per ſpiramenta adactis confixerunt. Præerat ibi Ladislaus Keretſchenius. Is pertæſus diutinæ grauísq; oppugnationis, motúsq; inopia rerum & auxilij deſperatione, vel amplis promiſſis (vt quidam cenſent) allectus 4 non. ſeptemb. deditionem Turcis fecit. Conditiones erant, vt præſidiarij incolumes, ſaluísq; rebus dimit-

Iula Turcis dedita.

1566 rerentur, ac vt sibi currus, arma, & reliqua impedimenta secum deferri liceret. Rebus sic transactis arcem & oppidum Turcis tradiderunt. Keretschenius in regium prętorium adductus, & reliqui discessére. Vix autem mille passus ab vrbe distabāt, cum Barbari nostros duabus turmis inuaserunt. Illi cum se peti insidijs viderent, cō nexis cūrribus armisqúe correptis acriter hostilem impetum sustinuerunt, præsertim Germani, qui globorū procellis plerosq; vulnerarunt aut interfecerunt. sed tandem hostium numero deuicti perpauci eorū manus effugerunt, qui in propinquo arundineto seruati sunt. Quidam postea ad Cæsarem venerunt, & Keretschenium vt perfidum accusarunt, quasi omnes ab eo fuerint proditi.

Georgij Thurigeri virtus.

Cum Cæsareana castra ad Iauarinum consedissent, Turcæ quorum triginta millia ad Albam Regalem erant, crebris velitationibus nostros ad prelium lacessebāt. Nonis autem septembris magnus eorum numerus castris egressus suos speculatores miserunt, vt viderent quid Cæsar moliret. Inciderunt illi in vigiles, quos haud munitos inuenerunt. Itaq; ad suos reuersi, rem vt viderant indicarunt. statimqúe communi consilio in eos irruentes plerosq; in fugam verterunt, & aliquot aurigas occiderunt, qui pabulatum exierant. Repente in castris tumultu orto, Hungari, Burgundi, & Austriaci exierunt, & fugientes hostes insecuti multos trucidarunt & ceperunt. Georgius Thurigerus tum agnoscebat Albæ præfectum, qui erat Solymanno à consilijs. itaq; in medias hostium turbas insiliens, tandiu persecutus est, donec viuum apprehenderet. Hunc vbi ad Cæsarem adduxisset aureo torque est donatus, equésq; auratus constitutus. Aderat tum fortè Hispanus qui Byzantij ex eo audiuerat, se solum velle & posse Germanicum regem debellare, tumqúe illi hæc verba coram Cæsare exprobrauit: tum alter respondit: Hanc esse belli fortunam, se iam seruum & nihil posse. Inde est Viennam ad custodiam missus. Postea nostrorum aliqui cum Thurigero Albam versus profecti vt specularentur, quid hostes agerent. Cum propè ad vrbem accessissent, inuenerunt Turcas se quoque aggeribus & vallo muniuisse, vt nostri ad Iauarinū. In reditu verò haud parua Turcarum manus obuiam facta, à nostris profligatur, ita vt magna præda potiti sint.

Turcarum variæ excursiones.

Illis etiam diebus Carolus Archidux Austriæ in Balbotia Illyrica cum hoste leuiora prælia gerebat, multisqúe incursionibus vtrinq; certabatur. In conflictu etiā aliquo celebrem Turcarum præfectum ad flumen Sleuna cum quatuor millibus equitum superauit, & in fugam coniecit, eúmq; procul dubio intercepisset, nisi vicinitas maximi exercitus (qui tum ad Sigethum erat) ipsum reuocasset. Nam in oppido Coturno inter Drauam & Muram sito se ipsum vallo & fossis contra Barbarorum vim & insidias communire cogebatur, præsertim cum Turcæ qui in obsidiones Sigethana fuerāt omnia loca finitima cæde, rapina, ac incendijs immaniter vastarent, multósq; captiuos abducerent. ita vt ad Sabariam oppidum vsq; excurrerent, quod quidem à Cæsarianis castris duum tantum millium spacio aberat. At ex huiusmodi populationibus rerū periti colligebāt Solymannum cum suis Byzantium reuersurum, præsertim quòd audirent in Turcarum castris esse rei frumētariæ ac pabuli penuriam. plurimi etiam suspicari cœperant Solymannum iam fato functum, ideóq; Turcas post agros de more vastatos Byzantium recessuros. Verum certus Tyranni obitus Maximiliano Cæsari admodum sero innotuit, quod & ipsi & alarum præfectis admirationi fuit, cum animaduertissent, quanta sagacitate Mehemetus eius mortem tam alto silentio inuoluerit, vt in tanto exercitu ne vni quidem ex pretorianis, Ianizeris, Asappis, aut reliquis militibus innotuerit. Hoc enim si accidisset, facile illorum animos excitasset, vt armis correptis regium thesaurum prædati essent, atq; ab ordine recessissent, id quod Maximiliano ad singularem victoriam magnum aditium procul dubio præbuisset.

Selymus Turcarum Imperator.

Selymus erat eo tēpore Chietfeli trium dierū itinere à Byzantio. Vt primùm is Mehemeti literas legit, & à Ianizerorū præfecto (Capi Aga vulgò dicto) & à Prothomedico obsignatas vidit, Byzātiū versus properauit, ac splēdido comitatu vrbē intrauit. Huc vt peruenit statim Gyneceum ingressus est, moxqúe Bostanges manu ap-

nu apprehendens, illum in regium cubiculum solis Turcicis Imperatorib. assigna- 1566
tũ perduxit, quod auro & gemmis erat præstantissimũ. His maturè perfectis sexto Cal. Octob. vrbe est egressus, factisq; magnis itinerib. ad castra properè contendit. Interea Mehemet vastata Vngaria exercitus reliquias Byzantium reducere, atque regno Selymo tradito omnia disponere cõstituit. Amiserat Tyrannus in hoc bello supra centena hominum millia, ex quib. sub sola Sigethi oppugnatione viginti millia perijsse dicuntur, cum sex millibus Ianizeris, & tribus purpuratis Miserkio, Alyborto, & Capitschio. subinde tamen suas copias recenti milite ex varijs prouincijs restaurauit, & semper ad centũ & quinquaginta millia hominum in castris habuit. Cum haud procul Selymus ab vrbe Belgrado esset, exercitus Turcicus obuiã venit erectis vexillis, tubis, ac tympanis, ouanti similis. Solymanni vero cadauer in lecti ca ferebatur, quem oẽs viuere existimabant. Ibi Selymus atra penula indutus corpus paternum inspexit, fleuit, ac equo descendit. id quod etiam oẽs purpurati fecerunt. Vt autem tum demum Solymãni mors omnibus innotesceret, omnia vexilla cuspide ad terram submissa, ac silentium cunctis indictũ. Paulo post Selymus princeps sonora voce acclamatus, ac noui Impatoris alia vexilla erecta. qui etiã dignitate excellebant gradatim eius manus exosculati sunt. Postea Byzantiũ, pgressi cadauer in Mausoleo pretioso magna põpa collo carũt, q; Solymãno viuo sibi faciẽdũ curarat. Fuit eis mors Christianis vtilissima, vt q; in Pãnonia hybernare, & futuro anno terra mariq; Pannoniã supiorẽ & Melitam insulã summis viríb. aggredi statuerat.

Dum Turcarum copiæ ex Vngaria recesserant, coci cuiusdam incuria lauarinum oppidum (vbi Cęsaris castra erant) ferè totum exustum fuit, magno prouincialium incommodo, qui suas opes & variam supellectilem eò contulerãt. Paulo post cum brumale tempus appeteret Maximilianus castra soluere instituit, & Salmensem cũ præsidio firmo lauarini reliquit, qui oppidum instaurandam curaret. Itaq; ipse Viẽnam, & Ferdinandus Pragam se contulit. Ibi Cæsar Germanicas legiones dimisit, ac quatuor signa Comariam insulam custodire iussit. Paulo pòst & principes & pceres variarum nationum discesserunt, quibus Cæsar pro liberali animo gratias egit. Inde in Austria, Morauia, Bohemia & Vngaria conuentus egit, atque contra Turcarum insolentiam subsidia impetrauit, quibus Imperij fines custodirentur, atque in primis Suendio contra Transyluanum bella gerenti succurreretur. Is enim Tockai oppidi iacturam ęgerrimè ferens, omnem animi cogitationem ad illud recuperandum adiecit. Vnde cum suis copijs eò profectus locum arcta obsidione cinxit, ac maioribus tormentis mœnia concutere cœpit. Cum autem hic locus nostris magno momento esset, Suendius oppidanis succurrere statuit, & à Cæsare maiora subsidia petijt, atq; mille equites duce Heinrico Staupitio & sex signa peditum accepit, cum alijs rebus ad bellum necessarijs. Interea decem millia Scytharum Transyluaniam inuaserunt, qui pagos & ædificia incendentes Vayuodam ab obsidione domum retraxerunt, vt suis succurreret, & hostes profligaret. fortuna etiam eius conatibus adfuit. Postea Suendius arcem Zaduaram oppugnauit, & per deditionem in potestatem redegit pridie nonis Ianuarij anni 1567. Mox etiam Munkatschum paribus fortunę auspicijs occupauit. Nam obsessos bellicis tormẽtis noctur no diurnóq; tempore haud quatere cessauit, donec tandem ab eis vltronea deditio fieret. Deinde vero etiam Hust oppidum obsedit.

Maximilianus copias dimittit.

Eo tẽpore prætor Budanus ex Purpuratis vnus duos equos insignes arcũq; egregiè ornatũ ad Cęsarẽ misit, atq; petijt vt aliqs Pãnonicos cẽturiones à limitib. amoueret, ne pacẽ de qua tũ agebat impedirẽt. ipseq; vicissim pmittebat se capitis pœna oẽs puniturũ, q; interim vllas eruptiones facerent, ac nouos tumultus excitarẽt. scripsit etiam ad Salmensem, se valde mirari quid Maximilianus pacis consilia cum suo principe agitaret, cũ interim Suendius in ditione Transyluani grassaretur, cuius tutela & patrocinium ab eo pẽderet. Quod si ita pergeret Selymum occasionẽ sumpturũ, vt oẽs suas vires in hostem cõuerteret. Quod vero se attineret, daturũ operã vt Impator suus potius pacis q; belli studiosus foret, eũq; vicissim admonebat,

Suendius ob virtutem ea cusatus.

1566 vt ipse quoque suum regem ad idem cohortaretur. Id cum Cęsar intellexisset, Suendium monuit vt ab oppidi Huſt obsidione recederet, & sese suis locis contineret, donec quid Turca moliretur per legatos intelligere posset. Legati fuerunt Antonius Verantius Agriensis antistes, qui antea per integrum quinquennium apud Solymannum oratorio munere functus fuerat, & Tiffenbachus ambo Cęsaris Cōsiliarij, viri eruditione, facūdia, & linguarum cognitione ornati. Hi cum splendido apparatu sub finem Iunij Vienna Byzantium versus concesserunt. Secum illi præter alia munera quædam Horologia, miro artificio elaborata, Turcarum regi Cæsaris nomine deferebant, quasdam etiam pateras ex auro & argento purpuratis donandas, quorum pretium quadraginta millia aureorum excedebat. Illi Budę perhumaniter suscepti, postea 11 Calend. sept. Byzantium peruenerunt cum suis incolumes. Eodem anno Philiberti ducis Sabaudiæ & Margarithæ regis Galliæ sororis filius Taurini 7 idus Maij magna pompa Baptizatus & Carolus Emanuel dictus fuit, cum ante sex annos natus fuisset. Huic solennitati etiam Melitenses legati interfuerunt, ac Duci plurimum gratulati sunt.


Maximiliani induciæ cum Turcis.

Rebus per dies aliquot ordinatis, adierunt Cæsaris legati purpuratos quorum præcipui tum erant Mehemetus Selymi gener, Parthaus, Perhit, & Akmat à quibus hilari vultu sunt excepti. penultimo die Septēbris in regia domo sunt cum eis pransi, ac ipsorum comites à Sanzachis conuiuio excepti. Mensis remotis Legati ad Selymū introducti sunt, ita vt singulos bini purpurati in medio arreptis brachijs ad dextræ osculum perducerent. Neque enim Turcæ externos homines ad Tyrannum aliter admittunt, quàm vt sinum scrutentur an ferrum sub veste lateat, implicatisque eo modo brachijs commouendę manus potestatem dissimulanter eripiant. quanquam assidenti Tyranno in thoro circumpositus paratusq; ad manus clypeus cum acinace clauaq; ferrea, ac item arcus & sagittæ conspiciantur. Legati munera allata reuerenter exhibuerunt, & quæ in mandatis habebant paucis exposuerunt. Postridie purpuratos adierūt, & cum his plenius de omnibus rebus collocuti sunt. Selymus interim Adrianopolim profectus est, quo etiam legati aduenerunt, ac ibidem cum ijsdem proceribus de pace & eius conditionibus transegere. Ea inita denuo Selymum conuenerunt manusq; osculati, mox vbi abeundi facultatem petijssent amicè dimissi fuerunt. Fuerunt autem Inducię ad spacium octo annorum initę. Conditiones erant vt quiuis regum possideret, quod sibi postremo bello acquisierat. vt in huiusmodi inducijs etiam Vayuodia contineretur: Item vt agricolæ, qui annuum censum Turcis iuxta & Cæsareanis annumerare consueuerant, solis Turcis in posterum soluerent, & eis solis seruirent. Legati impetrata recedendi venia à Solymanno & purpuratis, in Pannoniam reuersi sunt, & inde vltimo die Maij Viēnam peruenerunt. His etiam se comitem Ebraimus adiunxit, qui orator Selymi ad Cæsarem mittebatur. Id cum Cæsar intellexisset, Deo gratias egit, atque Suendij copias ex Transyluania reuocauit, limitibus saltem regni hinc inde contra Barbarorum excursiones certis præsidijs communitis. Acciderunt hæc anno 1568.

RERVM VNDECIMI LIBRI FINIS.

RERVM MEMORABILIVM, STRENVISSIMI ORDINIS IOANNITARVM, RHODIORVM, AVT MELITENSIVM EQVITVM, TERRA MARIque fortiter gestarum,

Liber duodecimus.





VM hoc modo Maximilianus Cæsar octennales indu- 1567
cias cum Selymo Turcarum tyranno constituisset, tan- *Melitensium*
tum abest vt sacer Ioannitarum ordo virium recreatio- *recens peri-*
nem sperare posset, quod etiam Barbarorum vim & po- *culum.*
tentiam magis formidare cogeretur, præsertim cum is Aegyptum, Arabiam, & reliquas eius loci prouincias, quæ initio sui regni ab eo defecerant, in pristinum obsequium redegisset. Persarum etiam rex per nuntios illi gratulatus erat, & priorem pacem cum ipso sanctè sta biliuerat. Itaq; certis coniecturis perspiciebant, Turcarũ arma suam aut aliã aliquã insulã Mediterranei maris petitura, vt liberũ accessum in Italiã aut Philippi regis Hispaniarũ regna, q soli ei hostes superant, habere posset. Itaq; ordinis princeps munitiones reparare, classem instruere, commeatus arq; alia quę in bello requiruntur cõparare. Vndiq; etiam Equites sui ordinis ex varijs, puin cijs Melitã vocare, & celeriter iter maturare iussit, vt irruenti hosti paratius occurrere & resistere possent. Videbat enim fortissimus Heros in alijs principibus parũ subsi-

1567 subsidij sperandum, dum Gallia sub nouo rege Carolo eius nominis nono ob religionis dissidium in varias partes traheretur, atque intestino bello miserè conficeretur, ita vt prælio commisso Admiraldici ad oppidum Moncontur 3 octobris Anni 1569 insigni clade à Regijs afficerentur. quin etiam in Belgia grauissimi motus ob fidei controuersiam exorti, quibus status eius regionis implicati grauissimas dissensiones cum Philippo rege habuerunt, & per multos annos sese armis contra pontificios defendere statuerunt. Nec etiam Valetam opinio fefellit: Selymus enim Insulas maris inuadere, atque maximam classem contra Christianos exornare decreuit. Dum hoc modo pius princeps curis angeretur, ex hac vita in cœlum migrauit, & Petrum de Monte natione Italum, virum strenuum & prudentem, successorem habuit. Is ergo 49 ordinis princeps constitutus, officium suscepit, & consilia antecessoris ad fœlicem finem perducere statuit.

Turca à Venetis Cyprũ petijt.

Dum rumor increbuit de Turcico belli apparatu, Veneti in suspicionem venerunt, ne Selymus fœdus, quod sibi cum patre intercedebat, violaret, bellumque aliqua ex parte inferret. Sciebant enim hunc esse morem Regum domus Ottomanicæ, vt paternum solium adepti semper aliquid insigne moliantur, quo maiorũ facta belli gloria exæquent aut antecedant. Vnus supererat Hispanus, ad quem belli huius apparatus pertinere posset, præsertim cum iam antea motus in Bœtica prouincia, per Mauros excitati essent, ad quos Selymus militaria præsidia transmittere cogitarat. Verum Ioannes Meches, quorundam promissis corruptus, Selymum contra Venetos incitarat, ac à Cyprijs rebus inchoandum suaserat, cum regnum illud ad Byzantinum Imperium spectaret, & facilime Turcarum armis occupari possit, quod Veneti multos annos iniustè possederint. Selymus eius consilio audito, non modò Cyprum sed & Cretam, Melitam, & Siciliam sibi destinabat. Mox etiam Legatos ad Venetos misit, ac Cyprum sibi iure debitam reddi postulauit. si facerent fidem & amicitiam cum senatu seruaturum, sin minus protinus à se bellum & omnia extrema expectarent. Veneti legatione audita literisque Selymi perlectis excelso animo respondẽt, sibi regnum Cyprium hereditario iure ante centum annos obtigisse. quocirca si ambitione ac regnandi cupidine adductus, fœdus cum Solymanno patre initum violare ac armis rem aggredi velit, se quoque suos defensuros, atque sperare quòd ipse periurij ac violatæ fidei breui sit pœnas daturus, datisque literis Turcicum legatum quamprimum abire iubent. Mox etiam maiora præsidia in Cyprum miserunt & loca maritima communiri iusserunt, præsertim vrbes insulæ primarias Nicosiam & Famagustam. In primis autem vrbis Venetæ armamentum omnibus modis restaurarunt, quod ante biennium tormentario puluere subito incenso horribili ruina intempesta nocte conciderat, adeò vt tota vrbs tremeret, atq; vltimum Iudicium adesse omnes putarent.

Venetorum belli apparatus.

Postea Veneti è vestigio militum delectum habere & classem instruere cœperunt, quam bellico apparatu optimè instructam Hieronymo Ziano commendarunt, & 7 Calendar. Iunij Anno 1570 solenni pompa vexillum de more tradiderunt, & ei mandarunt, vt se quamprimum ad expeditionem accingeret. E vestigio quoque regem Hispaniarum atque Melitensium equitum principem admonuerunt, vt classem pararent, atque contra communem hostem secum arma sumerent. id quod ipsi summa liberalitate sunt polliciti, quo associatis viribus bellum tanto fœlicius gereretur. Sed interim Ottomannica classis nostram præueniens rectà Cyprum versus contendit, & Calendis Iulij iuxta Paphum conspecta fuit. proximo etiam die omnes copiæ in Salinis sunt expositæ, nemine nostrorum impediente. Astor Baleonus vir bellica gloria insignis volebat, vt equitatu & sclopetarijs illis obuiam iretur, viribusque tentatis hostis impediretur, ne milites in terram exponerent. At Nicolaus Dandalus & Horocas Comes disuadebant, ne arces & munimenta præsidijs denudarentur, præsertim cum locus ille triginta millia passuum distaret. Classe Turcarum Salinas appulsa, equitatus ibi constitit

stitit ad finem Iulij. sed pedestres copiæ ad vrbis Nicosiæ muros accesserunt. Mox etiam copijs in vnum collectis non procul ab vrbe castra posuerunt, & quingenti equites Famagustam missi, vt itinera occupantes impedirent, ne quid præsidij in vrbẽ afferretur. Deinde nostros per velites, ad pugnã prouocarunt. at militũ præfecti suos intra vrbem continuerunt. Itaq; Turcæ munimenta construere cœperũt. 1570

Cũ hoc modo ad Nicosiam omnia essent turbata Rex Hispaniarum classem præparauit, atq; aliquot Liguricas & Melitenses triremes suis coniunxit, vt Venetis in auxilium mitterentur. At Barbari interea Nicosiam sæpiùs oppugnarunt, atq; noctesq́ue diesq; institerunt, ea vrbe vt potirentur. pestis etiam tabifica eã æstate intra vrbem orta plurimos militum sustulit. itaq; factum vt in quindecim inuasionib. quadraginta quinque dierum spacio plerique in oppugnatione fortiter dimicando interempti, aut vulnerati, aut morbo sublati essent. Hinc etiam factum vt pugnã di facultas extra vrbem nostris negaretur. Attamẽ idibus Augusti in meridie, cum se Turcæ quieti darent ac in vmbra corpus relaxarent, mille pedites vrbe egressi, ad hostium castra penetrarũt, & duo eorum propugnacula occuparunt, ita vt passim hostium fuga oriretur. quod si etiam equites nostri fessis præsidio fuissent, funesto bello finem imponere potuissent. sed cum illi exire prohiberentur, nostri passim circumuenti ac dissipati magna clade affecti fuerunt. reliqui se ad suos receperunt, minora tormenta ac arcus hostium pictos secum ferentes. Cum hoc modo vrgerentur Famagustam literas miserunt, vt inde aliquo præsidio adiuuarentur. at literæ incognitis characteribus descriptæ ab hostibus interceptæ fuerunt. In ijs necessitatibus cum Nicosiani essent nona die Septembris vltima oppugnatio summo mane cœpta. Ingenti militum frequẽtia tum res agebatur, ac quatuor in locis prælium inchoatum. Podocattarum oppugnabat Ciricus Bassa: Constantium Musafert Aulum & Tripolum Mustapha ac Haly ambo purpurati. Ex nostris qui tribus locis præerant, fortissimè dimicando impressionem hostium alacriter sustinuerunt. sed qui arcem Podocatarum protegebant obstare non potuerunt, quin hostis ingrederetur. & aream occuparet, vbi etiam omnes nostrorum interfecti sunt. Qui reliquas munitiones tuebantur se diu summa virtute defenderunt, donec Thracibus ingressis à tergo vndique cæderentur. Sic factum vt per sex horas per vrbis vicos & plateas magna humani sanguinis effusione decertaretur, ac tandem nostris victis vrbs in Barbarorum manus deueniret. Mustapha autem interuenientes, dedentibus nostris vita concessa. *Nicosia vrbs à Turcis occupata.*

Nicosia expugnata Haly extemplò cum suis copijs ad classem redijt, eaq; recta ad Famagustam contendit, quò etiam terrestres copiæ perductæ fuerant, vt eã vrbem expugnarent. Ibi permãserunt donec audirent Venetam classem ad Castrum Ruzzum peruenisse, eo animo vt Byzantinã inuaderet. Itaq; obsidione soluta nostris obuiam ire statuerunt. Cum aũt intellexerunt nostros ob certas causas iterum Cretam retrocedere & domum cogitare, Pial cum suis die sexta octobris Byzantiũ & Haly Rhodum versus naues direxerunt. Maiorem partem captiuorum cũ ingenti præda Turcæ in nauem onerariam iniecerunt, vt Mahemete dono darent. at nobilis fœmina captiua ignem in sulphureum puluerem abiecit, atq; ea nauigia exussit, maluit enim ita extingui quam in manus Barbarorum impias cum suis deuenire. Turcæ tum in vrbe Nicosia reliquerunt quatuor millia peditum & mille equitũ, quibus Mustapher purpuratus est præpositus. Mustapha aũt terrestrium copiarum præfectus circa Famagustam castra in eo loco posuit, cui à Pomo Adami nomen erat. Ibi etiam Nicolai Dandali præsidis Nicosiæ caput hastæ cuspidi infixum ciuibus ostendit, vt tam diro spectaculo illos facilius ad vltroneam deditionem impelleret. Dum hæc aguntur classis Venetæ parum prosperè administrata se ex Creta Corcyram recepit, vt ibi nouis apparatibus redintegratis hosti commodius resisteret, & Famagustam obsidione liberaret. *Famagusta obsessa.*

Interea classis Hispanica sexaginta triremium adornata, quam bellico apparatu optimè instructam, duce Ioanne Auria in Venetorum auxilium Philippus rex *Hispanica classis Venetis auxilio venit.*

1570



rex transmisit. Romanus etiam pōtifex aliquot triremes armari iussit, quibus se Hetruriæ principis rostratæ naues coniunxerant, M. Antonio Columna præfecto existente. Aderat etiam Melitensium equitum classis, viris, armis, & commeatu insignis, vt Turcis perpetuis hostibus resisterent. In hoc exercitu erant plurimi non modò generis prosapia sed etiam bellica laudis gloria viri præstantissimi, inprimis Aluarus Batranus, Ioannes Cardonus, & Ascanius Cornius cui Hispanię rex plurimum fidebat. Cum tota classis Christianorum conuenisset, deliberarūt inuicem, vtrùm expediret vt hostilis classis, quæ tunc in Cypro erat, his viribus inuaderetur, aut alia occasio belli expediretur. Cornius interrogatus censuit, vt regia & sociorum classis vlterius progrederetur, & Venetæ coniungeretur, quo inde rectà versus hostem in Cyprum nauigarent. idque quàm fieri posset celerrimè, antequam commodum tempus laberetur. Quæ quidem sententia ab omnibus approbata fuit. Petebat vero Auria sibi primum agmen dari. Itaq; omnes 17 Septembris prima vigilia cum tota classe Creta soluerunt. Hæc in vniuersum centum & octoginta triremibus, vndecim grandioribus nauibus, & quinque onerarijs constabat. Præmiserant autem duas triremes vt ad Cyprum specularentur quid hostes agerent. Proxima luce inter Carpathum & Rhodum insulas peruenerunt. Ibi autem cum maiores triremes nondum adessent, in sequentem diem vsque substiterunt. his appulsis progressi sunt. Et si autem ventus initio maxime fauebat, nauesque semper plenis velis iter faciebant, nihil tamen cum rostratis nauibus agi poterat, ne ab eis inuiti seiungerentur, nisi remulco eductæ, idque parum Veneti curare videbantur. Cum hoc modo per triduí spacium adnauigassent, iamque à castro Ruzzum viginti millia passuum distarent, venti varie perflare & prorsus aduersari cœperūt, vt eo loco quem Aquas frigidas vocant, descensionem facere cogerentur.

Diuersa belli consilia.

Cum Columna ibi subsisteret & pernoctaret, Auria tamen (cum eam stationem minus opportunam iudicaret) sublatis anchoris inde recessit, & in mari perseuerauit. admonuit etiam Columnam, vt mane cum cęteris adesset, quo noua consilia inirent. Nam pro certò audiuerat Nicosiam vrbem in Barbarorum potestatem deuenisse quinto idus Septembris, atque Otomannam classem instructam ibidem nostros expectare. Cum conuenissent, Auria & Columna Venetæ classis præfectum interrogarunt, quid in ea rerū mutatione agendum censeretur: quibus responsum fuit, anni tempus eo processisse, vt Cypria oppugnatio nullo præsidio subleuari possit, idcirco deliberandum an Euboica expeditio suscipi deberet. Auria sententiam rogatus, dicebat, si Venetorum nauigia rebus necessarijs essent communita, nihil præclarius agi posse, quàm vt hostis illico inuaderetur. Nam quod ad Euboeam attinet sibi videri eam expeditionem nequaquam suscipiendam, cum locus ille in præcordijs Turcicarum virium consisteret. periculum enim esse ne ipsi mari Aegeo includerentur, vt nullo pacto exeundi potestas daretur. quod si etiam omnia feliciter succederent, non tamē fieri posse vt in locis expugnatis eiusmodi præsidia relinquerentur, quo certi essent ea loca non iterum per hyemem ab hoste recuperanda. ita & temporis amissio, & multorum interitus citra vllum commodum existeret. Ideo præstari vt in Peloponneso versus Apolloniam, Castronouum, Dyrrachium & alia loca his finitima, quæ à Turcica vi longius abessent, expeditio susciperetur. Hæc cum Auria sapienter dixisset, vnanimi consensu decretum vt classis retrocederet, atque Carpathum rediret, mari mirum in modum ob tempestates autumnales sæuiente, ita vt Veneta triremis scopulis illisa naufragio perierit.

Christiana classis ad hyemem domū reuersa.

Vbi Auria vidisset potiorem temporis partem præterlapsam sibique indies maiorem difficultatem præberi vt classem incolumem in Siciliam reduceret, Marcellum Auriam ad Columnam & Venerium misit, ac petijt vt sibi liceret classem

suæ

suæ fidei concreditam per Aegeum pelagus Zazinthum & Cephaleniã versus tra 1570
ducere. Ei vero responsum, omnes cupere vt ipse illorum classem in Cretam vsque,
indéq; Zazinthum comitaretur, atq; ibi postea discedendi facultatem integram fu
turam, vt quocunque vellet suo arbitratu traiiceret. Verùm ipse propositum vrge-
bat, atq; præsentiam suam nec vtilem nec necessariam asserebat. Cum autem inde
dissensiones orirentur, sententiam mutauit, ac 27 Septemb. omnes Cretam versus
iter susceperunt. Tum autem venti rursus magnopere aduersari, adeò vt variis tur-
binibus hac illac impellerentur postq́ue multas iactationes tãdem ad Littus (quod
Vndam vocant) peruenerunt, ibiq; duæ triremes pontificiæ perierunt. Postea Au-
ria ad vrbem Candiam appulit, & ibi reliquam classem expectauit. Cum autem vi-
deret, nihil aliud agẽdum superesse, cum Aluaro & Cardono ad Columnam acces-
sit, eiq́ue indicauit quoniam september præteriisset, nihilq́ue aliud in Venetæ Rei-
pub. beneficium à se agi oporteret, se quàm primum Siciliam cogitare, vt illac regi-
am classem reduceret. Columna his tandem rationibus permotus eum fraterne am
plexus est, eiq́ue abeunti omnia fausta & fælicia precabatur. His peractis & Vene
rium adiit, & cum eo de iisdem rebus sermonem contulit, qui Auriam complexus,
& suo & Veneti senatus nomine gratias egit, ac singulari beneuolentia & humani-
tate à se dimisit. mox ergo aliis quoque proceribus valedixit, & ex Creta Messanã
versus profectionem instituit, eoq́ue tandem incolumis cum classe peruenit. Eum
Melitenses equites secuti, quoque suis triremibus magna gloria domum ad suum
principem reuersi sunt. Paulò ante tamen inciderant Melitenses aliquot naues ex
improuiso ad Cretam in magnam Turcarum classem, itaq; duabus triremibus amis
sis, reliquæ 26 octob. incolumes ad Christianos reuersæ erant. Postea quoque Ve-
neta classis morbis confecta Corcyram rediit, cum multa millia fortium virorum,
cœli inclementia & mutatione victus, in calidissimo clymate essent absumpta, in-
ter quos etiam Hieronymus Martinengus comes fuerat. Hunc senatus Venetus
cum tribus millibus pugnatorum Famagustam transmiserat. Vt primum verò
classis Corcyram rediit ex senatus consulto Augustino Barbadico iniunctum, vt
Hieronymum Zianũ rei naualis præfectum omni imperio exueret, ac etiam capti-
uum Venetias abduci præciperet: in eius vero locum Sebastianum Venerium eius
insulæ prætorem substitueret.

Interea dum hæc in mari mediterraneo fierent, Cæsar hac æstate Spiræ Imperij *Comitia Im-*
Comitia magna principum frequentia celebrauit, partim vt Turcæ conatibus qui *perij Spiræ.*
Cyprum inuaserat obuiam iretur, & priora subsidia Turcica persoluerentur, vt mu
nitiones erigi & præsidia in Pannonia conseruari possent, partim vero vt Religio-
nis controuersia tandem componeretur, præsertim cum Gallia multis præliis & vr
bium expugnationibus (magno Christianæ reipublicæ incommodo) ferè per de-
cennium grauiter conflictaretur. In Iulio certo loco propositio fiebat, ac aliquot sal
tem principum aut ciuitatum legati admittebantur. Cum autem ipse principis
cuiusdam humanitate conclaue ingressus sim, & huic solennitati interfuerim, pau-
cis eam recensebo. Imperator in altiori loco medius sedebat: ad dextram erant Ele-
ctores, ad sinistram alij principes: legati vero statuum stabant, & Cęsarem respicie-
bant. Ibi primum Marquardus præsul Spirensis Imperatoris nomine principes sa-
lutauit, atque ob præsentiam eorum gratias egit: mox Erstenbergerus secretarius
prȩcipuus Cęsaris paternum affectum, maximos sumptus & labores, quos semper
Imperij gratia susciperet, summa eloquẽtia declarauit, ac tandem ex scripto propo-
sitiones legit, de quibus imperij statibus deliberandum esset, præcipuæ vero erant
de Religionis controuersia pacanda, de subsidio contra Turcas ferendo, de Came-
ra Imperij constituenda, & de iusta moneta per Imperium cudenda. Oratione illa
finita, Ipse Imperator elegantem sermonem patria lingua habuit, & principes sum
ma humanitate ad concordiam hortatus, petijt, vt in propositis articulis primò ali-
quid decerneretur, vt postea & aliæ quorundam principum controuersiæ compo-
nerentur, ad quod suam operam benignè est pollicitus. Postea principes electo-

1570 res, atque alij principes in diuersis locis parum collocuti, tandem Carolus Badensis Marchio Cæsarem accessit, atque submisse petijt, vt principibus ad electores accedere, & cum ijs aliquid conferre liceret: id quod Maximilianus in suo loco sedens liberaliter concessit. Re inter principes paucis deliberata, quisque in locum suum redijt. Inde Daniel Elector Moguntinus princeps doctissimus omnium nomine Cæsari respondit, atque statuum imperij nomine pro paterno erga suos animo gratias egit. Postea petijt, vt sequenti die Secretarius omnium principum & statuum scribis in certum locum conuocatis, ea quæ prius ex scripto recitasset ordine dictaret, illiqúe calamo exciperent, ac suis principibus offerrent, vt rebus omnibus intellectis maturius conuenire, & sua consilia conferre possent. Id quod pius Imperator quoque concessit. Vltimò princeps Spirensis Cæsaris nomine iterum verba fecit, cœpta negotia commendauit, & omnibus post sextam horam conuentus discedendi potestatem fecit.

Pax in Gallia cõstituta.

Deliberarunt principes per duos menses, & subinde aliorum principum aduentum expectabant. Tandem verò Imperator ferè omnia quæ petijt impetrauit. Interea tamen Cæsar & principes Legatos in Galliam ad regem & principes miserunt, atque multis causis pacem suaserunt, quæ etiam tandem subsecuta, atque 11 die Augusti Lutetiæ publicata fuit, magno omnium Christianorum gaudio. Mox etiam Imperatoris filiæ venustissimæ Spiram adductæ, quarum vna Maria regi Hispaniarum, Elisabetha vero Carolo Gallo desponsatæ, & quælibet magna pompa ad principem suam fuerunt ablegatæ. Dum principes deliberarent, Generosi & nobiles viri ludicra & militaria exercitia peragebant, atque sese mira animorum propensione inuicem delectabant. Aderat etiam Elephantus terrestrium animalium maximum, Cæsari ex Africa dono datus. Aderant Aquila, Leones, Leopardi, atque feræ omnis generis, rarò in hisce finibus Germaniæ antea uisæ, quæ & ipsę manendi tædium auferebant. Aliquando imperator Rheda, altiori loco sedens extra vrbem ambulauit, atque ad dextram bigæ loco inferiori Archiepiscopum Moguntinum, & ad sinistram Fridericum Electorem palatinum secum habuit, quibus cum familiariter colloquia miscuit, atque omnes principes inuicem conciliare constituit. Sicut etiam inuictissimus Cæsar antea me Augustæ humaniter appellauit, ita & hic Poetam Laureatum effecit, & vt etiam ipsius Maiestatis nomine alios hac dignitate exornare possem, summa liberalitate concessit. Rebus tandem omnibus fœliciter absolutis, Maximilianus Comitia absoluit, atque ipse cum alijs principibus quisque ad suam ditionem sub autumnum Anni 1570. redijt.

Epyrotæ fauent Christianis.

Dum Venerius cum Veneta classe ad Corcyram essent, Acroceraunij montis incolæ qui Epyrum respiciunt fidos nuntios miserunt, atque arcem Chymeram munitissimam in qua trecenti præsidiarij erant sunt polliciti, si ipsemet cum pedestribus copijs adesset, & aliquas triremes, ea parte quæ sinu Ambracio alluitur, ad se mittendas curaret. eius etiam rei nonnullos obsides illi destinarunt. Is conditione accepta illico aduenit cum aliqua cohorte & turma equitum, ad tria millia virorum, & duabus nauibus rostratis. Mox illis se mille adiungunt, quibus castrum adortus, colleqúe ab ipsis & Græcis velitibus occupato, præsidium Turcicum aduenientes repulerunt. Itaque obsessi & omni spe destituti noctu se in proximam vallem demisêre, nostrisqúe insequentibus pars interfecti alij capti fuerunt. atque ita breui spacio arce illa munita potiti sunt, ac abeuntes firmum præsidium imposuerunt. Interea Turcæ qui Nouocastrum inhabitant dolo egressi, duas triremes ex nostris occuparunt, & septem nauigia quæ ad Acruenses pro arcis defensione mittebantur. Sed hac victoria non diu exultarunt. nam Quirinus legatus vigintí quatuor triremibus Pelopõnesum ingressus iuxta sinum Mainum, arcem munitissimam, ante biennium ibi conditam, terra & aquis inuasit, & infra quinque horas expugnauit, quadringentis præsidiarijs ibi interfectis. postea arcem diruit, & 24. tormenta inuenta Zazinthum perduxit. Deinde Veneti classe denuo instructa sine mora Famagustam præsidio leuandam decreuerunt. Itaque Quirinus eò missus,

sus, qui commeatu & milite obsessos adiuuaret. Illuc autem adnauigauit cum qua- 1571
tuor magnis nauibus & tredecim triremibus, in quibus ad duo millia electorum militum vehebantur. Vbi nono die eò peruenit, allatum præsidium in terram emisit, & ab Astore Baleono quæsiuit, in quo statu res ciuitatis essent: Hic se continua obsidione teneri dixit, hostemqúe ad octo triremes in portu Constantia habere, & iuxta munimentum erexisse, quo minus ex mõte quicquam commeatus peruenire queat. Si hostem aggrediatur, ipsum quoque vrbe egressurum ad turrim illam expugnandam. Eo statuto Quirinus Turcas dormientes subitò est adortus, vnam triremem cepit, tres suppressit, & reliquas in fugam coniecit. Baleonus vero munitionem aggressus expugnauit, & ibi quadringentos hostes interfecit, arceqúe deiecta duo tormenta maiora in vrbem aduexit. His peractis, Antonius omnes merces & res pretiosas cum puerulis in suas naues comportari iussit, & in Cretam reuerti statuit. Cum soluisset haud procul Famagusta, quædam nauigia illuc properantia conspexit, eaqúe adortus expugnauit & cepit. Erant quatuor triremes cum maiore naue quæ quingentos Turcas aduehebat, & sexaginta millia aureorum duosq; cados plenos, ea moneta quam Aspros vocant, in eorum auxilium qui vrbem obsidebant.

Etsi autem Venetijs in senatu aduentante hyeme nihil agi poterat, ipsi tamen noctesqúe diesqúe cogitabant quà nam ratione tantum bellum à se propulsarent, & quibus præsidijs tam dirum hostem euitarent. itaq; suis rationibus maximè consentaneum fore iudicabant, si cum aliquo rege fœdus ac societatem inirent. Ex omnibus autem rex Hispaniarum aptissimus visus, cuius regna finitima quoq; hostilib. eruptionibus erant obnoxia. Interea quoq; Pius 5 Romanus pontifex sedulò cogitabat, vt Venetos Hispano iungeret, ac se ipsum eodem quoq; fœdere deuinciret. Itaque Marcus Antonius Columna Venetias missus est, qui Romani pontificis ac Philippi Hispani nomine apud Venetum senatum de fœdere & eius conditionibus ageret. Philippus autem Antonium Peronotum Granuelium, Franciscum Paceum, & Ioannem Zunigum suos legatos Romam ordinarat, & Veneti Michaeli Suriano ac Ioanni Superantio eius negotij peragẽdi curam tradiderant. Cum ergo ea de re per aliquot dies Romæ & Venetijs ageretur, tandem 25 Maij anni 1571 ex communi consensu fœdus initum & certis conditionibus inter pontificem Romanum, Hispanũ, & Venetos transactum fuit. Fœdus autem voluerunt esse perpetuum, non modò ad sui contra Turcas defensionem, sed etiam ad ipsius gentis ab omni terræ maris q; parte inuasionem, Algerio, Tuneto, at Tripoli etiam comprehensis. Ad eius fœderis executionem inter eos conuenit, vt tam maritimæ quàm terrestres copiæ ducentis triremibus, centum onerarijs nauibus peditibus Germanis, Hispanis, & Italis quinquaginta millibus, equitibus autẽ quatuor millibus & quingentis constarent, adiuncto idoneo tormẽtorum bellicorum numero, vnà cũ commeatibus reliquisq; rebus opportunis. vtqúe singulis annis mense Martio prædictæ copiæ in mari orientali conuenirent, ac præfecti per occasionem de belli ineũdi ratione deliberarent. *Fœdus sacrũ inter Hispanum, Pontificem & Venetos.*

Cum de impensarum faciendarum collatione conuenissent, etiam de cõmeatu egerunt, ex eo sociorũ loco sumendo vbi copiæ existerent, idq; ferendo pretio, nec etiam alicui fas erat commeatum ex eo loco alienare: id q; tamen Hispanus ea lege suscepit, vt sibi liberum foret ex regnis Neapolis & Siciliæ commeatu prius Guletam, Melitam, ac suam classem prouidere. Quod si etiam Hispanus à Turcis & nominatim ab Algerio, Tuneto, & Tripoli inuaderetur, Venetus quinquaginta triremes instructas illi ministraret: idem Hispano agendum, quoties Veneti inuaderentur, præsertim eo tempore quo nulla communis confœderatorum expeditio fieret. Si etiam contingeret loca Romana inuadi, prædicti principes tenerentur omnib. viribus ea loca & ipsum pontificem iuuare. In belli administratione tres præcipui duces confœderatorum conuenirent, quódq; horum trium maior pars approbasset, omnium sententia censeretur. sed Dux præcipuus classis & copiarum terrestri- *Conditiones fœderis.*

1571 um esset Ioannes Austrius, ipsius Caroli quinti Imperatoris naturalis filius. Eius vicarius Columna Pallani princeps constitutus. Vexillo autem non proprio sed fœderis communi vterentur. Huius fœderis ineundi honorificus locus & Maximiliano Augusto, ac Francorum, & Lusitaniæ regibus relinqueretur, quos etiam vt & alios principes pontifex ad id concitare deberet: locorum etiam partitio quæ huius fœderis armis acquirerentur inter socios diuideretur, Tuneto, Algerio, & Tripoli excepto, quæ ad solum Hispanum pertinerent: Ragusium quoque à socijs nullo damno afficeretur. Controuersia omnis inter belli duces à pontifice componeretur. Ex confœderatis nulli liceret cum hoste de pace aut inducijs agere, sine aliorum consensu. Hæc; conditiones Romæ à pontifice atq; Hispani & Venetorum legatis iuramento confirmatæ, ac postea postridie Calend. Iulij Venetijs magna pompa & lætitia omnium ordinum publicatæ fuerunt, vbiq; etiam per Italiam preces indictæ, & Deo gratiæ actæ.

Christianorum belli apparatus.

Fœdere confirmato Hispanus statim militum delectus haberi, præsidia vndiq; accersiri, diuersiq; generis arma, & cætera militiæ instrumenta & commeatus diligenti studio conquiri iussit. In Gallia Cisalpina octo millia Italorum, sex millia Germanorum, & mille ac amplius Hispani conuenerunt. Idem & pontifex faciebat, vt singuli maturè ad Messanam conuenirent. Cum Venerius, Columnius, & Melitenses idem præstitissent, Ioannis Austriaci aduentum auidè pręstolabantur, qui 7. Cal. Augusti vnà cum duobus Maximiliani Cæsaris filijs Barcinone Genuam peruenerat. Inde Austriaci in Bauariam contenderunt, vbi 6. Cal. Sept. Carolus Cæsaris frater cum filia ducis Bauariæ nuptias celebrauit. Postea quoque Ioannes classium præfectus 9. Calend. Septemb. Messanam 12 triremibus peruenit, ac summo honore à ducibus susceptus fuit. sub finem Augusti etiam Ioannes Auria cum 12 triremibus accessit, atque Marcus Quirinus & Antonius Canalis cum sexaginta nauibus rostratis. præterea Sarnus Comes vndecim nauibus militaria tormenta, & duo millia peditum adduxit. Tandem Aluarus Bacianus cum triginta triremibus Neapoli aduenit, atque die albescente 12 Panhormitanæ. Eo tempore Pius 5 pontifex Ioanni Austrio vexillum cærulei coloris, quod prius Romæ solenni cæremonia consecrarat, atque sociorum signa habebat, dono misit. Is ergo classe in vnum coacta belli duces conuocare, & quid communi consensu fieri oporteret maturè exequi statuit.

Creta à Turcis oppugnata.

Antea vero Idibus Aprilis Turcæ ex faucibus Hellespontiacis cum ducentis & triginta nauibus rostratis, ducibus Parthau & Haly purpuratis, egressi ad Castrum rufum appulerunt. indeque in Euboeam profecti, classem commeatu reliquisque rebus ad bellum opportunis refecerunt. Huc paulo ante quàm soluissent accesserunt, proreges Iuliæ Cæsareæ & Teuthraniæ, cum octo triremibus & duodecim Lyburnicis. Inde omnes Mysiam, Ioniam, & Cariam versus profecti sunt, seque illis in itinere triginta triremes pyraticæ adiunxerunt, rectoque itinere Rhodum, deinde Cretam versus nauigatione suscepta in Amphimaleum sinum, qui Suda dicitur, classem intulerunt. Cretam hodie Candiam uocant, quæ maior est Cypro, sed minor Sicilia aut Sardinia. At fertilitate par omnibus in eo mari insulis. olim erat clara centum vrbibus, ac hodie tribus tantum insignitur, Candia, Canea, & Rhetimo. Insulæ ambitus quingentorum viginti millium passuum. Vbique montosa, ob idque incolæ venationibus addicti. Nullus ibi nauigabilis fluuius, neque noxium animal gignitur. Vinum Creticum, quod Maluasiam vocant, toto orbe terrarum insulam nobilitat. Cupressorum etiam arborum ad naues fabricandas ibi maxima copia. Ea hodie Venetis paret. Quàm primum vero Turcæ Sudam portum ingressi sunt, statim duodecim millia virorum in continentem exposuerunt. Venerat forte eodem tempore Franciscus Iustinianus cum mille militibus. hic adiunctis quibusdam insularibus hostem aggressus est, & post cladem illatam ad classem redire compulit. Proxima luce crudeles Turcæ adaucto numero redierunt, ac incensis quibusdam vicis

ingen-

ingentem prædam & multos insulares captiuos abduxerunt. Interea præsidiarij mi 1571
lites hostes adorti, ad duo millia trucidarunt, captos liberarunt, & reliquos ad classem fugere compulêre.

Hinc postea Turcæ soluentes Cytheram, Zazinthum, & Cephaleniam insulas petierunt, & omnia miserè vastarunt, ad sex millibus hominum in seruitutem abductis. Inde abeuntes loca versus Acroteraunios adnauigarunt, eodem ferè tempore quo terrestres Turcarum copiæ Vlcinium paulo antè obsidere inceperant. Nam præsides huius & Antiuaris oppidi cum trecentis Epyrotis fœdus contraxerant, quorum opera indigenæ à Turcis deficerent, & Venetis iungerentur. Petebant autem ab illis sibi dari sex millia virorum, quod illi se facturos pollicebantur, modò ipsi quoque commeatu, tormentis, & militari præsidio iuuarentur. His peractis trecenti illi statim armis correptis reliquos Epyrotas ad defectionem incitarunt. Initio missus ad eos est ex oppido Ascruiensi Centurio cum centum peditibus Italis. At cum promissa auxilia frustra expectarent, ac se hostili acie vndique circumsessos viderent, de sua salute desperantes ad Turcarum ducis clementiam confugerunt. Sicque pulcherrima occasio amissa, qua reliqui Epyrotæ spe libertatis erecti se illorum castris adiunxissent, suoque exemplo vniuersam Græciam ad libertatem recuperandam excitassent. Propterea Epyrotæ se ita deceptos conquerebantur, suamque miseriam deplorabant, quod freti Venetæ fide se suasque fortunas in manifestum discrimen obiecissent. Turcicus enim exercitus ideo venerat, vt de his vltionem caperet & seditiosos puniret, ne horum opera & Scodram vi aut proditione amitteret. Erant Turcarum octoginta millia virorum, duce Akmata purpurato & Bellerbecho Græciæ. Illi primò occuparunt Suppotum oppidum maritimũ, postea Vlcinium oppidum arcta obsidione cinxerunt, quò etiam classis Turcica peruenit. Cum se propugnatores viderent mari terráque circumuentos, ad Parthaum miserunt, ac incolumitatem pacti oppidum dediderunt. Sicque Sara Martinengus cum præsidiarijs quatuor nauibus Epidaurum perducti. Mox etiam Turcæ Antiuarum oppidum in potestatem redegerunt. His confectis Parthaus cum classe in Rizonicum sinum nauigauit, atq; oppidum Ascruiense (quod nunc Catharũ vocant) obsederunt, duoq; munimenta erexerunt, quibus nouem maioribus tormentis arcem & oppidum diuerberarent. At obsessi erumpentes tormenta abstulerũt, & Turcas ad classem fugarunt.

Vlciniũ Turcis deditum.

Dum hæc fierent Ochial & Carnosius decem dierum spacium à præfecto classis impetrarunt, vt cum sexaginta triremibus Venetas insulas prædabundi inuaderent. Illi Curzolam insulam, quæ octoginta millia passuum versus orientem Epidauro distat, dira obsidione oppugnarunt. Antonius Contarenus eius loci præfectus periculo viso metu ac ignauia perculsus catascopium ascendit, & primus omnium aufugit. idem & oppidani fecerunt, ac Epidaurum venerunt, tantum viginti quinque viris & octoginta mulieribus in oppido relictis. Hæ autem virorum habitum & arma indutæ mœnia conscendere, & potius mortem oppetere quàm patriam deserere statuerunt. Cum etiam hostis classe admota oppidum inuaderet, & mulieres sese armis, lapidibus ac facibus defenderent, cœlesti bonitate Boreas magno impetu perflare incœpit, adeoque naues concussit, vt Ochial ab oppugnatione recesserit. Postea iuxta continentem adnauigans, in itinere Lysnam, Braciam, & Lissam insulas Dalmatiæ diripuit, ac mille sexcentos homines in seruitutem abduxit. Dum ita Pyratæ grassantur, nostrorum nauis, quæ Messana in Corcyram tendebat, ab ipsis intercepta, ac literæ ad Corcyræ præfectum inuentæ, quibus de Christianorum fœdere admonebatur. Id cum Turcæ cognouissent è vestigio nuntium ad Selymum ablegarunt, & eum de omnibus certiorem fecerunt. Deinde classe coniuncta Parthaus 6. Calend. Septemb. Aulona soluit & Corcyram versus contendit. eò cum venisset octingentos Equites & mille pedites in terram exposuit, qui varijs discursionibus insulam vastarent, atque suburbana tecta incenderent. At vrbis propugnatores mille equitibus & quingentis peditibus

Venetorum insulæ vastatæ.

1571 egressi aliquos trucidarunt, & Baphum Rays interceperunt. Itaque Turcę discesse runt, & in sinum Corinthiacum se contu[illegible].

Confœderatorum deliberatio.

Interea Veneti diligenter in hoc i[illegible] ebant vt Christiana classis vndique iungeretur, & res vrbanæ rectè constitue[illegible] Ex Sicilia quoque frumentum aduexerunt, ne in vrbe aliquando commeatus [illegible]esset. Quin etiam duodecim millia militum pro vrbis custodia constripserunt, atque nouis præsidijs loca maritima muniuerunt. Eodem tempore fœderati principes Messanæ rebus ritè paratis de summa belli consilia inibant, ac se ad expeditionem accingebant. In consilium tantum admittebantur Ioannes Austrius eiusque legatus Aloysius Rechezonius, Sebastianus Venerius, & Augustinus Barbadicus cum vno qui ipsis erat ab epistolis, deinde Marcus Antonius Columna & Pompeius eiusdem familiæ. Deliberabant illi, si hostis Byzantium redijsset, prius quam illi maturè aduenissent, vtrum Nouum castrum obsidendum, aut Tunetum expugnandum? Si autem hostes expectarent, & prælium desiderarent, num fortuna belli tentanda esset? Cum per triduum de ea re disputassent, etiam eorum iudicium audierunt, qui rei militaris scientia præstabant. Tandem etiam Ascanius Cornius auditus, qui Corcyram progrediendum suasit, atque occasione oblata prælij fortunam tentandam quamprimum consuluit. Eiusque sententia omnium voce approbata. Hoc vbi pronuntiatum maxima lætitia omnes gestiebant, atque peccata confitentes sacrosanctam cœnam sumebant, vt hoc instructi viatico in spem vitæ æternæ contra Barbaros fortius pugnarent. Postea 16 Calend. Octob. die Dominico prima aurora è portu Mamertino soluerunt, cum ducentis octo triremibus, sed maioribus nauibus, viginti quinque onerarijs & quadraginta biremibus, in quibus ad triginta millia instructorum militum ferebantur, omnes paratissimis animis vt hostilem classem adorirentur.

Famagusta grauiter obsessa.

Eadem æstate, qui Famagustæ obsidebantur in graui periculo erant. Itaque Veneti Creta soluentes illis subsidia ferebant, & ad constantiam incitabant. Erant quatuor millia peditum, octingenti equitum, & ex incolis tria millia cum ducentis Epyrotis, qui vrbem summo studio defendebant, nihilque omittebant quod ad loci propugnationem facere videretur. Nec hostes pigri aut timidi, sed vigiles prospicere, vt quod animo instituerant perficerent. tormenta etiam omnis generis ex Cilicia & Syria afferebantur. octoginta quoque hostium triremes rebus bellicis instructæ in Insulam appulerunt. Mustapha quoque quindecim magna tormenta Nicosia aduexit, & septimo Calendis Maij iuxta vrbem aliquot propugnacula struere cœpit, in quibus murales machinæ disponerentur. erant enim in Turcarum castris ad quadraginta millia fossorum, qui aggeribus & vallis erigendis studebant. In vrbe erant Marcus Antonius Bracadenus & Astor Baleonus præcipui duces, qui crebris diurnis nocturnisque eruptionibus hostem vndique leuioribus prælijs adorti non mediocri clade afficiebant. Cum autem ex nostris aliqui caderent aut vulnerarentur, statuerunt rarius exire, & se intra vrbis munimenta continere. Die decimanona Maij Turcæ nostros ex decem propugnaculis aggressi sunt, in quibus 74 murales machinæ erant, & mox quinque impressionibus vrbem inuaserunt. Verum nostri fortiter resistebant, atque multa millia Turcarum interficiebant, ita vt se subducere & in castra redire cogerentur. Cum autem nostris commeatus & tormentorum materia deficere inciperent, à ducibus copiarum modus præscriptus, & quid singulis diebus absumi deberet, vt oppugnationes diutius ferre, & Christianorum classem expectare possent.

Obsessorum mirabilis virtus.

Paulo pòst hostes nostrorum munimentum Contrascarpam magna vtriusque partis clade occuparunt, atque terram in fossam proijcere cœperunt. Atvniuersum illud solum, quod vi tormentorum ex muro diiecto fiebat, nostri in oppidum comportabant, donec ab hoste nonnullæ fenestræ in pariete fierent, quibus sclopetarij totum vallum per vtraque latera impeterent, & Ioannes Marmorius insignis architectus qui nostris plurimum profuerat interficeretur. Postea

ſtea noſtri cuppas ardentes ac tela ignita ad Barbaros proiecerũt, quibus haud me 1571
diocre damnum accipiebant. Inde Turcæ cuniculis egerunt, ac 11 calend. Iulij ad turrim naualem ignem ſubiecerunt. mox cruenta pugna ſubſecuta, ita vt hoſtis ſuperruinas aſcenderet, & cum ſignis ad ſuperiora loca penetraret. Cum aũt Neſtor Martinengus præſidio accurreret, hoſtis repentè loco pulſus fuit. Quamuis autem Turcæ quinquies aut ſexies nouo & recenti milite pugnam redintegraſſent, tamen recedere & ad ſuos reuerti compulſi fuerunt. Huic prælio Baleonus interfuit, ac ſtrenuè pugnauit. certamen ad quinq; horas productum, fuitque varium & importunum. E Turcis multi, ex noſtris centum deſiderati, interquos Franciſcus Gorus Comes, Bernardus Augubius centurio, & Hercules Malateſta fuerunt. Poſtea 3 cal. Iulij Turcæ iterum ignem in cuniculum intulerunt, qui munimenta diſiecit, atq; occaſionem dedit loca ſuperiora inuadendi. In hoc prælio Muſtapha interfuit, & ſuos admonuit vt alacri animo in hoſtem dimicarent, & hoc die ſuperiores labores finirent. Hercules Martinengus cum ſua cohorte hoſtes ſumma virtute ſuſtinuit, móxq; alij præſidio accurrerunt ac in locis apertis decertarunt, ita vt hoſtẽ mira fortitudine repellerent. Sex horas continua contentione dimicatum, pugnáque fuit anceps, periculoſa, & horribilis. nam tormentorum tonitrua, ſclopetorum cum crepitu grando, armorum fragor, tubarum & tympanorum clangor, virorum vtrinq; clamores tot tantáq; erant, vt cœlum cum terra permiſceri videretur. In primis verò ad naualem arcem noſtri egregiè pugnarunt, vbi Curij præſul crucem in manu geſtans interfuit, & dimicantium animos cohortatione varia confirmauit, ita vt Barbari magna ſtrage reijcerentur.

Cum Turcæ viderent quantum detrimenti ex hac duplici pugna accepiſſent, alia ratione noſtros aggredi cœperunt, ac mira celeritate alia ſeptem munimenta iuxta vrbem extruxerunt. Inde octauo Idus Iulij ita tormentis muros verberarunt, vt quinq; millia globorum numerarentur, quibus noſtrorum pluteos & munimenta ita deiecerunt, vt locus conſiſtendi amplius non daretur. proxima luce Barbari pugnam reſtaurant, atq; munimentum Nappeum, Andrutium, & Loricam, cum arce nauali expugnare geſtiunt. Noſtri contra hoſtem ferire, loco pellere, & omnia agere, vt ſuperiores euaderent, ſex horas & amplius pertinaci ac diro certamine ab vtriſq; prælia tum, & Turcæ ex quatuor locis repulſi ſunt. At munimentum Reuelinum noſtri haud ſine maxima vtriuſq; partis clade amiſerunt. Ibi enim ex aduerſarijs mille ex noſtris quingenti ceciderunt, inter quos Robertus Maluetius, Marchettus Firmius, & Dauid Nucius viri fortiſſimi fuerunt. His actis pridie Idus Iulij Barbari caſtra propius admouerunt, & ſummis viribus denuò vrbem omnibus locis oppugnare ſtatuerunt. At Baleonus & Martinengus valida eruptione facta in eos irruerunt, & ignem in cuniculos proiecerunt, vt Turcarum quadringenti ibidẽ abſumerentur, ac Baleonus vexillo potiretur, quòd hoſti animoſè manibus præripuerat. Poſtea Turcæ modum inauditũ hactenus excogitarunt: Collegerunt enim haud mediocrem copiam tædæ, quod genus ligni facilimè ardet, ſed intolerabili odore. tanta protinus flamma excitatur vt nulla ratione extingui poſſit, licet ſubinde plena dolia aquis ſuperne à noſtris iniicerentur. Ignis ille quadriduum exarſit, eóq; incendio factum, vt obſeſſi ſe in oppidum reciperent.

Conflictus acerrimi.

In ea rerum conditione is erat ciuitatis ſtatus, vt extrema fortuna laboraretur, nihilq; præter militum fortitudinem ſupereſſet. Vinum erat abſumptum, nihil carnis recentis aut ſalitæ, nihil denique caſei haberi poterat. Vitæ alimentum per dies aliquot præbuerant equi, aſini, feles, & alia huius generis animantia, quæ tamen omnia iam deſierant. Pane duntaxat & fabis alebantur. Potus erat acetum aqua immixtum, quod etiam paulò poſt itidem erat abſumptum, adeò vt iam omnium rerũ inopia premerentur. Cum itaque primores vrbis hæc omnia ſecum perpenderent, decimotertio calend. Auguſti Bracadenum obnixè precari & obſecrare, vt mallent æquis conditionibus paciſci, quàm cum hoſte bellum producere. Hic autem viſis eorum poſtulatis ingemuit, atq; omnes incolas graui oratione conſolatus eſt,

Noſtrorum alimenta deficiunt.

1571 seque minimè vereri dixit, quin mox recenti subsidio subleuãdi essent, eáq; de causa statim Liburnicam Cretam versus aduolare iussit. Per idem tempus hostes cœptos cuniculos absoluerunt, & vltimo die Iulij succenderunt, qui insignem stragẽ ædiderunt, & duo tantum munimina nostris salua reliquerunt, quæ hostis omni conatu disiicere tentauit. Hoc prælium ad ueſperam vsq; summis vtrinq; viribus productum est, eiúsq; facies varia, fœda, & formidabilis cernebatur. In hac pugna ingens fuit numerus occisorum, sed multo maior ex aduersa parte. Proxima luce clamore sublato vndiquaq; nostros inuaserunt, & vltra sex horas dimicarunt. sed nostri hunc impetum pari constantia propulsarunt.

Famagusta Turcis dedita.

Post hanc oppugnationẽ cum omnia incommoda indies augerentur, ac in vrbe puluis tormentarius & commeatus deficere inciperet, nullúmq; subsidium appareret, è communi consilio sancitũ est, vt tandem æquis conditionibus se hosti traderent. Itaq; sub finem Iulij legatos ad Mustapham miserũt, & sub meridiem 1 die Augusti inducíæ peractę sunt. Conditiones erant vt omnes incolumes dimitterentur, vt nostris arma, vexilla, & facultates traderentur, & quinq; ex maioribus tormẽtis. Postremò vt Græcis domi esse liceret, suisqúe bonis frui, nullúq; vis cuiquam religionis causa fieret. Verum Turcæ perfidia vsi, cum nostri egressi essent in vincula coniecerunt, & in atrium ante Mustaphę papilionem productos crudeliter interfecerunt. Bracadenus etiam religione Christiana exprobrata constanti animo interijt. Verum Hercules Martinengus à Mustaphę Eunucho absconditus, & in vita conseruatus fuit, vt Tyranni mancipium foret. Mustapha etiam proximo die cum purpuratis vrbem ingressus Teupalum arcis prefectum suspendi iussit. Sed Nestor Martinengus Græco piscatore vsus Leptim aufugit, ac inde Cretam, & postea Venetias peruenit, ac Aloisio Mocenico principi omnia vt acta sunt bona fide retulit. Referebat is Barbaros vndiq; ad Cypri prædam concurrisse, ac vltra ducenta millia virorum fuisse, qui ex Cilicia, Syria, & minori Asia Turcis auxilio venerant. Quod ad pilas ferreas attinet septuaginta dierũ spacio (quibus ea vrbs oppugnata fuit) supra centũ & quadraginta millia conspectę dicunt. Perierunt ibi præfecti Arabiæ, Asiæ minoris, Tripolis, Fergatus & Framburatus. Ex nostris Antonius Bracadenus, Astor Baleonus, & Martinengus. Multi etiam viri nobiles & centuriones à Barbaris in captiuitatem abducti.

Classis Christianæ ordo.

Christiana classis interea animis ad certandum paratissimis ex freto Mamertino Messapiam versus nauigarunt, ac ordinem instituerunt quo quisq; militariter incederet, quémq; in tota nauigatione & conflictus tempore obseruaret. Ioannes Cardonius Siculæ classis præfectus veluti præcursor viginti milium passuum interuallo cum octo triremibus antecederet, secúmq; peritos remiges ac excubatores in carchesiis haberet, ipseq; singulis diebus vesperi ad octo millia passuum à classe recederet, ac si quid sentiret aliis significaret. Austriacus, Venerius, & Columna cum sexaginta quatuor triremibus mediam aciem regerent: Auria cum quinquaginta quatuor dextrum cornu, & Barbadicus cum tribus & quinquaginta læuum teneret. Postremo agmini Aluarus Bacianus cum triginta præesset. Centuriones ac trierarchi suos milites ad diuini numinis religionem cohortarentur, ac ostenderent hoc bellum iustum, Deoqúe gratissimum esse. Præfecti nauigia sua sic aptè connecterent vt inter illa nihil spacij esset relictum, vnde hosti aditus pateret. Inter dextrum cornu, mediam aciem & sinistrum cornu interuallum esset, quod trium vel quatuor triremium capax foret, vt quoduis agmen absque impedimento hac & illac moueri posset, pro vt occasio daretur. Paulatim in hostem irruerent, maximeqúe cauerent ne qua triremis implicata in alteram impingeret, idqúe ad trierarchum spectaret: Vt sex naues grandiores milliare quodqúe agmen præcederent, vt partem aciei priorem contegerent, si hostis pro more lunari forma aduentaret. nec tamen vlla earum latius procederet, bellica tormenta non disploderent, nisi cum ratio exigeret. Bacianus in prælio parti imbecilliori cum maturo præsidio adesset. Rebus sic dispositis & ordinatis iter intendebant. Tum etiam Austriacus

ſtriacus ſingulis agminibus teſſaram ab alijs diuerſam dedit, vt dignoſcerẽtur. Horum qui mediam aciem tenebat erat ex ceruleo colore, qui dextrum cornu ex viridi, qui ſiniſtrum ex flauo, qui nouiſſimum ex albo. 1571

Claſſis inſtructa primò ad Spartiuenti promontorium, & poſtea ad Lacinium peruenit. Die 19 ſeptemb. primo diluculo flante Aquilone vela explicuerunt & vſque ad Heracleum promontorium nauigarunt. Ibi decretum vt quatuor nauigia verſus Zacinthum & Cephaleniam mitterentur, qui hoſtium itinera explorarent. Proxima luce ſub noctem rurſus abire tentarunt, ſed compulſi ſunt ob ventum aduerſum ibi commorari & anchoras figere, donec ſecundior ventus afflaret. Interim accidit vt Prætoria Melitenſis ſabulo illiſa non parum incommodi acciperet, eáque tandem opera Quirini & Ioannis Lauretani cum magna difficultate in terram educta, & reſtaurata fuit. Poſtea communi conſenſu Corcyram verſus nauigationem dirigere ſtatuerunt. cum autem vix duobus millibus paſſuum perexerant, Noto refragante iterum per biduum conſiſtere coacti ſunt, & tandem ſoluentes in Corcyram peruenerunt. Ibi intellexerunt Othomannicam claſſem illinc 7 Idus ſeptemb. abiiſſe, & 15 calend. oct. ſe ad Præueſam oppidum in Actiaco promontorio recepiſſe. Videbant tum omnia ſuburbia à Turcis incenſa, & Vniuerſam inſulam fœdè & miſerè vaſtatam. ingens quoque commeatus penuria & aliarum rerum, quarum alimento humana vita indiget. In eo loco naues ventis prius diſſipatas collegerunt, & de belli ſumma deliberarunt. Rebus conſtitutis diſceſſerunt, & circa ſolis occaſum ad Leucunam inſignem portum peruenerunt 24 miliaribus Corcyra diſtantem. Illis diebus nunciatum eſt Selymanam claſſem Corynthiacũ ſinum iuxta Naupactum ingreſſam eſſe, ac miſiſſe Coronem nõnulla nauigia in quibus erant plurimi ægroti, vt inde recentes milites adueherentur. Dum ita res geruntur Auria claſſem perluſtrauit, atq; omnium aciem diſpoſuit.

Claſſis noſtra Corcyram venit.

Cum interea varijs tormentorum bombis ſeſe lætabundi inuicẽ ſalutabant, Veneti Auſtrium monuerunt vt hoc fieri prohiberet, ne aliquando cum belli ratio id poſceret, maxima huius rei inopia laborarent. Orabant etiam eum vt maturius progrederetur. Itaque iniunctum fuit, vt quiuis ab ea diſploſione abſtineret donec in hoſtem illis vti oporteret. Interea Lyburnica ex ortu à Zazyntho Venerio ſignificauit, centum & quinquaginta Turcarum triremes 12 calend. octob. in ſinu Corinthiaco viſas, & Occhialum anteà cum quinquaginta triremibus inde diſceſſiſſe. Eo die ad Caputalbum peruentum, ſemperq; ordine militari incedebatur. Auſtrius tũ de Venerio parum honorificè loquebatur. idem & Columna facitabat. Interea Cretam literæ aduenerũt ſignificantes Famaguſtam à Turcis occupatam nona die Auguſti: præterea Turcas neminí fidem ſeruaſſe, ac in omnes immanitatem diro exemplo exercuiſſe. Præterea Cretenſibus magnum periculum inſtare, niſi matura ope inſulanis ſuccurreretur. Mox poſtea Barbadicus ad Columnam miſſus, qui ſua authoritate Auſtriacum cum Venerio conciliaret: Qui etiam totam controuerſiam ducum compoſuit. Sed Auſtriacus poſt omnia cum Barbadico contulit. Ea nocte peracta quarta vigilia ſurrexerunt, & 5 die vento refragante ad vallem Alexandriæ quadraginta tantum milliaribus verſus littus Samos diſtantem, vnanimes peruenerunt. Ibi decretum vt in Petalam iretur, indéq; aliquot triremes ad proximas arces inuadendas mitterentur, ac hoſtibus decertandi poteſtas fieret. At ſi ipſe pugnam detrectarent, ſtatim retrocederent, & communitis prius Zazyntho ac Cephalene, miſſoqúe Cretenſibus præſidio, ſe tandem ad hyberna reciperent. In eo etiam loco certius intellexerunt Famaguſtam Cypri vrbem cum tota Inſula in hoſtium poteſtatem deueniſſe. Dictu incredibile quàm Barbari paſſim exultarint, quantáq; bellici tormentis & crebris ignibus per vicos turrésq; accenſis immoderatæ lætitiæ & gratulationis ſigna ediderint, idq; etiam in Pãnonia: quam primum quoq; ea res innoteſceret Budanus prætor Comiti à Salmis ac ipſo Cæſari per certos homines ſignificauit. Veneti tamen id difficulter credebant, donec eorum legatus, qui apud Selymum erat, omnem huius rei dubitationem eximeret.

Cypri amiſſio noſtris ſignificata.

Interim

1571 Interim Turcica classis quæ tum iuxta Naupactícum sinum adnauigabat, de nostrorum aduentu certior facta est per suos exploratores, quos hac illac præmiserat, qui nostrorum itinera maturè explorarent. sed inter alios Caracosius classium præfecto suam in ea re operam est pollicitus, idque solo myoparone tanta solertia perfecit, vt licet nostræ classi maximè vicinus foret, nihil tamen incommodi acciperet. Verum nostrorum numerum longè minorem quàm reuera erat affirmauit. Propterea Nauarchus sibi penitus in animum induxerat nostros inuadere, dicenti hæc sibi à Selymo Imperatore iniuncta, séq; minimè vereri quin infra paucas horas certa victoria potirentur. Dum hæc fierent Nonis octobris post meridiē duæ naues quę nostri præmiserant properè redierunt, indicantes Othomannam classem sinū Nau pactícum ingressam esse rectáq; ad nostram contendere, iámq; haud procul abesse. Hoc vbi auditum est, Austrius continuò vexillum quod erat signum futuri prælij erigi iussit, móxq; maximum ex tormentis euacuari, vt classis in vnum cogeretur. Eo peracto actuarium nauigium conscendit, totúsq; niueis armis vndiquaq; præfulgens, classem lætissimo vultu circumiuit, & præcepit vt quisq; suum signū sequeretur & ordinem seruaret: móxq; milites orauit vt strenuè dimicarent, seq; scirent eo die diuitias, decus, gloriam, patriæ libertatem, fidem, ac religionem in dextris portare. Illum diem si vicissent perpetuò sibi suisque fœlicitatem allaturum. Cō trà vero si turpiter egissent, omnis calamitatis initium fore. Vix autem illo conspecto singuli exclamare cœperunt, Victoria, Victoria. His confectis denuo in suum locum rediit, cùm vtraq; acies vix vnius ictu teli inuicem distabat. Mediam aciem in qua erant 62 triremes tres prætoriæ tutabantur, & locum medium Austrius, dextrū Columna, & sinistrum Venerius tenebat. breui spacio interiecto hanc sequebantur prætoriæ Chatarini Maripetri, & Ioannis Lauretani: pone aderat prætoria Ligurica, in qua erat princeps Parmæ, ac prætoria Sabaudiensis, cuius trierarcho erat Lignius, eáq; Vrbini princeps aduehebatur. Sed alam mediæ aciei Melitensis prætoria cum fortissimis sacris equitibus defendendam susceperant, quibus Petrus Iustinianus eques, vir strenuus & impiger præerat. alteram verò Lumilina, in qua Paulus Iordanus egregia virtute insignis erat. Illi ergo breui ientaculo sumpto, & Deo inuocato, recta ad hostem pergunt, atq; duæ maiores naues mediam aciem præcedebant: Auria in dextra acie habebat 64 rostratas naues, & duas quoque maiores, quæ antecedebant: sinistram aciem Barbadicus curabat, cum 53 triremibus, cui quoque maiora duo nauigia præsidio dabantur. Bacianus vero à quo nouissimum agmen ducebatur semimilliari ab alia acie consistebat cum trigintaocto triremibus. Diuina autem clementia contigit, vt ventus qui initio Turcis maximè fauebat paulatim remitteret, tantaque tranquillitas subsecuta vt eorum nauigia remis propellerentur, nostrísque interim plus spacij datum ad aciem instruendam.

Ioannis Austriaci virtus in acie ordinanda.

Turcæ aciē instruunt.

Turcarum dux post Caracosium duos alios præmiserat, qui olim capti ad Mahometis sacra defecerant, hique celoce aduecti nostram classem accuratè obseruarunt, & subitò reuersi nuntiarunt, eam omnino validissimam, optimèque signis erectis ad prælium instructam esse. id quòd Ducem mirum in modum terruit, qui putarat nostros ad eorum aduentum recessuros. Percunctatus quoque dicitur, vtrum prima nauigia sint Adriaca aut Occidua? cumque diceretur esse commixta, indoluisse fertur, qui id vix fieri potuisse sperarat. Nihilominus tamen mira celeritate suam quoque classem explicarunt, ac certam victoriam conceperunt, quod ventus initio eorum cœptis esset secundus. Quoniam autem solis radij (qui eo die lucidissimi erant) illorum oculos à fronte feriebant, sua nauigia non ita aptè disponere potuerunt. Partaus & Haly mediam aciem ducebant. dextro lateri præfecerunt Mahumetium Bey cum quinquagintaquinque triremibus, ac cum illo erant Sirocus præses Alexandriæ, Cauolaus, Asiscaus Dragan, Agadelus Bassa, & Vstresaga. Sinistro cornu præerat Occhial cum 90 nauigijs, quē Caracciolus & Arabeus filij eiusdem Occhialis cū exercitatis militibus & pyratis

comitabantᷣ, qui rectà in Aurianos ferebatur. Duces copiarum Haly & Partauum 1571
sequebantᷣ Agan Naualium præfectus, Mustapha Celibi quæstor, Tramõtana, Amath Bey cum eius fratre, & Haly filio, Amath Aga Eparchus Teuthraniæ, Assis Caiga prætor Gallipolis, Caracosius, Cambeus Ariadei filius, Malamur præses Mitileneus, Deli Solymannus, Gider Chij præfectus, Cassambeus Rhodi Eparchus, Prouius Aga Nauplius præses, Giapar Calibi prętor, Dardaganus, Dõdomenius, Beribeuolus, Osmanus Reul, Agada Gasafer, Dramus Rays alijsque complures cum opibus & authoritate tum rei militaris peritia conspicui. Hi omnes cum nostros ad strenuè confligendum expeditos viderant, statim se ipsos instar lunaris formæ ad certamen instruxerunt, & suos admonuerunt, vt fortiter contra toties victos pugnarent aut atrocem pœnam ab Imperatore expectarent.

Naualis pugna cœpta.

Iam ferè dimidium diei processerat, cum acies vtrinq; ad certamen parabatur: hostilis eodem ferè ordine instructa nauigabat, nam & acies media in nostram mediã contendebat, & cornua cornibus opposita agebantur. Nostram classem sex maiores triremes præcedebant. hæ dum in aduersi agminis duces impetum facerent, bellicis machinis hostem vndiq; verberare, ac horribili strage afficere. At Turcæ admirabili pertinacia illas prætergressi se illico ad signa recipiebãt. Itaq; mox ad pugnã vẽtum, ac prætoriæ vtriusq; aciei vsæ maximã nautarũ & remigiũ alacritate, vtrinque tanta vi concurrerunt, vt rostra ex vtraq; parte [illegible] & fracta conciderent. Ad integram horam pugnatũ, vt neutram in partem victoria inclinaretur, iámque non amplius tormentis aut telis sed districtis gladijs cominus agebatur. Cum vero nostri bis ad malum vsq; in regiam nauem irruissent, bis quoq; magna clade inde à nouo accurrente præsidio repulsi sunt. Dum res ita gereretᷣ, Cardonus conspicatus Lopem Figaroam plurimos vulneratos ac interfectos in prora habere, statim ei subsidio venit. Is verò dum ad proram dimicans hostem ferit, sclopeto ictus concidit. Tandem nostri acti certamine instantes post horam ac dimidiam hostem qui erat in media acie profligarunt, & regiam deuicerunt, in qua quingenti ex proceribus interfecti, & plures capti. Classis etiam præfectus Haly Bassa, dum optimi ducis & strenui militis personam exequitur, minoris tormenti ictu in capite sauciatus concidit, móxq; illius caput à collo abscissum ad Austrium delatum fuit. Hoc vbi aspexit protinus in hostili cuspide affigi iussit, hastámq; ipsemet aliquandiu instar trophei sua dextra tenuit, vt Turcis terrorem incuteret, móxque signa Turcica sublata, eórũq; loco vexillum salutiferæ crucis erectum fuit. Quamuis autem quædam hostilis prætoria in ipso certamine iam in regiam nostram victricem accurrisset, eundem tamen euentum vt reliquæ sortita est.

Dum regię inter se quàm acerrimè pręliantur, Partaus & Columna vtrinq; comi- *Atrox vbiq; prælium.*
nus congrediuntur, singulæq́ue triremes cum duobus aut tribus nauigijs decertabant. Conflictus initio multi occubuerunt, sed plures ab hostili parte, cum nostri in quouis nauigio ad trecentos sclopetarios exercitatos haberent. Verũ interim & remiges missilib. in hostem iaciendis haud mediocre adiumẽtum ad victoriam afferebant. Id nostris erat molestissimum, quòd hostes telis veneno infectis læthalia semper vulnera inferebant. Cum classiũ duces tam dira & atroci pugna confligerent, iam totis classibus simul ab omni parte cruentum pręlium cõmitti cœperat. Aurias & Occhial inter se quoq; concurrebant. sed ibi pugna difficilior, ob hostem veteranum & callidum, qui subinde tergiuersabat, & commodam vincendi occasionem quæritabat, ita vt eius consilia tegerentur. Ast vbi tandẽ serio ad arma ventum, Aurias cum Octauio Gonzaga & Vincẽtio Vitellio egregiè restiterunt, & Turcas ad se confertim tendentes repellere contendebant. Dum hæc fierent Aloysius Rechezenius cum Austrio egit, vt quàmprimum dextro cornu præsidio aduenirent. Itaque Regia superueniente asperum feroxq́ue prælium vtrinque commissum est. & licet initio paucæ ex rostratis nauibus regiam sequerentur, quæ tamen huic à latere erant Melitenses triremes nunquã deseruerũt. Cum aũt fortè accideret vt prętoria Hispana quandã triremem conspicata esset, in qua liberi nauarchi iam interfecti

1571 fecti vehebantur, qui parentem hac ac illac anxiè quærebant, protinus eis accurrit, atq; ibi acerrimè dimicatum fuit, cum in ea essent plurimi egregia virtute milites, in altera verò Ioãnes Velascus, Alexãder Torellius, & plericq; alij equites Cathelani.

Ioannitarũ equitum ingens periculum.

Per idem quoq; tempus Melitenses equites fortiter contra Barbaros pugnabãt, atq; impressione facta hostem procul arcebant. Petrus quoq; Iustinianus Ioannitarum triremium præfectus, vir fortissimi animi & virtutis, tametsi tribus rostratis nauibus impetebatur, sua tamen prætoria hostem aggressus duas illi ademit, iamque fermè tertia potitus videbatur, nisi vexillo (in quo erat insigne Diui Ioannis) agnito, statim tres aliæ Turcicæ naues hanc vndique adortæ essent, hæque simul iũctæ, omnes ferè illius propugnatores, inter quos erant quinquaginta ordinis equites, qui hostilem impetum admirabili quadam virtute diu multumq; sustinuerant, occidissent aut vulnerassent. Cum autem de illa penitus actum putabatur, tum ecce de improuiso nec sine cœlesti numine duæ ex socijs triremibus, quæ cum alijs tribus tam strenuè certauerant, vt iam omnes ferè cœpissent, hanc laborantem & in maximo discrimine constitutam intuitæ, confestim præsidio occurrerunt, nauique ex omni periculo erepta, Iustinianum trierarchum adhuc vitali aura vescentem, licet tribus confixum sagittis, & cum paucis militibus qui superstites remanserant in puppi glomeratis, intrepido animo dimicantem inuenerunt. Occhial interim cũ suis Aurianum latus vndequaque duriter infestabat, iamq; ad decem nauigia ex nostris interceperat. Id cum Austrius & Melitenses vidissent, rectà eam partem versus quæ magis ab hoste præmebatur suas vires intẽdebant. Hoc vbi Occhial animaduerteret, illico relictis nauigijs, quæ prius abripuerat, versus mediam suorum aciẽ magis ac magis admouebatur. Sed vt hanc expugnatam cognouit, & Austrius cũ suis etiam eódem contendissent, illicò de ineunda fuga cogitare incœpit. At nostri vt eum excluderent quendam locum præoccuparunt, qua illi transeundum existimarent. Is autem vt periculum euitaret iuxta cõtinentem admoueri cœpit, ibiq; triginta triremes exposuit, ita vt maior pars natando seruati sint. Austrius quoque, Bacianus, & Auriàs Occhialim celeri cursu ad diei inclinationem sequuti sunt. At ipse noctu triginta nauigijs, remis velisq; aufugiens, incolumis euasit.

Barbadici interitus.

Interea Barbadicus & Mahometus Bey inter se acriter summisque conatibus confligebant. Etsi verò ex nostris quilibet suo munere fungebatur, præsertim Barbadicus, Antonius Canalis, & Marcus Quirinus legati, tamen plurimum incommodi ab hoste accipiebatur, fuissentq; in maximo periculo, nisi nouissimum agmen mox cum suis præsidio accurrisset. Huius interuentu certamen multo acrius renouatum, hostesq; tanta vi & impetu nostri adorti sunt, presertim cùm ventum secundum haberent, vt plurimos trucidarint & vulnerarint. At dum Barbadicus contra hostem acerrimè pugnaret, sagitta in oculo transfixus est. Id cum legati vidissent eius vices susceperunt, ac talem operam præstiterunt, vt nihil ab eis desiderari potuerit. Ipse verò Barbadicus omnium bonorum gemitu & mœrore vesperi obijt. Priusquam è viuis decederet, percunctatus dicitur, vtra pars vicisset: cúmque nostros audiret superiores fuisse, ac Solymãnam classem partim captam partim depressam atq; incensam, illum immortales diuinæ bonitati gratias egisse, móxq; lætissimum ex hac vita in cœlestem emigrasse. Cum casus ille ad aliorum procerum aures peruenisset, Austrius militari spiritu hostes aggressus se omnibus cõspicuum & admirabilem reddidit, dignus qui patrem Carolum quintum Cæsarem, & fratrẽ Philippum Hispaniarum regem haberet. Venerius quoq; licet grandæuus sextum & septuagesimum ætatis annum agens, totus niueis armis vndiquaq; conspicuus clypeóq; & ense insignis nihil intermisit, quod ad victoriã pertinere videretur. Idem & de Marco Columna principe fortissimo, idem de Aluaro Baciano, Ioanne Cardono, & Andrea Auria ipsisque ordinis Ioannitarum equitibus sentiendum. Hinc factum vt hostibus occisis, aut interceptis, aut fugatis, sub vesperam pulcherrimã & à multis seculis inauditam nauale victoriam Christiani de Barbaris hostibus nacti fuerint, die 7 octob. anno salutis 1571.

Rena-

Re nauali fœliciſſimè geſta, claſſium ductores manibus in cœlum expãſis & genibus flexis, diuinæ clementiæ & bonitati immenſas gratias egerunt. Venerius quoq; Auſtrium acceſſit, & mutua gratulatione alter alterum complexus eſt, omniſq; præteriti diſſidij memoria ex vtroq; obliterata. Trierarchi quoq; & centuriones læta inter ſe agere, hos ac illos amplecti, fidémq; ac virtutem collaudare, inprimis vero illos qui pro religione & patria honeſtiſſima morte occubuerant, quorũ circiter octo millia fuerunt, & totidem vulnerati. Ex his præcipui fuerunt Ioannes & Bernhardinus Hiſpani ex illuſtri Cardonorum familia, Virginius & Horatius Romani, ex veteri Vrſinorum proſapia prognati. Ex Veneta nobilitate Andreas Barbadicus, Benedictus Superãtius, Catarinus Maripetrus, Vincẽtius Quirinus, Hieronymus Contarenus, Ioannes Lauretanus, Franciſcus Bonus, Marcus Landus, & Antonius Paſqualigus omnes ex Patritio genere. Præterea Ioannes Baptiſta, Benedictus Cyprius, Iacobus Cherſoneſius, Antonius Eudemonicus, Iacobus Vincentinus, Hieronymus Aſcrunienſis, Andreas Calergus, & Malateſta Ariminenſis. In primis verò plures ordinis Ioannitarum ſuccubuerũt, inter quos Ioachim Sparr Commendator Moguntinenſis & Francfortenſis, Ropertus à Hamberck Cõmendator ex Hemmendorff, & Franciſcus Droſt Germanicæ nationis fuerunt. Cum etiam prius in obſidione Melitenſi Ioannes à Neuneck, Ioannes ab Haſenburg, Florianus Stazala Bohemus, Georgius ab Haſenburg, Tylmannus ſacerdos, Dauid ab Angeloch, ac Ioannes à Dachſenhauſen. Ex vulneratis erat Auſtrius princeps, Paulus Iordanus, Troilus Sauellus, & Marcus Molinus Melitenſis triremis præfectus. Item Thomas Mediceus, Martellus, Renerius Guicciardinus, Spina & Mazzingus equites Florentini, cum multis alijs genetoſis, nobilibus, & clariſſimis viris. *1571 Chriſtianorum memorabilis victoria.*

Hoſtium verò numerus vix certus reſciri potuit, cum plurimi eorũ ſint ſubmerſi. fama tamen eſt ad quindecim millia interfectos, ac quinq; millia captos & innumeros vulneribus affectos. Ex celebrioribus autem fuerunt Haly Baſſa totius exercitus Imperator, Amatus Bey qui Ianizeris imperabat, Aſſamus Bey, Mehemetus Bey Metilenæ præfectus, Giderus Bey, Capſanus Bey Rhodius præſes, Prouis Aga præſes Lepitanus, Muſtapha primarius quæſtor, Aſis Caiga præſes Gallipolis, Tramontana regiæ nauis gubernator, & Caracoſius. Ex captiuis erant Mahemetus Bey, Samus Bey, Euboeæ præfectus, & Sirochus Bey, vnà cum vxore. Ex fuga ſeruatis erant Partaus & Occhiali, qui viginti quinq; triremibus, & decem liburnicis Naupactum peruenerunt. Ex hoſtili claſſe triremes centum ſexaginta & vna in noſtrorum poteſtatem peruenerunt, depreſſæ & perforatæ quadraginta, ex liburnicis & alijs nauigijs ſexaginta capta. Erant in Turcarum claſſe 14000 Chriſtianorum capta, magnaq; pars ad remos damnata, qui omnes libertati reſtituti ſunt. Regia verò nauis quæ cum reliquis capta eſt erat mirabilis formæ & pulchritudinis, vt vix vllum in Oceano vniuerſo huic comparari potuerit. Pars enim interior ditiſſimis aulæis ex aureo filo contextis, & variarum gemmarum nitore vndique fulgebat. Adhæc ibi plurimæ veſtes & indumenta precioſa reperta, acu, bracteis q; argẽteis depicta, tam ſpecioſo & diuite opere, vt vel Selymus imperator vix magis regia & opulenta induere potuiſſet. *Turcarum clades.*

Vbi primùm claſſis Turcarum deuicta eſt, Auſtrius dux varias legationes inſtituit, miſitq; Ferdinandũ Mendozam ad Maximilianum Cæſarem, Lopã Figaroã ad Philippum Hiſpanum, Petrũ Sapatam ad Venetos, & Conradum Pliegium ad Piũ 5 pontificẽ. omnes aduecti ſunt in Ioannis Cõtareni triremi, quæ 5 Idus octob. à claſſe diſceſſerat. Illi primo Hydrum appulerunt, ibiq; deſcenſionem fecerunt, indeq; pars Romã, alij Adriam petierunt. Miſerat etiam Venerius biduum à nauali conflictu Vnfreum Iuſtinianum Venetias cum literis, quibus fœlix & optatum nũcium afferret. Is 19 die octob. ſub meridiẽ Adriaticum portum ingreſſus, vnum ex maioribus tormentis diſplodi iuſſit, móxq; rectà ad D. Marci prętorium cum quatuor ſignis Turcicis feſtinauit, quæ ex rubro & albo colore conſtabant. Cúmq; re- *Venetorum ingens lætitia.*

1571 miges victoriam acclamarunt, & aduersam classem profligatam dicerent, Deum immortalem, omnes incolæ gestientes hac illac bachantium more excurrebant, & lęti nuntij vocem ingeminabant. Mox patres sibi mutuo gratulantes templum adierunt, & publicis hymnis deo gratias egerunt. postea omnia campanis æris sonitu & bellicorum tormentorum fragore intonabant, ac passim ignes facésque accendebantur. Captiui quoque omnes liberati ac æs alienum persolutum, quorum summa non vltra 25 coronatos extenderetur. Idem in omni quoque ditione Veneta fiebat, multi etiam principes Venetias legatos miserunt & senatui gratulatum sunt, in primis Allobrogus, Ferrariensis, Florentinus, Parmensis, Mantuanus, Vrbinas, & Melitensis principes. In tanta verò ordinum lætitia nemo lugubrem vestem induebat, licet plurimi suos cognatos & affines amiserant. Idem etiam Romę à pontifice, ac in regnis Hispanicis ipsaque Melitensi insula fiebat, vbi nullum genus lętitię intermissum fuit, præsertim cum vndicq; legati aduenirent, & ob fœlicem eam victoriam confœderatis gratularentur.

Selymi luctus.

At Turcis tam opulentæ classis iactura acerbissima fuit, eiusque recordatio semper pergrauis & luctuosa extitit. Ipse quidem Selymus tum temporis Adrianopoli agebat, quum octauo dierum spacio ab accepta clade ad eum nuncius citato cursu aduenit, qui suam classem à nostris deuictam & expugnatam indicaret. Vt primum hoc audiuit grauissime indoluit, eoque die neminem in colloquium admisit. Cum verò is rumor increbuit, protinus omnia metu, lachrimis & ululatu repleri, dū alij parętes, alij liberos, alię maritos, amicos, & affines amissos deflerēr. Inprimis verò imperatorē cruciabat, qđ tot egregios duces ac trierarchos, tot bello viros insignes, tot prętorianos milites amiserat, q reb. maritimis à puero assueti, nullis hominibus in ea re cedebant. insidebat etiam menti ignominia quā sibi & toti domui Othomanicę perpetuò inustam videbat. Sequentibus diebus p urpuratis & proceribus conuocatis, eorum animos consternatos erigere & confirmare, & callida simulatione multas causas adducere, quibus angore depositò ad vltionem eorum animos incitaret. His peractis Venetum oratorem atq; alios eius ditionis homines, quicq; Philippo vel pontificio imperio subijcerentur, custodiæ demandari iussit, atque armorum & nauium præfectis præcepit, vt noctésq; diésq; noua nauigia construerent. Deinde omnibus prouinciarum præfectis seueriſſimè iniunxit, vt singuli initio veris vnam atq; alteram triremem instruerent, quo arces & loca maritima tuerentur, & acceptam calamitatem vlciscerentur.

Classis Christianorū domū reuersa.

Cæterum nostri principes à nauali pugna inter se deliberabant quid potissimum agi conueniret, exque communi sententia decretum, vt ex captiuis præcipuis cognosceretur, quonám in statu arces Naupacti & Neritis essent. Cum indicarent has firmo præsidio teneri, Gabriel Sorbolonus eò missus, qui singillatim vniuersa obseruaret. Interim constitutum, fieri non posse, vt aliqua oppugnatio susciperetur, nisi prius classe nouo præsidio instaurato. id verò quo minus commodè fieret, instans hyems obstabat. Itaque Austrius & Columna statuerunt sese cum classibus Messanam recipere, quo etiam in Nouembri incolumes peruenerunt. Dum per Naupacticum sinum nauigarent, in toto itinere iuxta continentem nihil aliud quàm occisorum cadauera visebantur, quæ vndarum fluctibus huc illuc iactabantur. Eo tempore Melitenses equites, ducibus valedictis, quoque domum versus Melitam cum sua classe profecti, à principe & fratribus magna inuicem gratulatione susceptì fuerunt. At Veneti qui ob amissum Cypri regnum varijs curis afficiebantur, bellum non intermiserunt, sed per Venerium classem refecerunt, ac triginta nauibus rostratis (in quibus sex millia virorum erant) Margaritam arcem in Epyro sitam obsiderunt, quam etiam pridie Idus Nouembr. deditione occuparunt. Creticæ etiam biremes duce Canali in Peloponneso nonnulla Turcica nauigia interceperunt, quæ onusta captiuis & exuuijs Famagusta soluerant, & Byzantium versus nauigabant. Postea in varijs locis Veneti classem

classem instruebant vt vere proximo sua recuperarent, & Turcas in alijs locis inuaderent. ne etiam vlla occasio simultatis ducibus daretur, Venerium senem officio liberarunt, & Iacobum Foscarinum virum singulari virtute classi ea lege suffecerunt, vt inconsulto Venerio nihil ageret. 1571

Dum Veneti hac ratione suarum rerum satagunt, etiam Hispaniæ rex ac Melitenses equites per hyemem omnia nauigia restaurarunt, atque milite, armis, & cõmeatu instruxerunt. Itaque cum se tempus anni aperire cœperat, socij principes noua inter se consilia inire, quidque factu opus esset maturè prospicere, vt Barbaros inuaderent, ac oppressos passim Christianos in libertatem vindicarent. Etsi verò Pius 5 Pontifex sub finem Aprilis naturæ concesserat, tamen nouus pontifex Gregorius eius nominis 13 (qui 7 Idus Maij anno 1572 electus fuit) ne suo muneri deesset, idem fœdus confirmatum esse voluit, seque statim ijsdem conditionibus, quibus eius præcessor, coram patribus obstrinxit. Igitur ex communi consilio & viribus belli præsidia parabantur, & quisque ex fœderatis principibus ea seorsim agere, quæ sui muneris esse iudicabat. Paucis post diebus Veneti suam classem Corcyræ instruxerunt, ibique socios expectare constituerunt. Interim Sara Martinengus cum quibusdam Venetis cohortibus Castrum nouum obsedit, atque suburbia occupauit. sed cum præfectus Epyri cum magna militum manu oppidanis præsidio appropinquaret, ne hostili acie vndiq; circumdaretur, ab inchoata oppugnatione se in tutum recepit.

Confœderatorum nouus belli apparatus.

Eadem hyeme in regnis Philippi regis Hispaniarum passim omnis generis spectacula exhibita partim propter Victoriam insignem à Turcis habitam, partim quod Maria Maximiliani Cæsaris filia regi marito die quarto decembris filium Ferdinandum in lucem ædiderat, qui in spem multorum regnorum alendus erat. Hyeme autem peracta passim milites conscripti & classibus impositi, vt confœderatis alijs ad Corcyram iungerentur. Ibidem etiam Pontificij & Melitenses equites instructa classe comparuerunt. Veneti prius Catharum vrbem obsidione cinxerãt, & 15 Ianuarij anno 1572 summa vi expugnarant, Turcico præsidio deleto. Cum hoc modo Barbari varijs calamitatibus afficerentur, etiam Constantinopoli magna hominum strages facta. Nam tempestatem horrendam etiam terræmotus subsecutus, qui plurimas ædes quinto die Martij subuertit, ac multa millia hominum sustulit. Ferunt tum Selymum dixisse, Deum has calamitates suis inferre, quod Mustapha deditis Christianis in vrbe Famagusta nullam fidem seruarit, atque omnes summa crudelitate trucidarit. Itaque eidem infenso animo eam perfidiam exprobrauit, & loco mouit. Postea vocatis suis purpuratis classem parare, atque Christianis summis viribus obuiam procedere iussit. id quod ipsi impigrè effecerunt, Partau & Occhiali ducibus existentibus. Cum autem prioris classis essent memores, sese in portu continebant, atque subinde occasionem expectabant vt admissam labem insigni aliquo facinore extinguerent. Verum Christiani animosè agebant, atque latè per maria hinc inde victores vagabantur. quod si etiam aliquot Turcarum naues in apertum pelagus prodirent, a nostris intercipiebantur, atque Barbaris occisis diripiebantur. Id quod Turcas mirum in modum perturbabat, atque in munitis locis continebat.

Hispanorum ludicra spectacula.

Cum Christiani confœderati terra mariq; in Oriente cum Turcis vario Marte per æstatem bella gererent, Gallia intestinis dissidijs miserè lacerabatur. At cum rex Nauarræ partium Euangelicarum primarius dux Caroli 9 regis sororem vxorem duceret, omnium animi ad firmissimam pacem erecti fuerunt. Verum multo aliter accidit. Cum enim reformatæ (vt vocant) religionis proceres Lutetiam ad nuptias vocati comparerent, ea nocte quæ D. Iacobi festum præcedebat à regijs militibus miserè trucidati & sublati fuerunt, inter quos Casparus Colignius Admiralius præcipuus extitit. Mox etiam eadem ratione per totam Galliam contra Euangelicos sæuitum, multis millibus vtriusque sexus horribili clade submersis & interfectis. Itaq; factum vt superstites sese denuo coniungerent, ac externo milite vo

Inaudita cædes in Gallia.

Bartholo:

1573 cato se defenderent, ita vt atrox bellum per totam Galliam denuo fuerit restauratum. Paulo pòst noua stella magna omnium admiratione in cœlo visa. Erat illa in Cassiopeæ sideris lymbo circiter septimam tauri partem, quæ ferè per biennium ad polum arcticum apparuit, & futuros casus insolitos portendit. Fuêre tamen aliqui qui Cometam fuisse dicerent, qui sub stella accensus motu eiusdem stellæ agitatus fuerit, donec tota exhalationis materia tandem absumeretur.

Belgiæ miserabilis status

At non tantum hoc tempore Gallia intestinis bellis laborabat, verumetiam tota Belgia miserè in varias partes scindebatur. Cum enim Carolus 5 Imperator fato functus esset, Philippus Margaritam sororem Parmæ & Placentiæ ducissam ibidem suo nomine præesse iusserat. Cum autem ea natio certis legibus principi subijceretur, grauiter ferebat quod Hispanica inquisitio religionis causa ibidem introduceretur. Itaque per supplices libellos proceres regionis à Margarita & rege petierunt, vt eadem seuera incolarum pœna tolleretur. At cum minus res procederet, Tornacij, Valentiæ, & Antuerpij magni motus excitati fuerunt, ita vt mutata religione res in apertum bellum erumperet. Id cum Philippus intellexisset, loco Margaritæ sororis Ferdinandum Toletanum Albæ principem Belgiæ præfecit, atq; octo millibus Hispanis ad eas regiones celeriter transmisit, vt armis tandem res componeretur. Is plurimos nobiles in captiuitatem redegit, atque Bruxellis capite truncari iussit, inter quos etiam Egmondanus princeps, atque Memorantius Hornensis comes, vterque Velleris aurei equites, extiterunt. Hac re proceres regionis moti Albano restiterunt, ac per Flandriam, Brabantiam, Holandiam, Selandiam, Hannoniam, & Frisiam maximum bellum excitarunt. plurimæ etiam vrbes à rege defecerunt, ac Euangelica religione professa, fœdus inter se inierunt. Itaque Albanus Mechliniam vrbem obsidione cinxit, atque 2 octob. anni 1572 in potestatem redegit, ac militibus diripiendam concessit. Postea quoque Harlemium obsedit, & multoties frustra oppugnatam 13 Iulij insequentis anni vi occupauit. At Euangelici (quos Geusios vocabant) Auraicum principem suæ partis propugnatorem constituerunt, ac pro religione & libertate cum Albanicis fortiter dimicarunt. In primis verò 20 septemb. anni 1573 Albanicos ad Ambsterodamum prælio vicerunt. Cum autem Hispani Martis aleam denuo tentarent, 11 octob. iterum succubuerunt.

Philippus Flach Rhodiorum per Germaniam princeps.

Interea dum confœderati contra Turcas in Epyro decertarent, atque Galli & Belgæ intestinis bellis se inuicem consumerent, Adamus à Schvualbach 24 Ioannitarum equitum per Alemanniam prior 4 die Iulij anno 1573 obijt, atq; in eius locum Philippus Flachius à Schvuartzenburg princeps constitutus fuit, vir omni genere virtutum clarissimus. Natus is fuerat in Franconia anno 1525. Cum autem is religionem Christianam intimis affectibus amaret, ac Turcas odio prosequeretur, anno ætatis 21 Ioannitarum ordinem professus Melitam venit, ac per 33 annos contra Barbaros fortiter pugnauit, ita vt etiam aliquando circa Siciliam à Turcis caperetur, & vix post sex menses magna pecunia oblata liberaretur. In Tripoli quoque aliquandiu cum imperio præfuit, & hostium consilia multoties irrita reddidit. Quin etiam sæpius ordinis Triremibus præfectus contra Barbaros duxit, & versus orientem excurrens pyratas auertit & magna gloria Melitam redijt. Eam enim dignitatẽ Germani equites per 30 circiter annos magna laude administrarant. Vidi prætorij eius vexillum rubeum, alba cruce pulcherrimè in medio distinctum in arce ipsius Hayterſen, quod ad rei memoriam Melita secum aduexit. longitudo erat 35 cubitorum, ac latitudo in parte superiori 15. At in parte inferiori erat acuminatũ & duabus alis conspicuũ. Cum hoc modo pergeret Ordinis per Alemanniam prior decessit, atq; in eius locum Philippus electus inter Romani imperij principes annumeratus fuit, anno ætatis 48 salutis verò 1573. Itaque Melitam relinquens in Germaniam patriam redijt, atque in anteceſſorum arce Hayterſen loco amœno regionis Brisgaudiæ, Militaris ordinis negotia prudenter hactenus administrauit.

Eodem anno septimo die octobris Ioannes Austriacus 105 triremibus & 40 na-

uibus

uibus Drepano discessit atque Guletam circa Tunetum peruenit. Ibi etiam Melitenses instructa classe comparuerunt. præterea Andreas Auria 29, & pontificij 14 triremibus optimè instructis. Rebus ibi ordinatis, nouam quoque arcem præsidijs munierunt, atque Tunetum occupare proposuerunt. Intellexerunt enim Turcas metu tanti exercitus vrbem reliquisse, atque sese in tutiora loca recepisse. Itaque vrbem petentes eam receperunt, atque Mauros arce expulerunt. Cum autem Turcæ Bisertam peruenissent, ab incolis excluſi circumiacentem ditionem populati sunt. id cùm nostri intellexissent partem copiarum eò miserunt, atque Turcas 13 octob. acie vicerunt, & eam vrbem in suam quoq; potestatem redegerunt. Postea Amidã regem, qui Tuneti multas turbas excitarat, captiuum in Siciliam ablegarũt & Mulealsem iuniorem regem constituerunt, qui etiam sese clientem & tributarium Philippi Hispani profeisus est. Paulo pòst quoque mille quingenti Turcæ cum tribus millibus Arabum omnia itinera circa Tunetum infesta reddiderunt. Verum nostri illis obuiam progressi prælio superarunt, atque 150 Christianos captiuos liberarunt. Hisce rebus perpetratis ingenti gloria domum reuersi sunt. Cupiebat enim Philippus etiam ciuilia bella quæ in Belgia exarserunt restinguere, vt eo commodius viribus iunctis Turcis resistere posset. 1573 *Tunetum à nostris occupatum.*

Cum hoc modo Galli & Belgæ ob religionis controuersiam infestis inuicem animis essent, Veneti, Hispanus, & pontifex maximis sumptibus bellum terra marique contra Turcas continuabant, atq; dubio Marte aliquoties confligebant, ita vt præter arma dissidentes partes nihil cogitarent. At cum Hispanus in Belgia quoq; exercitum alere, ac subditos in officio continere cogeretur, Venetus senatus de pace aut induciis deliberare cœpit, præsertim cum merces eorum per orientem cessarent, atq; Selymus Turca Cretam insulam inuadere statueret. Itaque legatos insignes Constantinopolim miserunt, qui cum purpuratis de ea re conferrent, ac maturè patrum consilia ad optatum finem perducerent. Cum itaq; illi diu ibi perseuerarent, & omnis generis munera Turcarum proceribus offerrent, Selymus tandem pacis conditiones proposuit, easdem ferè quas antea aliquoties cum ea republica habuerat. Cyprum tamen sibi retinendam decreuit cum omnibus locis quæ proximis tribus annis occuparat. Idem & Venetis concessum. Tamen Veneti Turcis Sapotum, & Turcæ Venetis Zaram cum circumiacenti regione restituere cogebantur. Epyrotæ quidem Turcis parere recusabant & ad 300 interfecerant. Verum Venetorum armis coacti tandem Turcis iurarunt. Ideo autem pacis conditiones libẽtius Selymus cum Venetis admittebat, vt eo commodius Hispano & ordini Melitensi resisteret, qui Tunetanum regnum & Tripolim vrbem in Africa summis viribus repetendam armis duxerãt. Hinc factum vt die 11 feb. anni 1574 pax inter Turcam & Venetos Constantinopoli tandem sancita, & postea 13 die Martij Venetis magna ciuium lætitia solenniter publicata fuerit, confœderatis alijs plurimum admirantibus. *Venetorum pax cũ Turcis.*

Ea pace confecta Turca maximum bellum contra Ioannem Valachiæ principem susceptt, ac tandem totam ea regionem suo imperio adiecit. Valachia olim Mysia & Dacia dicta fuit. ab ortu habet mare Euxinum, à meridie Danubium, ab occasu Transyluaniam, à septentrione Russiam. Habet autem duas partes, scilicet Transalpinam, & Moldauiam quæ à flumine Moldauo mediam regionem secante dicta est. Transalpinam Machometes Turcarum princeps sibi subiecit, qui & Constantinopolim vrbem expugnauit. is Moldauiam liberam esse voluit, ac tantum duo millia florenorum annuum tributum imposuit. Itaque ea regio sese partim Vngaris partim Polonis coniunxit, & subinde ab ijs subsidia cõtra Barbaros habuit. Accidit autem vt Bogdanus eius regionis princeps Polonos plurimum amaret, atq; sæpius in Prussia habitaret. Id cum Selymo suspectum esset, tandem Bogdanum ducatu exclusit atq; Ioannem (qui ab ipsis Iuonia dicebatur) magnis copijs Valachiæ Vayuodam constituit. Erat is Stephani Vayuodæ ex concubina filius, qui patria expulsus ad Turcas confugit, & abnegato Christianismo Macho- *Moldauia Turcis cessit.*

1574 meti ſectam aſſumpſit. Is tamẽ ducatum adeptus ad Chriſtianiſmum rediit, ſed cru
deli dominatione erga ſubditos vſus fuit: in primis verò Turcas odio habuit, & il-
lorum ſucceſſibus reſtitit, ita vt Selymi purpuratis ſuſpectus eſſet. Id cum Tranſal-
pinæ Valachiæ Palatinus intellexiſſet à Turcarum Baſſis petijt, vt Petro fratri ea
regio à Selymo concederetur, atq; ſimul triplo maiorem tributum annuum promi-
ſit, nempe centum viginti millia florenorum. Hac ratione factum vt Selymus à pur
puratis perſuaſus Iuoniam hortaretur vt officio diſcedat, aut tale tributum pende-
at. Verum Iuonia ſe id facturum negauit, atque re cum proceribus deliberata bel-
lum contra Turcas decreuit. Petebat autem à Polonis auxilia: id quòd ipſi ob diu-
turnam cum Turcis pacem publicè ab Heinrico denegatum fuit. Erant autem tum
mille ducenti equites Poloni qui Koſaci dicuntur & in finibus Scythicis prædam
exercebãt, hi inſcio ſuo rege ab Iuonia vocati & liberali ſtipendio pellecti, ei ſuam
operam ſunt polliciti. Armauit etiam ad viginti millia ſubditorum, atque ſeſe con-
tra Turcarum Tyrannidem defendere propoſuit.

Proditio Turcis grata.


Selymus cum ea cognouiſſet centum nullia Turcatum armauit, atq; Iuoniam
viuum aut mortuum ad ſe perducere, & Petrum principem conſtitui præcepit. Cũ
exercitus ille in Podoliam veniſſet atq; ſeſe quieti tradidiſſet, Iuonia cum Suerce-
nio Polonorum duce illos noctu ex inopinato aggreſſi vicerunt, & plurimis truci-
datis in fœdam fugam conſecerunt. Poſtea Tranſalpinam Valachiam vaſtarunt, ac
Petrum perſecuti ſunt. Inde etiam Brailouium vrbem ad Danubium ſitam expu-
gnarunt, & omnes incolas interfecerunt. Cum etiam nouus Turcarum exercitus
ſuperueniſſet, eundem quoq; ſuperarunt, & tota Valachia eiecerunt. mox etiam ar
cem & oppidum Temienſem expugnarunt, atq; Selymum eò redegerunt, vt non
modo de Podolia occupanda deſperaret, ſed etiam de tota Græcia retinenda time-
ret. Itaq; ſolita arte non viribus ſed dolo agendum eſſe decreuit. Erat in Iuoniæ exer
citu Ieremias Czarnauiecius Chozimenſis arcis præfectus vir prudens & militaris
cui princeps plurimum fidebat, atq; exercitum ſuum commendarat, vt ipſe intera
dum Turcæ redirent, in loco opportuno cum Polonis quieſceret. Cum eò Turca p
Petrum egit, atq; triginta millibus aureorum oblatis, eo redegit, vt cum Turcis con
ſpiraret, ac ducenta millia hoſtium Danubium tranſire permitteret. Interim ipſe re-
troceſſit, atq; Iuoniæ ſignificauit vt illico adeſſet, atq; ſecum hoſtem timidum pro-
fligaret, quorum numerus vix viginti milium exiſteret. Erat tum Czarnauieci fides
Polonis ſuſpecta. ſed Iuonia victoriis aſuetus illico profectus, 9 die Iunij anno 1574
ad hoſtem peruenit, & pugnam inire decreuit. Ibi Czarnauiecus cum tredecim mil
libus militum ſtatim ad Turcas tranſiit, ac dominum ſuum prodidit. ſuperuenit
quoq; ingens pluuia, quæ Chriſtianorum tormenta humectando inutilia reddidit.
Itaq; Iuonia retroceſſit, & in tumulo illico caſtra firmauit. Cum autem ibidem pe-
nuria aquarum laboraret, tertio die ſeſe dedidit, ea lege vt Polonis tutus daretur in
patriam reditus, vt Valachis fides Chriſtiana relinqueretur, & vt ipſe viuus ad Se-
lymum perduceretur. ſperabat enim ſe ob antiquam familiaritatem gratiam apud
eum inuenturum. Verum Turcæ perfidia vſi Iuoniam ad ſe venientem per medium
ſecuerunt, atq; pari immanitate Polonos trucidarunt, pauciſſimis in captiuitatẽ re-
dactis. Poſtea Petro Podoliam attribuerunt, & maximum tributum impoſuerunt.

Galeta arx à Turcis occupata.

Paulo antea Coſmas Medices potens Hetruriæ dux 21 die Aprilis vitam cũ mor
te commutauit, princeps clariſſimus, qui ſubinde magna ſubſidia contra Barbaros
adminiſtrauit, & Chriſtianam rempub. cum alijs fortiter defendit. in eius locum Pe
trus filius ſucceſſit. Pari ratione Carolus nonus Galliæ rex, poſt varias & horren-
das ſuorum clades, 30 die Maij fato fungitur. Erat Heinricus eius frater iam antea à
Sarmatiæ proceribus rex Poloniæ poſt Sigiſmundum Auguſtum eius familiæ vlti-
mum deſignatus. Verum is audita fratris morte Poloniam reliquit, & ſumma cele-
ritate in Galliam rediit. vbi etiam Francorum rex eius nominis tertius conſtitutus
fuit. Is etiam paulo pòſt Vadamontij Lotharingiæ principis filiam vxorem du-
xit, & magna pompa nuptias celebrauit. Inde quoque ſubditorum calamita

te mi

te misertus, religionis dissidium in Gallia composuit, atque exules hinc inde re- 1574
uocauit, certis legibus æditis, quas transire partes illas nefas esset. Cum huiusmodi mutationes passim per Europam fierent, atque Poloni nouum quoque regem Stephanum Batori principem fortissimum elegissent, Selymus Turca Christianos denuo inuadere, atque insigni quadam clade afficere constituit. In primis vero Guletam arcem ad Tunetum sitam in suam potestatem redigere statuit, quam ante 40 ferè annos Carolo 5 Cæsare Hispani interceperant. Videbat enim Tyrannus plurimum referre cui arx illa in finibus Africæ subijceretur. Erant quidem in partibus illis plurimi Pyratę, qui rapto viuere consueuerant, atque semper tutum refugium in eum locum habuerant. Quod si etiam in illis regionibus non esset occasio vt aliquos deprædarentur, illi versus Melitam aut vicinas Ioannitarum insulas, imo ad Siciliam, Italiam, & Hispaniam prædabundi excurrebant, atque magnam copiam annonæ, pecorum, & hominum secum abducebant. Itaque plurimi ex Barbaris eò confluebant, atque in Christianorum prouincias excurrere cupiebant. Impedimento autem illis erat Guleta, & eius loci propugnatores qui instar propugnaculi subinde Mauris & Turcis resistebant, atque excurrentes cum opimis spolijs intercipiebant. Itaque Turcæ omnem operam impendebant, vt loca illa munita à Christianis abalienarentur, & in Turcarum potestatem deuenirent, id quod hactenus hominum ætate fieri nunquam potuerat, præsertim cum Melitensis ordinis equites omnibus viribus resisterent, atque locum illum, vnà cum Hispanis instar propugnaculi suæ insulæ obseruarent. Erant ibi semper in præsidio mille Hispani tormentis & commeatu instructissimi, qui regnum Tunetanum in officio continebant, ac sæpius excurrentes pyratas & alios prædones tollebant. Itaque Selymus id negocij Occhiali regi Algieræ & Piali Bassæ dedit, ac summa vi Guletam occupare iussit.


Frawnzimer
A
Hortus
B
Lüstgartn
Lüstrū
Thiergartū
C
Castrū
Schloß
Sepúlchra
Spital
Süburbiū
vorstat
Arsenale
Carada fl.
GOLETA
Güsa
D
Thermę
Maomet
Clupea
Vtica
Ruïnę Carthaginis
Bagrada fl.

Illi ergo ingenti classe 300 nauium comparata 13 Iulij primo circa Guletam visi fuerunt: ibi statim aquarum turrim magna vi oppugnarunt et occupare statuerunt. Erant ibi 800 nostrorum tormentis & armis optimè instructi. Verum cum maiori ex parte occisi aut vulnerati essent, Gabrielis Serbelloni præfecti Gulemani iussu sese in arcem receperunt. Perierunt ibi Turcarum tria millia. Postea Barbari Guletam obsidione cinxerunt, & plurima propugnacula erexerunt, ac tandem post varias oppugnationes 9 die Augusti Canalem lacus occuparunt. Cum autem Turcæ timerent ne obsessis auxilia quædam mitterentur, noctesque diesque in oppugnatione perseuerarunt, & ingentem tumulum circa arcem erexerunt, in quo plurima tormenta collocarunt. Cum autem ex noua arce aliquot signa Hispanorum subsidio venissent, 20 Augusti Turcas magna clade repulerunt. Tum etiam cuniculis ex arce actis aliquot millia Turcarum interierunt. Verum cum subinde recentes Turcæ fessis submitterentur, tandem 23 Augusti duas horas post solis occasum Guleta expugnata, cum vix 200 milites ibidem superfuissent, qui omnes cum imbelli multitudine discerpti fuerunt. Ibidem ad 400 tormenta in hostium potestatem venere. Mox etiam nouã arcem obsidione cinxerunt, vbi Salazar cum 3000 fortissimis viris præerat. Cum etiam Turcæ eandem sæpius frustra oppugnassent, tandem 13 Septembris post horam sextam pugnæ expugnarunt, omnibus propugnatoribus trucidatis. Inde quoque Tunetum profecti vrbem [illegible]iam occuparunt, atque propugnaculis nudatis diruerunt, ne in posterum deficere possent. Ea tamen victoria Turcis fuit cruentissima. ferunt enim quod in tribus mensibus ad triginta sex millia Barbarorum à nostris occisa aut grauiter vulnerata fuerint, quibus abductis semper ex Algiera & Tripoli recentes aduecti. Hacque ratione Tunetum in Turcarum potestatem rediit. Postea quoque die 4. octobris Turcica classis 400 nauiũ Melitam appropinquauit. Sed cum omnia loca optimè cõmunita cernerent statim discessit & Constantinopolim versus iter tenuit.

1574 Tunetũ Turcis cessit.



Cum Melitenses equites Guletę arcis amissionem graiter ferrent, atque certo cogitarent Occhialem cum sua classe rectà Melitam inuasurum, illico arma & tormenta pararunt, atque Barbarũ hostem forti animo excipere statuerunt. Verum illi huius strenuissimi ordinis virtutem eognoscentes, quiescere domique se continere, quàm Christianos vlterius lacessere proposuerunt. Idque maximo ordinis emolumento. Erat tunc post Petrũ Melitensem principem (qui 28 Ianuarij anni 1572 decesserat) Ioannes Leuescq della Cassiera Gallus, vir fortissimus & veneranda canicie conspicuus, magnus Ioannitarũ Magister & princeps. Is eam dignitatem ordinis supremam iuscipiens hactenus magna gloria conseruauit, atque Melitensium equitum statum egregiè contra Barbaros defendit, & auxit. Vt autem Magistrorum omnium memoria extet, eos paucis hoc loco ordine enumerare placuit. Primus erat Gerardus, antequam Hierosolyma duce Gothefredo in Christianorum potestatem deuenisset: Secundus Raymundus de Podio Florentinus, qui post captam Hierosolymam sacris militibus certas viuendi regulas præscripsit: Tertius Augerius de Balben: 4 Arnoldus de Comps: 5 Gylbertus Assalus: 6. Castus: 7 Iobertus: 8 Rogerius de Molins: 9 Garnerius de Neapoli Syriæ: 10 Ermengardus Daps: 11 Gothfridus de Dnysson: 12 Alphonsus de Portugalia: 13 Gotthfridus de le Rat: 14 Guarinus de monte acuto: 15 Geruius: 16 Bertrandus de Comps: 17 Petrus de Villebride: 18 Guilhelmus de Castelno: 19 Hugo Reuel: 20 Nicolaus Lorgur: 21 Ioannes de Villers: 22 Odo de Pinibus: 23 Vvilhelmus de Villaret: 24 Fulco de Villaret, qui insulam Rhodum expugnauit anno 1309. Eamq; postea egregiè contra Soldanũ auxilio ducis Sabaudię defen-

Ioãnitarum principum nomina.

1574 defendit. Vnde etiam Sabaudo concessum vt ordinis insigne albam crucem in rubeo clypeo armorum loco habere possit. 25 Mauritius de Pagnac: Is viuente adhuc Fuscone sene à conuentu electus fuit: 26 Elionus de Villa noua: 27 Deodatus de Gozono: 28 Petrus de Corueliano: 29 Rogerius de Pinibus: 30 Remondus Berengarius: 31 Robertus de Iulus: 32 Ferdinandus de Heredia: 33 Philibertus de Nilliac: 34 Antonius Fluuianus: 35 Ioannes de Lastic: 36 Iacobus de Milly: 37 Petrus Remondus Zacosta: 38 Ioannes Baptista de Vrsinis: 39 Petrus Dambusson. sub hoc Rhodus frustra à Turcis obsessa Anno 1480: 40 Emericus de Dambox se: 41 Guido de Blanchefort: 42 Fabritius de Carreto: 43 Philippus de Villers Lisleadam. sub eo Rhodus amissa 1522. Ea tamen calamitate equites Germanicæ nationis libros suos, priuilegia, atque monumẽta antiqua eaqúe illæsa secum abstulerunt & hactenus magna laude conseruarunt. 44 Perinus de ponte: 45 Desiderius de Tolono sancta Ialla: 46 Ioannes de Homedes Hispanus: 47 Claudius de la Sengle. Is ordinis statuta renouauit & Romæ in lucem ædidit: 48 Ioannes de Valeta. sub eo frustra Melita è Turcis oppugnata anno 1565. Is etiam nouam ciuitatem Valetam à se dictam in Melita ædificauit & egregiè muniuit, idque tanta festinatione vt singulis diebus ad tria millia hominum passim confluentium ibidem laborarent. Hęc nostro tempore meritò propugnaculum Christianorum contra Barbaros dici potest: 49 Petrus de Monte, Italus: 50 Ioannes Leuesq; della Cassiera Gallus, qui hodie magna laude ordini præest.

Belgarum intestina bella.

Etsi vero eodem tempore Turca Christianis Africana litera incolentibus mirum in modum insidiabatur, nihilominus tamen in Belgia partes dissidebãt & infesto animo concurrebant, ac multa sanguinis effusione plurima damna inuicem inferebant, dum Albanus dux regis Philippi iura defendere, atque Auraicus princeps Euangelicam religionem sibi & Belgicis statibus conseruare proposuisset. Itaque variis in locis bellum excitatum, multæqúe vrbes expugnatæ & direptæ fuerunt. Cum etiam Traiectum inferius longa obsidione cinctum esset, tandem 20. Octob. anni 1574 ab Hispanis occupatum fuit. In primis vero Antuerpiæ plurimi motus extiterunt, cum maior pars religione mutata Euangelicorum partes defendendas suscepissent. Itaque Albanici totius belli molem eò transtulerunt, atque vrbem occupare statuerunt. Tandem etiam totius Germaniæ nobilissimum emporium ab Hispanis captum & direptum fuit, multis vtrinq; occisis & interceptis.

Amurathes 3 Turcarũ Imperator.

Eodem tempore Selymus Turcarum imperator 9 die Decembris crapula & ebrietate periit anno 1574. Eius mortem antiquo more Memant Bassa per quatuordecim dies astutè occultauit, ne tumultus aliquis oriretur, donec Amurathes senior filius aduocaretur. Is aduenies belli ducibus & militibus plurima munera distribuit, & quinque fratres strangulari iussit, quos etiam cum patre magna pompa sepeleuit. Inde 5 die Ianuarij maxima sacrificia perfecit & in Imperio confirmatus fuit. Erat tum triginta annorum princeps iusta statura, macilentus & pallidus, naso curuo & barba tenui subflaua. Postea Mehemerem interpretem suum ad Maximilianum misit 100 equis comitatum, & paternas inducias confirmauit & produxit. Pari ratione legatos in Polonia habuit, & regnum turbulentum frustra ad se pellicere tentauit. Vt etiam sese de Polonis vlciscereturScythas Præcopenses adhortatus est vt eorum regiones popularentur, qui etiam anno 1575 in Poloniam ex improuiso irrumpentes, regionem per quadraginta milliaria vastarunt, & magnum numerum hominum in miserabilem captiuitatem abduxerunt.

Maximilianus Ratisbonæ moritur.

Cum hæc passim fierent Maximilianus Imperator Ratisbonæ comitia imperij celebrauit, atque Gallorum & Belgarum motus compescere statuit, ibi cum principes aut eorum legati frequentes conuenissent, vicinorum calamitates proposuit, atque obtinuit vt ad partes dissidentes Imperij nomine nuntij mitterentur, qui eorum animos coniungerent, & belli fomenta tollerent. Postea quoque deliberatum, qua ratione in Pannonia inducijs ferè finitis Turcis resistendum foret.

ret, si illi iusto cum exercitu eas partes more solito inuaderent. Cum autem Maxi- 1575
milianus sæpius pedum dolore & variis morbis periclitaretur, apud principes electores egit de nouo Romanorum rege (quem Cęsarem vocant) eligendo, ne Christiana respublica se morbis detento aliquod detrimentum caperet, aut ne post eius mortem grauior quædam dissensio in noua electione oriretur. Id quod etiam Electoribus placuit. Re itaque maturo consilio deliberata, Rodolphus Imperatoris filius Cæsar electus, ea ratione vt etiam post patris obitum Imperator Augustus existeret. qua quidem in re Maximilianus plurimum delectatus fuit. Cum autem morbus indies augeretur, atque mulier quædam Medicam artem temerè professa Imperatori certam sanitatem promitteret ac Medicamenta adhiberet, factum est vt 12 Octob. prudentissimus princeps omnium bonorum luctu ex hac vita decederet, anno Imperij 14, ætatis 50 atque salutis 1576. Itaque principes magna lamentatione Ratisbona inuicem discesserunt, atque Rodolpho Imperij habenas commendarunt.

Iustis parenti magna solennitate peractis, Rodolphus Cæsar Imperij digni- *Rodolphus Imperator.*
tatem suscepit, atque quæ maximè necessaria erant summa dexteritate perfecit. In primis vero legationem honestam ad Gregorium pontificem Romam destinauit, vt in eius electionem consentiret, atque suis auspicijs imperatoriam dignitatem confirmaret. Ad eam prouinciam verò subeundam Philippus equitum Melitensium per Germaniam princeps maximè idoneus visus, vt eam subiret. Itaque Rodolphus Cæsar cum eodem sedulo egit vt oblatam prouinciam susciperet, atque apud pontificem omnia expediret. Philippus ergo honesto comitatu Romam adijt, atque apud Cardinales & Gregorium pontificem Cæsaris causam summa prudentia proposuit. erat enim ei consuetudo pontificij senatus notissima. Re etiam deliberata id quod voluit obtinuit, atque Rhodolphus Imperator Augustus eius nominis secundus denominatus fuit. id quod etiam Pontificia bulla confirmatum est. Hisce peractis Philippus princeps magnis sumptibus in Germaniam rediit, atq; Rodolpho imperatori gratulatus Gregorij pontificis bullam obtulit. Hoc modo factum vt non modò Philippus, sed quoq; totus equitum Ioannitarum ordo apud nouum Imperatorem magnam gratiam inierit.

Eodem anno Stephanus Batorius in Septembri rex Polonorum post Heinri- *Gedanũ bellum.*
ci regis Galliæ discessum (vt prius dictum) electus fuit, princeps multis virtutibus insignis. Is turbulentum regnum pacauit, atque pacem regni antiquam cum Turcis restaurauit. Cum autem Gedanenses imperium eius detrectarent, atque magis Imperium Romanum respicerent, ingens bellum ijs in locis exarsit, atque vrbs illa munita aliquandiu obsessa fuit. Verum cum aliquoties rex Comitia regni haberet, ac nihil efficeretur, tandem Gedanenses iustis copijs vrbem egressi hostem inuadere ac armis libertatem tueri proposuerunt. Aderat tũ Polonis Procopius à Pieniazeck eques Melitensis vir belli peritissimus cum quibusdam socijs. Itaque prælio inito Poloni vicerunt, atque ciues aliquot millibus militum amissis in vrbem redierunt. Contigit hæc victoria Polonis decimoseptimo die Aprilis anno 1577. Postea Germanorum principum quorundam inuentu bellum fuit compositum, atque Gedanum certis conditionibus cum rege Stephano in gratiam rediit.

Sequenti Maio Martinus Foreberus ab Elisabetha Angliæ regina impetra- *Noua terra.*
uit, vt cum aliquot nauigijs versus Septentrionem progrederetur, ad nouas & incognitas insulas inuestigandas. Itaque assumptis 140 socijs ex Anglia soluit, atque Scotiam & Orchades insulas præteruectus, audaci consilio ad remotissima Septentrionis loca peruenit. Quamuis autem illis in locis ob perpetuum frigus maria ingentem aceruum glaciei deferrent, tamen Martinus perrupit, ac ad incognitam terram peruenit, quæ ex vna parte Americæ erat aduersa, ex altera verò Asię contermina. Erant ibi syluestres homines pellibus & ferarum exuuijs cõ

tecti,

1578 tecti, qui passim ad littora speluncas & casas inhabitabant. Hi nulla ratione eò redigi poterant, vt aliquam cum nostris conuersationem admitterent, verum insidias struebant, aut ad interiores montes fugiebant. Viuebant illi ex piscium aut ferarum carne cruda, quorum sanguine pro potu vtebantur. Ibidem Martinus auri metallum nauibus imposuit, atque viro & mulieri eius loci interceptis, in septembri magna laude in Angliam redijt, omnibusque ostendit quod remotissima & frigidissima etiam sub vrsa loca à hominibus licet feris (si ad nostros conferantur) inhabitentur.

Rex Portugaliæ acie victus.

Eodem tempore Sebastianus rex Portugaliæ maximum bellum contra Mauros & Turcas incepit. Rex enim Fessanus & Marocus Scheriffiũ expulerat & aliũ substituerat. Expulsus in Portugaliam venit, atq; regem eò redegit, vt ipse cum instructa classe in Africam traiecerit ad eum restituendum. Verum Turcæ & Mauri dolo egerunt, & nostris insidias struxerunt, cum maior eorum exercitus intra montes absconderetur. Pugnatum est ad Alcazar sex milliaribus à mari situm oppidum. Itaque nostri succubuerunt, & ferè omnes externi cum rege cęsi, quorum octo millia fuerunt, & in his 2300 Germanorum. Portugalenses 13000 sese Barbaris didederunt, & in miseram seruitutẽ abducti sunt. Accidit hæc pugna 4 die Augusti, anno 1578. Cum autem Barbari cruentam victoriam obtinuissent atque etiam eorum rex, cum vetere & nouo Scheriffio, eo prælio occubuissent quieuerunt, atq; cum nostris pacem restaurarunt, ea conditione, vt vtraque pars loca prius occupata retinerent, & ab omni iniuria inuicem abstinerent.

Melitenses Turcis resistunt.

Cum hoc modo Austria & superior Germania quodammodo sub nouo Cæsare per inducias Turcicas respiraret, tantum abest vt Melitenses ea pace fruerentur, quod & infestius à Turcarum pyratis impeterentur, qui viribus ad maris mediterranei insulas diripiendas coniunctis, nihil intermittebant, quod ad res suas augendas, & Christianorum diminuendas facere videretur. Id cum princeps ordinis intellexisset, intentiori quoque cura classem instruxit, atque passim Christianorum littora defendere statuit. In primis vero Melitæ insulæ arces præsidio communiuit, atque armis milite, & annona ita instruxit, vt Turcæ rarius appropinquare ausi fuerint. Quin etiam sæpius Barbaros insecuti profligarunt, ac longè latéque in Africam fugarunt, præsertim cum sæpius intellexissent nouos Turcarum imperatores, libidine dominandi, aliorum fortunas & possessiones impetere, vt suam ditionem dilatare, ac magnã sibi nominis famam apud posteros comparare possent. Hinc etiam factum vt Amurathes nouus Turcarum Tyrannus Ioannitarum equitum fortitudine permotus, suos domi continere, atque potius pacis studia sequi, quàm finitimos bello lacessere voluerit, donec tandem Christianorum dissidijs occasionem arripiat aliquid magni in nostros committendi. Idque licet ex rebus anteactis sit certissimũ, pauci tamen idem considerare, atque ex periculis alienis cautiores fieri statuunt.

Belgarũ bella ciuilia.

Quanquam enim in Gallia sub Heinrico 3 rege pax exoptata indigenis esset restituta, atque exules reuocati, in Belgia tamen subinde noui motus exuscitati sunt. Adeo enim omnium animi inuicem erant exacerbati vt nullas ferè pacis conditiones admitterent, sed in belli rationibus perseuerarent. Conuenerant quidem prudentes aliquot viri, atq; tandem 17 die Feb. Anni 1577. capita quędam pacis proposuerant quæ tamen paulo pòst in nihilum abierunt. Plurimi enim incolarum Euangelij doctrinam ex animo desiderabant, plurimi quoque maiorum immunitates conseruare, atque antiquas consuetudines patriæ retinere proposuerant. Hinc factum vt plurimæ seditiones, tumultus, & plusquam ciuilia bella ibidem excitarentur. Miserat quidem Philippus plurimos illustres homines in Belgiam vt res cõponerentur, inter quos etiam Ioannes Austriacus Turcarum victor extitit, qui etiam ibidem immatura morte obijt, sed omnia frustra instituebantur. Aderat etiam Mathias Archidux Austriæ Cæsaris frater, qui & ipse parum efficere potuit. Hinc factum vt tandem Traiectum superius à Hispanis obsessum ac 29 die Iunij Anni

1579

1579 expugnatum & miserè direptum fuerit, multa humani sanguinis effusione. 1578

Erant eodem tempore Cęsaris atq; multorum principum legati Colonię qui tã quam arbitri rem diligẽtius considerarent, ac tãdem diuturnam pacẽ constituerent. Hi cum Belgarum excidium præsentirent, certa pacis capita inuenerunt, ac 18 Iulij eodem anno statibus exhibuerunt, vt ijs inspectis pax tandem confirmaretur. Præcipua autem capita erant vt transactio Gandauẽsis ante triennium facta firma habeatur: vt Religio Catholica Romana vbiq; celebretur: vt arcium destructiones, ac varię partium actiones tempore belli commissæ aboleantur: vt ea quę Matthias Archidux statibus concessit rata sint: vt milites externi Hispani, Itali & Burgundi, Item Angli, Galli, & Scoti intra sex septimanas tota Belgia excedant: illi tamen omnes machinas bellicas cum commeatu in Belgia relinquant, & tormenta maiora in sua loca restituant: vt commercia liberè per omnes prouincias exerceantur: vt captiui vtrinque absque precio liberentur: vt possessiones immobiles antiquis possessoribus restituantur: vt Gubernator Generalis de regio sanguine existat, & primus Parmensis princeps constituatur: vt priuilegia regionum & ciuitatum inuiolata seruentur, sicut sub Carolo 5 Imperatore extiterunt: vt omnia alia fœdera resignentur: vt vectigalia inusitata tollantur: vt indigenis omnia publica officia administranda committantur, atq; expulsi restituantur: vtq; regina Angliæ & princeps Andium regis Galliæ frater hac pace comprælu[illegible]dantur. Erant etiam huiusmodi pacis conditiones ante duos menses Atrebati à Matthęo eius loci Episcopo populis Artheſiæ, Hannoniæ, Insularum, Duaci & Orchiarum propositæ & susceptæ. verum ob religionis dissensionem, Holandia, Selandia, Brabantia, Frisia & multæ aliæ prouinciæ consentire noluerunt. Itaq; factum vt paulo pòst bellum inter partes iterum incruduerit. *Pax Coloniæ Proposita.*

Initio huius anni Moscouitæ in Liuoniam & Lithuaniam irruperunt ac magna Tyrannide plurimos mortales interfecerunt aut in miserabilem seruitutem abduxerunt. Id cum Stephanus rex Poloniæ percepisset, proceres regni conuocauit, & deliberatione habita bellum contra Moscum decreuit. omnibus ergo rebus instructus vltra centum millia hominum armauit, atq; Vilna discedens rectà ad Polozko arcem & oppidum munitissimum contendit, in quo Moscouitę firmissimum præsidium collocarant, atq; ex eodem septentrionales Christianorum prouincias miserè vastabant. Itaq; Poloni eandem vrbem obsidione cinxerunt. atq; bellicis machinis fortiter oppugnarunt. Erant ibidem sex millia Moscouitarum armis, tormentis, & commeatu optimè instructi. Illi Polonis fortiter restiterunt, et summa pertinacia arcem & oppidum defendere proposuerunt. Cum autem Poloni, Lithuani, Vngari & Germani acriter instarent, ac omnia hostiũ munimenta tormentis sublata essent, tandem Barbari necessitate adacti die vltimo Augusti anno 1579 deditionem fecerunt, atq; hac ratione sibi vitam conseruarunt. Polozko occupato Stephanus rex suorum præsidium imposuit, atque eodem victoriæ cursu plures arces hinc inde in Moscouitarum finibus occupauit. Aliquot etiam vicos & oppida in Liuonia recuperauit, plurimos Barbarorum proceres in captiuitatem redegit, atq; magno Moscorum principi ingentem terrorẽ incussit, ita vt per legatos à rege pacẽ expeteret. *Polozko à Polonis occupata.*

Cum hoc modo in extremis finibus Christianorum ad septentrionem Poloni cũ Moscouitis grauissimè decertarent, etiã in altera orbis Christiani parte versus Meridiem ingens bellum exarsit. Cum enim rex Portugaliæ absq; legitimo filio & hærede esset mortuus Philippus rex Hispaniarum ex Isabella Portugalię regina natus sese proximum hæredem agnoscens, regnum illud per legatos sibi tradi petijt, atq; ius suum proposuit. Verum Lusitani illius petitionem reiecerunt atq; ex sua gente Don Antonium nouum regem eligere decreuerunt. Id cum Philippus cognouisset ingenti exercitu comparato terra mariq; regnum illud inuadere statuit. Multi etiam equitum Melitensium ei subsidio aduenerunt. Cum autem Lusitani potentissimi huius regis vires expenderent, & ipsi à vicinis Mauris auxilia petierunt & impetrarunt. Hoc modo factum vt infestis armis aliquoties concurrerent, ac dubio *Bellũ in Portugalia.*

158 Marte sæpius conflígerent. Cum etiam Amurathes Turcarum imperator Philippi maximus hostis esset ac Lusitanis faueret, classem instruxit, & maritima Christiano rum præsertim regis Philippi & Melitensium loca, circa Siciliam, Neapolim & Hispaniam deprędari iussit, vt Philippi vires distraheret, atq; Lusitanis animum ad resistendum adderet. Verum Philippus certis præsidijs omnia ea loca munierat, atq; Barbaris fortiter passim resistebat, ita vt à Christianorum finibus repellerẽtur. Accidit tum vt Melitenses onerariam nauem Turcicã rebus preciosissimis omníq; genere aromatum onustam interciperent, ac Melitam adducerent. Postea cum Siciliæ prorege in Sardiniam profecti, ibidem quoq; omnia optimè disposuerunt.

Persarum de Turcis victoria.

Eodem ferè tempore Persarum rex Turcarum prouincias vastabat, atque ex Armenia, Capadocia & Cilicia ingentem prædam abigebat. Id cum Amurathes intelexisset ingentem exercitum conscripsit, atq; per Bassas Persam aperto bello aggredi statuit. idq; eò promptius quod cognorat Philippum Hispaniæ regem perpetuũ suum hostẽ, cum Lusitanis & Belgis occupatum esse. Cum aũt Venetorum quoq; potentiam formidaret, ad senatum perscripsit, vt sese rebus Persicis nequaquam immiscerent, sed pacis conditiones obseruarent. Idẽ quoq; per Budensem Bassam Rodolpho Cęsari significauit. Rebus ad occidentẽ hoc modo compositis, arma versus orientẽ conuertit. Id cũ Persa p exploratores suos cognouisset, magna celeritate vires Impij sui collegit, atq; Turcis obuiã ire statuit. Hoc modo accidit vt Barbari ingentib. copijs concurreret, atq; cruentum præliũ inirent. In eo tandem Persę victores extiterunt, atq; Turcas memorabili pugna superarunt, ita vt retrocedere & presidijs arces & oppida tueri cogerent, ne à Persis eodẽ impetu occuparent. Postea ad tempus inducię factæ, atq; Turcarum copię cõcisę in Thraciam reuersæ sunt. Eam belli cladem cum Amurathes in oriente accepisset, se ipsum recreare atq; aliquãdiu quiescere, ppposuit, magno Melitẽsium cõmodo, qui proximi Barbaris essent expositi.

Poloni Moscouiam vastant.

Interea Polonus contra Moscouitas bellum gerebat, atq; iustis copijs illorũ fines intrauerat, ita vt ferro & igne omnia vastaret. Cũ enim prius Barbara gens Liuoniã & Lithuaniã populata esset, Stephanus rex eã contumeliã vindicare, atq; in partes Moscouitarũ interiores pgredi statuit. Id cũ Mosco cognouisset innumerabilẽ exercitũ illico collegit, atq; Polonis occurrere ppposuit. Verũ Poloni procedentes in Plescouiensem ducatũ penetrarunt, atq; totã eã regionẽ fortiter occuparunt. Cum etiã Moscouitę appropinquassent atq; ex inopinato Polonos inuasissent, nostri fortiter restiterunt & acerrimum prælium cum hoste inierunt. pugnatum est aliquandiu ancipiti marte, ita vt ex vtraq; parte fortissimi quíq; interierint, atq; rex ipse Stephanus in quintũ equũ ascenderit. Tandem tñ Poloni hostes superarunt & in fugã cõiecerunt. Hæc victoria cruẽta ipsis 4 die Octob. contigit. Quoniam aũt Moscouia multis paludibus tempore ęstatis ferè sit inuia, atq; in hyeme commodissimum iter ob aquas gelu constrictas exercitibus præbeat, Poloni sequenti hyeme vlterius pgressi plurimos vicos et oppida occuparunt, atq; Barbarũ sua virtute eò redegerũt, vt retrocedere atq; sese in remotiores partes recipere cogeretur, ita vt sperandum eam gentem veram Christianam religionem mox suscepturam, aut aliquandiu hac clade territa horribiles suas in Christianos eruptiones intermissuram.

Motus Gallorum et Belgarum.

Eodẽ tẽpore quo Poloni ad septentrionẽ contra Barbaros egregiè depugnarẽt, Turcæ Valachiæ timẽtes 40000 hominũ armarant, & in oẽm euentũ Polonis resistere statuerant. Verũ cũ nihil hostile sentirẽt discesserũt, & mediã partẽ exercitus Polonis cõtra Moscos obtulerũt. Verũ rex ea auxilia suscipere recusauit. Tũ etiam denuo in Gallia & Belgia antiquũ religionis odiũ inter partes dissidẽtes recruduit, ita vt iterũ arma respicere viderẽt, magno reipublicæ Christianæ incõmodo. Hinc inde. n. munitiones erexerũt, præsidia cõfirmarũt, atq; infestis inuicẽ animis mutua damna inferre cœperunt. Erant quidem principes aliquot vicini qui hanc partium contentionem componere, ac pacem restituere constituerant. Verum tanta erat animorum pertinacia vt nihil efficerent. Itaq; Rhodolphus Cæsar Norinbergæ ad initiũ septembris Impij Comitia celebrare, atq; huiusmodi simultates, ac alia ardua

negotia

negotia fœliciter finire proposuerat. Id q̃ oẽs pij ex animo optabant. Verum alijs negotijs interuenientibus Comitia ad aliud tempus dilata fuerũt. Contigit autem sub hyemem vt partes tœdio diuturni belli quiescerent, atque omnia sua sponte ad pacem inclinare viderentur. 1580

Cum hæc alibi fierent motus etiam aliquis in Transyluaniæ finibus contigit. Illis in locis perpetua præsidia Cæsareanorum & Turcarum sunt constituta, quæ sese inuicem lacessere, atq̃ commeatum aut alia intercipere solent, idq̃ absq̃ induciarũ violatione. Accidit autem vt Ramigerus eius regionis Cæsareanorum præfectus, Vsaronum auxilio, Turcis puellam aliquam cum pretiosa quadam supellectile interciperent, atq̃ secum auferendo liberarent. Ferebatur enim eam ad Amurathem sponsam adduci. Id cum Barbarus intellexisset, Bassis suis in illis regionibus præcepit, vt eam iniuriam armis vindicarent, atq̃ exercitu conscripto Christianorũ fines vastarent. Itaq̃ Bassæ celeriter copijs collectis nostrorum vicos & oppida igne & ferro aggrediuntur & obuia quæq̃ prosternunt. Cum autem nostris nullus exercitus adesset, sese intra suas munitiones continuerunt. hac ratione factum vt Turcę liberè in miseram turbam grassati sint, omniaq̃ hostilia exercuerint, nisi quod maioribus tormentis cessarent, ne contra pacem feciſſe viderẽtur. Tandẽ etiam tria millia hominum vtriusq̃ sexus & ætatis secum abduxerunt, ac octo milliaria progressi in patenti campo magna crudelitate concidertint, [illegible]palis affixerunt. Hoc modo sese vlciscẽtes domum sunt reuersi magna præda onusti. Accidit ea calamitas Christianis circa Saccmarum, Moncatum, & Tokai, die nono septembris, anno 1580. *Transyluaniæ motus.*

Philippus interea ius suum persecuturus bellum contra Lusitanos continuabat, præsertim cum Don Antonius à quibusdam rex dictus magno animo resistebat, atq̃ plurimos procerum ad suas partes pertraxerat. Erant autem multi inter alios authoritate & potentia conspicui, qui ei Philippum Hispanię regem legitimum hęredem præferrent, atq̃ eũdem in spem regni aduocarent. Itaq̃ is statuit iustis copijs, accedere, atq̃ æmulo sublato, vi regnum occupare. In primis vero Vlixbonam sedem regiam & totius regni metropolim inuadere proposuit. Erat vrbs illa mercimonijs diues, propugnaculis firma, & portu maris conspicua. Vnde terra mariq̃ eãdem obsedit, & forti impressione facta suburbia expugnauit. Id cum ciues vidissent atq̃ extrema quæq̃ metuerent, certis conditionibus deditionem fecerunt, ac regem susceperunt. Eam Philippi fortunam cum reliquæ vrbes & regni proceres cognouerunt, maiori ex parte sententiam mutarunt, & suum regem susceperunt. Hacq̃ ratione Philippo potentissimum Lusitanorum regnum, cum varijs insulis et prouincijs Noui orbis accesserunt, vt non immerito potentissimus Christianorum princeps dici & haberi possit. Nihilominus tamẽ aliqui procerum in regno supererant, qui Antonio adhærentes, eundem armis & opibus iuuarunt, vt aliquot vrbes & arces conseruare, atque sese contra Philippum Hispanię regem tueri posset. *Philippus Vlixbonapotitur.*

Cum Ioannes Melitensis ordinis princeps huiusmodi Christianorum in Gallia, Belgia, & Lusitania contentiones intellexisset, non dubitabat Amurathem Turcam in sinu gaudere, ac ob nostrorum simultates plurimum delectari, vtpote qui hac ratione commodius Christianis nocere, atq̃ facilius eorũ prouincias finita hyeme inuadere posset. Itaq̃ maturo consilio habito, præsenti 1581 anno, Melitam insulam armis & annona optimè instruxit, atque classem suam restaurauit, vt ad omnes Barbarorum motus illis occurrere, ferociam compescere, atq̃ Christianorum fines defendere queat. Sui etiam ordinis equites in diuersis nationibus Domos sibi commissas custodientes, per literas ad pietatem & cõstantiam adhortatus est, vt opportuno tempore Turcis & alijs Barbaris gentibus resistere, atq̃ eos maiorum more, longè latéq̃ persequi possint, quo Christiani pacifice viuere, ac Dei gloriam in parte Europæ, imò terrarum angulo, celebrare ad seculi consumationem intrepidè queant. *Ioannitarũ apparatus.*

DVODECIMI LIBRI FINIS.

ERRATA INTER EXCVDENDVM COMMISSA.

Lege fol.9 linea 13 ineſcantur. 14 l. 16 Sueno. l.17 fuerat. 17 l.20. vrbs.22 l.25 ducum l.53 mixto .23 l.6 illis vero. l.11 deceſſit atq; 38 l.3 regum l.11 gerebat 41 l.1 eum. l.20 ſolio 43 l.30 vnquam l.40 reliquo l.53 compos 45 l.15 numerauit 48 l.52 Hieroſolymitani 49 l.45 perculſi 54 l.29 vicos 63 l.28 emit 68 l.48 belli 79 l.11 inito l. 35 magiſtris 83 l.29 Barbarus 85 l.30 qui 87 l.18 regium 88 l.53 anno 94 l.13 carcerem l.34 vi incendij 95 l.45 erunt 117 l.31 Turca 122 l.16 Notarius l.32 conatui 124 l. 25 ſuccubuerunt l.49 iter[illegible] 133 l.33 prouidebuntur 138 l.48 facerent 142 l.53 ſermo 144 l.44 obuiam 146 l.38 fida 147 l.39 flumine l.50 correptæ 150 l.47 quod ei promiſerint 154 l.15 ſaltu l.17 ſemianimes l.37 foſſatum l.46 maxima 158 l.53 præda 159 l.20 à filio 166 l.45 alas l.52 ſiue 167 l.13 dum 168 l.15 parum 171 l.3 quæ vires l.17 abſente 174 l.30 quum l.49 diſceſſu 175 l.19 millibus l.37 conficiant l.50 vniuerſam 177 l.47 alimentum 178 l.15 manus l.33 ab via l.41 equos 179 l.5 vi 186 l.38 proſecutus 192 l.23 milites l.32 Turris 193 l.14 renouabat l.18 magnitudinem 194 l.4 ſtruendum 204 l.15 Concilio l.18 tanto auſu l.19 faſtis l.20 martyrum 215 l.24 vt multa l.52 ſuſpectis 218 l.5 quinis 235 l.30 nullis 244 l.29 operiri 246 l.9 curſum 258. l.36 inferret 260 l.53 cominus 265 l.26 circa 276 l.45 populari 268 l.51 enim 282 l.28 limine 184 l.3 in ægros l.48 conſpectum ſe dediſſet 287 l.28 Sfortia 288 l.33 annum 289 l.17 faciundo l.49 vrgentes 301 l.4 fortuito 309 l.34 audirent 311. l.7 inſtituunt 335 l.7 nuncium 339 l.45 animaduerteret 349 l.7 decimo die l.22 offerret 354 l.36 obſidione l. 49 aditum 360 l. 50 ſcopulis 373 l.18 vt etiam l.39 vlla 384 l.17 dediderunt. Reliqua diligens lector facile corriget.

INDEX RERVM ET PERSONARVM MEMORABILIVM IN HOC OPERE CONTENTARVM.

A

ABaga Scythārum rex fol. 85
Abdemelech rex Tuneti 304
acarnania Turcis ceßit 114
accona militaribus ordinibus data 52
achangi apud Turcas qui 213
achilles Dominicanus Baßileæ. 82
achmatus Baßa 141
achmatus Baßa strangulatus 143
achometes Turca patriæ hostis. 160
achomates Turca occiſus 163
achomates Michaloglis Turca 413
acroceraunij qui 257
Adam Gallus copiarum præfectus 325
ademarus Podienſis Epiſcopus 8
adrianus Imperator 2
adrianopolis Turcarum regia 112
ægypti figura 67
ægyptus Saladino ceßit 43
ægyptus Turcis ceßit 186
ætolia Turcis ceßit 114
aga Ianizerorum præfectus 328
agria fruſtra à Turcis oppugnata 311
agis Hariadenus occiſus 268
aiax Veßir Turcarum 245
aladuli regnum 164
aladulus Turcarum hoſtis 165
aladoli caput Venetias miſſum 170
alapia turcis ceßit 49
albara capta 15
alba regalis obſeſſa 299
alba regalis fruſtra oppugnata 300
alba regalis turcis dedita 301
alba ſpecula arx 30
albertus Cæſar 11
albertus dux Pruſſiæ 7.
albertus Comes à Schuuarzenbeg 101
albertus Brandenburgicus 56
albertus Brandenburgicus pacem turbat 311
Alcoranus Machometi 92
alexander Vitellius 287
alexander 6. pontifex 143
alexandria noſtris ceßit 43
alexandria à noſtris direpta 103
alexius Imperator 7
alexius fœdus cum Chriſtianis 9
alexius Græcorum imperator 47
alfonſus Vaſtius 219
alfonſus Vaſtius dux copiarum 245
alfonſus Ferrariæ dux 320
algerij regnum 238
algiera à noſtris rdicta 283
algerium à Cæſare obſeſſum 278
aloyſius Grittus occiſus 237
aloyſius Grittus Venetus 214
aloyſius Mocenicus Venetorũ princeps 268
aloyſius Pereius Hiſpanus 306
aloyſius Reclezanius 366
aluarus Sanctus Hiſpanus 306
aluarus Badanus claßis præfectus 372
amalphitanorum pietas 3
amalricu patriarcha Hieroſolymis 39
amalricis ſextus rex Hieroſolymorum 40
amanus ad Rhenum 115
ambitionis exemplum 87
ambitionis incommoda 104
ambtionis exemplum in Turcis 58
ambitionis malum 190
ambitionis mala 116
americus rex Hieroſolymorum 63
mericus Cibachus occiſus 237
amidas rex Tuneti 305
amurathes turcarum rex 103
amurathus turca 114
amurathes 3 Turcarum Tyrannus 381
S. Andreæ caput 126
andreas Grittus Venetus 149
andreas auria Græciam vaſtat 229
andreas Auria gladio donatus 245
andreas Auria claßis præfectus 372
andreas Barbadicus occiſus 373
andreas Gonzaga dux copiarum 320
andruſſa fruſtra oppugnata 236
anglorum proteruia 61
S. Angeli arx in Melita 330
angli reges Hieroſolymitani 62
anglorum cum Gallis bellum 100
angliæ regina Philippo nupſit 312
animal maleficum Melita non fert 212
anneus Momorantius Gallus 316
antiochiæ ſitus 12
antiochia à turcis munita 12
antiochia obſeſſa 13
antiochia à Chriſtianis facta 14
antiochia turcis prodita 54
antiochia à Solefano deſtructa 83
antiochiæ Patriarcha Romanus reſiſtit 20
antipatrita à noſtris capta 19
antoninus Imperator 2
antonius Canalis claßis præfectus 364
antonius Columna 360
antonius Fradinus Franciſcanus 134
antonius Læna 223
antonius Melidalas proditor 129
antonius Peronotus Grauellius 363
antonius Verantius 356
antuerpia à Hiſpanis direpta 381
anus ſortilega 279
apamea expugnata 20
aphrodiſium ſolo æquatum 309
aquæ haustus duobus florenis emptus 251
Aquila, Leo, & Leopardus Spiræ 362
arabia quæ ſit 16
arabes turcas fugant 176
arabes turcis ſubiecti 189
arabes olim Numidæ dicti 238
arabica volumina deleta 253
araphus Solthanus 88
achimedes Mathematicus 205
armenia minor ceßit Chriſtianis 11
armeniorum virtus 24

armenia turcis coniuncta 44
armenij à Saracenis victi 85
armeniorum secta quæ 200
armenia Christianis adempta 99
aromatum merces mutatæ 255
artasia vrbs occupata 12
asappi turcarum qui 165
asappi qui apud turcas 192
ascalon vrbs Christianis dedita 34
ascanius Cornius 360
aspri genus monetæ Turcicæ 363
assancassani successus 124
assembecciturcæ 93
assysinorum secta 45
Astor Baleonis 358
athenæ à Templarijs occupatæ 93
attica turcis cessit 107
auenione sedes papalis 98
auernorum laus 136
augustana confessio 217
augusta à Mauritio occupata 311
augustus elector Saxoniæ 325
augustinus Spinula 245
aurelianus Imperator 2
austriæ insignia mutata 60
austriacis contumelia illata 61
austria à turcis vastata 214
austriacorum clades ad Pestum 275
austriacorum cædes ad Pestum 292

B

BAbylon expugnata 80
babylonia Parthis cessit 108
babylonia à turcis capta 243
baiazethes turcarum rex 141
baiazethes rex turcarum 107
baiazethis victi calamitas 110
baiazethis de filio victoria 160
baiazethes veneno sublatus 161
Balduinus Gothfridi frater 8
balduinus 1 rex electus 18
balduinus 2 rex Hierosolymis 22
balduinus rex captus 24
balduinus 4 rex septimus Hierosolymis 45
balduinus puer rex Hierosolymis 31
balduinus 5 puer rex veneno tollitur 51
balduinus Flandrus Constantinopoli præest 66
balsami fœcunditas 178
bandodacar Solthanus 82
barba turcarum 176
barbadici Venetorum ducis interitus 372
barbarussæ fortuna 238
barbarussæ ex Tuneto fuga 252
barbarussæ à tuneto fuga 253
barbarussæ ex Gallia discessus 296
barcocius copiarum dux 300
bastilienses Ferdinandum regem exceptiunt 323
batto rex Melitensis 211
bela Vngariæ rex 55
belgiæ miserabilis status 375, & 381
belgis pax data 383
belgradi figura 123
belgradum frustra obsessum 115
belgradum à turcis expugnatum 190
bellerbechorum apud turcas sedes 151
bellum sacrum decretum 7
bellum contra Venetos decretum 257
benedictus Scaliger 130
berithus Christianis cessit 21
berithus restaurata 64
bernardinus Mendocius Hispanus 305
S. Bernhardus 12
bernhardus Hardecca 38
bertholdus dux Zaringiæ 5
bertholdus Comes in Hennenberg 101
byzantium vrbs 121
boemundus Apuliæ princeps 8
boemundus dux Antiochiæ 15
bœotia turcis cessit 114
bonifacius 8 pontifex 89
bonifacius 9 papa 106
bornemissa frustra Budam prodidit 272
budæ situs 289
buda à turcis occupata 204
buda à Ferdinando occupata 207
buda frustra à nostris obsessa 270
buda à turcis dolo occupata 275
bulga Christianis obsunt 8
bulgari à turcis victi 107
burgundia Austriacis cessit 127
buzia vrbs Africæ antiqua 284

C

CAelesyria à turcis vastata 22
cæsarea vrbs Christianis cessit 39
cæsar nullus tormentis læsus 252
calaber Strigonium prodidit 299
calatronorum ordo 95
calepinus turca 112
caletum à Gallis occupatum 316
caliphæ Aegyptij humanitas 3
caliphæ sacrorum princeps 243
calistus 3 pontifex 122
calonum multitudo 191
campsonis sulthani superbia 171
campsonis interitus 174
campus sanguinis 24
candelori turcæ 93
candia vrbs Cretæ 209
capita quadrifariam scissa 75
capcapus Syriam occupat 90
capha Christianis cessit 102
caramanni turcæ 93
caria turcis cessit 101
carmelitarum ordo ex syria pulsus 85
caruanus rex Meninges 321
carolus magnus imperator 2
carolus Martellus 6
carolus Andegauensis rex Hierosolymorum 81
caroli 4. Cæsaris dictum de bello sacro 102
carolus Montclonus 130
carolus Montlius eques 139
carolus octauus rex Francorum 143
caolus 5. Cæsar electus 188
carli quinti Imperatoris imago 22
carous 5 coronatus 217

caro-

carolus quintus ferina pelle indutus 240
caroli quinti Cæsaris ad Tunetum fortitudo 250
carolus quintus duci paret 252
caroli quinti Cæsaris magnanimitas 281
caroli quinti Cæsaris obitus 313
carolus nonus rex Galliæ 322
carolus archidux Austriæ 325
carolus Archidux nuptias celebrat 364
carolus Rufus eques 339
carolus Badensis Marchio 362
carolus Caraffa Cardinalis 315
casanus Tartarus nostris succurrit 89
casonus dux turcarum occisus 224
casparus Colignius admiralius occisus 375
casparus Seredius Vngarus 287
castra tripartiti coloris 114
castronouum à Turcis occupatum 267
cathaium regnum 108
catholicus Armenus 30
cayerbeius Mamaluchos prodidit 173
cayrum quæ Memphis 141
cayrum nouum vbi sit 181
cazzianeri turpis fuga 263
cazzianeri perfidia punita 264
celestinus quintus pontifex 89
centius Aquitanus eques 342
cepellia in Danubio insula 273
cephalenia Venetis cessit 148
certamina singularia 292
chalcidis expugnatio 126
chendemi libertas dicendi obfuit 164
cherseoglei Turcarum Bassa 159
chimerini qui 145
chunleus pagus nobilis 160
chosroes Persarum rex 1
christus an spiritualiter renatu 201
christianorum conditio sub Romanis 2
christianorum misera in oente 3
christianorum clades), & 30
christiani Turcas uincunt 15
christianorum nouæ in Syria copiæ 19
christianorum dissidium 21
christianorum noua in Syriam expeditio 54, 64, & 68
christianorum ad Damiatam calamitas 71
christianorum ad Damiatam clades 78
christiani Syria excluſi 88
christianorum cædes 118
christianorum intestina bella 169
christianorum acies contra Turcam 227
christianorum nualis victoria 372
christianorum ſictæ in Syria 201
christianorum miserabilis strages 321
christianis à Turcis stipendia oblata 299
christiana classis in Creta 360
christophorus Liechtensteinius 350
christophorus Schellendorffer 350
christoporus Vualdrich Rhodius 194
claramontanum concilium 5
classium ordines 266
claudes de Sengle Melitensis princeps 320
clemens 4 pontifex 81
clemens quintus pontifex 94, & 98
cissa à Turcis occupata 259
cobulus Rhodius 97
colomannus rex Vngariæ 8
colossus Rhodius 97
comaria insula 220
commendatores passim instituti 82
commodus imperator 2
concilium Hierosolymis 30
conradinus Neapoli decollatus 82
conradus imperator 32
conradus Marchio Montfortensis occisus 61
conradus Vuernherus ab Hatstadt 98
conradus à Brunsperg 106
conradus à Bembelberg 218
consilium bonum neglectum obest 172
consiliarij mali obsunt 161, & 203
consilia mala obsunt 300
constantinus imperator 2
constantinus Monomachus imperator 3
constantinus vltimus Græcorum cæsar 121
constantiæ exemplum 94, 138 & 264
constantiæ exemplum in Rhodijs 199
constantiæ exemplum in principes 343
constantinopolis à Turcis obsessa 107
constantinopolis Turcis cessit 121
constantinopoli terræmotus 375
corbanas Persarum dux 14
corchutus Turca philosophus 161
corcyra à Turcis oppugnata 257
corcyra à Turcis vastata 369
cornarij Veneti 126
corona regni Vngarici 206
coronæ situs 230
corone vrbs dedita 232
corone à nostris relicta 236
creta Venetis cessit 66
creta frustra à Turcis tentata 265
Creta à Turcis oppugnata 364
croates Turcis cesserunt 107
croia turcis cessit 127
crudelitatis exemplum 109, 114
crux exercitui prælata 49
crux sancta à Barbaris capta 51
crux à templo deiecta animosum 299
cuniculorum vsus 215
cutheia vrbs expugnata 151
cypri figura 62
cyprus ab Anglis occupata 60
cyprus vastata 38, & 111
Cypri bella inteſtina 104
cyprus Sabaudis cessit 116

cyprus Venetis ceßit 125
cyprus à Turcis petita 358
cyprus turcis ceßit 369

D

DAmaſcus vrbs 33
damaſcus Saladino ceßit 46
damaſcus à Tartaris capta 81
damaſcus tartaro ceßit 90
damaſcus vrbs deſtructa 113
dambußij conſtantia 133
damiata fruſtra à noſtris obſeſſa 44
damiata à noſtris obſeſſa 69
damiata à noſtris occupata 70
damiata Barbaris reddita 71
damiata denuo à noſtris occupata 78
danicum bellum 323
Daniel elector Moguntinus 362
deſiderius de Tolono Rhodiorum magiſter 245
deſperationis exemplum 231
diadarus Gazæ præfectus 146
didacus Hiſpanus Melitenſis 283
dierum ſortes fallunt 301
diocletianus Imperator 2
diſcordia obeſt Chriſtianis 28,& 34
diſcordiæ obſunt 49
diſcordiæ Chriſtianorum compoſitæ 187
doldequinus rex Damaſcenus 24
domitianus Imperator 2
dracula Valachorum dux 117
dragutes archipyrata 266
dragutus Africa expulſus 309
dragutus in Melita occiſus 332

E

EBerhardus à Roſenberg 106
eberhartus Dominicanus Baſilienſis 84
ebraimus turcæ legatus 356
eckij Rayſchachij mirabilis caſus 273
eccius à Salma Iauarini præfectus 325
eccij à Salma fortitudo 351
edeſſa turcis ceßit 31
edeſſani ſe Chriſtianis dedunt 11
eduardus rex Angliæ 102
egmondum comitis virtus 316
elephantus Spyræ 362
elizabetha regina Angliæ electa 313 & 317
S. Elmi arx in Melita obſeſſa 329
S. Elmi arx à turcis expugnata 333
emanuel Græcorum imperator à turcis victus 46
emerici Auetur Rhodij fortitudo 193
emicho Rheni comes 8
epyrotæ Chriſtianis fauent 362
equo honos exhibitus 160
equis pueri contuti 109
equi commeſti ad Algieram 283
equi omnes in mare præcipitati 284
erdeum à turcis occupatum 324
ericus dux Brunſuicenſis 316
eugenius papa 31
eugenius pontifex 117
exerogorgum oppidum 9
exechij ſitus 259
exploratores vtiles 341

F

FAbritius Caretanus ordinis prior 157
famaguſta vrbs extructa 89
Famaguſta obſeſſa 111,& 359
Famaguſta à turcis obſeſſa 366
Famaguſta turcis dedita 168
Fames ingens Antiochiæ 13
Ferdinandus rex Hiſpanorum 145
Ferdinandus Vngariam occupt 206
Ferdinandi regis de Vngaris victoria 20
Ferdinandus rex Vngariæ coronatus 207
Ferdinandus turcarum hoſtis iudicatus 209
Ferdinandus rex Romanorum 217
Ferdinandi apparatus belli contra turcas 260
Ferdinandi turcica expeditio 270
Ferdinandus Imperator electus 317
Ferdinandus Cæſar obiit 323
Ferdinandus Gonzago 221
Ferdinandi Gonzagæ fortitudo 252
Ferdinandus archidux Auſtriæ 314
Ferdinandus Albæ princeps Belgis præpoſitus 376
Ferentinus Bodo Vngarus 207
Fides hoſti ſeruanda 232,& 375
Flamurani turcarum 213
Florentini ſe Cæſari dediderunt 203
Fœdus Cæſaris & Venetorum 264
Fœdus ſanctum Chriſtianorum 363
Fortitudinis exemplum 61,& 339
Fortunæ inconſtantia 41,& 84
Fortunæ ludibrium 186,& 245
Franciſcus Priuiolus 144
Franciſcus Galliæ rex obiit 308
Franciſcus Caſtilia eques 340
Franciſcus Panceus 363
Franciſcus Iuſtinianus Venetus 364
Franciſcanorum fortitudo 135
Franchofurti turcæ legati 323
Fridericus Barbaroſſa Imperator 56
Fridericus dux Sueuiæ in Syria 57
Friderici Barbaroſſæ interitus 57
Fridericus Imperator tyri ſepultus 58
Fridericus ſecundus Cæſar rex Hieroſolymis 72
Fridericus ſecundus excommunicatus 73
Fridericus tertia Imperatoris effigies 117
Fridericus Comes à Zollerem 112
Fridericus dux Saxoniæ 188
Friderici Palatini virtus 225
Fridericus Carectus 245
Fridericus elector Palatinus 362
Fridericus Garzias occiſus 338
Friſones in ſyria 55
Fulcherus patriarcha Hieroſolymis 31
Fulco rex Hieroſolymis 27

G

GAlatæ populi 122
gallilea tancredo ceßit 18
gdi à turcis acie victi 107
gabrum ſtrages ad S. Quintium 31
gallowm bella inteſtina 322

gallo-

gallorum inaudita cædes 375
galliæ pax reddita 362
galterus Senſaueir 8
garzias Toletanus Prorex Siciliæ 328
garzias Prorex Siciliæ Rhodijs ſuccurrit 344
garzias Laſſus poeta laureatus 250
ganfredus de S. Aldemaro Templarius 23
gaulos inſula à turcis direpta 310
gaza à Ioannitis defenſa 34
gazi turcarum princeps 24
gazelles Mamaluchorum præfectus 172
gedanum bellum 382
gelaſius 2 papa 29
genuenſes & Veneti in Syria diſcordes 80
genuenſium & Venetorum turbæ 101
genuenſes Cypro potiuntur 104
genuenſium ambitio 111
georgianorum ſecta 201
georgius à Regenſpurg 277
georgius Monachus Germanos irridet 271
georgius Monachus occiſus 310
georgij Schillingi conſtantia 282
georgius ſchilling princeps factus 308
georgij Hochenhemij Bombaſti virtus 324
georgio Bombaſto Melitæ obſidio oſtenſa 346
georgius Comes ab Helffenſtein 350
georgius Thuriger 351
gerardus Magiſter Ioannitarum 18
gerardus templi Magiſter captus 53
gerbertus prodigus Ioannitarum Magiſter 43
germanorum nomen turcæ horrent 59
germanorum clades 65
germanorum in ſyriam expeditio 84
germanorum arma quæ 221
germanorum virtus 216
germanorum ſtrages 263
germanorum fuga ad Peſtum 274
gibellanorum factio 99
gilbertus ordinis Ioannitarum Magiſter 39
gladiferorũ fratres in liuonia 74
godeſchalcus 8
gothfridus belli dux electus 7
gothfridus rex Hieroſolymis 17
gothfridus à Clingenfelſs 90
græciæ imago 229
græcorum imperium turbatum 65
græcorum imperium Flandris ceſſit 66
græcorum conſtantia 138
græcorum erga noſtros pietas 236
granata ſaracenis liberata 145
gratia vrbs ſtyriæ 224
grauelingenſis victoria 316
gregorius nonus 72
gregorius 10 pontifex 83
gregorius decimustertius pontifex 375
guelphorum factio 95
guido regni adminiſtrator 49
guido rex Hieroſolymis 51
guido rex captus 53
guido Cypro potitur 62
guido Roſcius Melitenſis 283
guiſanus in Italia bellum gerit 315
guirboca tartarus à nobis abalienatus 82
guletæ ſitus 246
guleta à Chriſtianis expugnata 240
guleta denuo Turcis ceſſit 378
gunther Comes à Schwartzenburg 325
guntium fruſtra à turcis obſeſſũ 221
gyon claſsis Melitẽſis præfectus 328

H

HAbraymus Baſſa 208, & 223
habraymus turca Chriſtianis fauet 242
habraymus à turca vita priuatus 244
hadrianus quartus pontifex 38
hadrianus 5 pontifex 198
haiterſen ſedes Ioannitarum 32
halybaſſa turcarum dux 152
haly turcarum Baſſæ interitus 371
hanibal Altempſis 348
hariadeni Barbaroſſæ fortuna 238
hariadenus mari à turca præfectus 239
hariadenus Barbaruſſa in Galliã tendit 294
haydones qui 257
S. Helena crucem inuenit ſanctam 2
heliæ veſtitus 86
heltuig à Randerſack 97
heluetij Mediolani ducẽ reſtituunt 109
heluetij pro Gallis pugnant 306
heinricus 4 imperator 7
heinricus 5 Imperator 26
heinricus 6 imperator 63
heinricus Cæſar 72
heinricus 2 rex Galliæ factus 308
heinricus 2 rex Galliæ tabernas venit 311
heinrici regis Galliæ mors 320
heinricus 3 rex Galliæ 380
heinricus Londoniæ princeps in ſyria 49
heinricus à Vvalpot Theutonicus Magiſter 58
heinricus Campaniæ comes in ſyria 56
heinricus Mechelburgicus princeps captus 84
heinricus ſtaupitius 355
heinricus Minorita præſul Baſilienſis 84
hequẽ Calipha oſor Chriſtianorũ 3
heraclius imperator 2
S. Herlimus dionyſij monachus 65
hermannus à ſaltza theutonicus magiſter 74
hermannus ſcalarius 82
hertegem à Rechbergus 101
hieroſolymorum ſitus 16
hieroſolyma ſub Tito deſtructa 1
hieroſolymitanorum literæ ad pontificem 4
hieroſolyma turcis primo ceſſit 12
hieroſolyma à Chriſtianis capta 17
hieroſolyma à ſaladino occupata 55
hieroſolymæ regnũ papæ vectigale 67
hieroſolyma à Frider. 2 recepta 73
hieroſolyma à Barbaris recepta 76
hieroſolyma tartaris ceſſit 90
hieroſolyma ſelymo turcæ ceſſit 177
hieronymus Laſchus Polonus 268
hieronymus Comes ſarnenſis 230
hieronymus tutauilla Comes 245
hieronymi Mortinengi interitus 361
hieronymus zianus Venetus 358
hipolytus Medices Cardinalis 220
hippona à noſtris diruta 254
hiſmael ſophus Perſiã occupat 149
hiſmaelis ſophi cũ turcis pugna 165
hiſmael ſophi à turcis victus 167
hiſpania ad Auſtrios peruenit 155
hiſpanorum laus 136
hiſpani Venetis auxilio adſunt 359
hiſpanorum ludicra ſpectacula 375
hiſpanorum ſeditio 223
hiſpanorum temeritas punita 235
hiſpanorum cædes 268
honorius 2 papa 26
hordæ ſcytharum 108
horologia mirabilia 356
horruelij turcæ ſucceſſus 238

hospitalarij S.Ioannis 14
hospitalarij bonis aucti 18
hospitalariorum insigni victoria 52
hospitales S. Ioannis opibus aucti 55
hospitalariorum ordo auctus 63
hospitaliariorum in syria cædes 88
vide Ioannitas
hosti abeunti via sternenda 346
hugo regis Galliæ frater 8
hugo de paganis templarius 23
hugonis templarij constantia 94
hugo Comes in Montfort 120
hungari Germanos odiunt 302
hydruntum occupatum 140

I

Iacobitarum secta quæ 201
iacobus Medices 287
iacobus Schellenbergius 350
iacobi Truckseßij interitus 293
iacobus Foscarius Venetus 374
iadera expugnata 66
ianizarorum ordo institutus 120
ianizarorum priuilegium 159
ianizaris stipendia aucta 162
ianizerorum arma 289
ianus rex Cypri 211
iconium occupatum 10
iconium expugnatum 56
iesu Christi militaris ordo 95
illyria turcis cesßit 107
imperator excommunicatus 73
imperij bellum contra Turcas 349
indicium bellum ob merces 256
indicum bellum ortum 269
induciæ cum turcis decennales 65
indulgentiæ papales impugnatæ 188
innocentius 2 papa 28
innocentius 3 pontifex 65
inuidiæ potentia 245
ioachimus elector Brandenburgicus dux 287
ioachim Sparr Bailinus occisus 376
iolanta Brenni filia Friderico nupta 172
ioannes Hircanus Machabæus 4
S.Ioannis Baptistæ dextra 143
ioannes Elemosinarius 4
ioannes Brennus rex Hierosolymorum 67
ioannes Auria classis præfectus 364
ioannes Baro in Lupffen 87
ioannes Capistranus Monachus 123
ioannes Castriotus 144
ioannes Castriotus dux Epyri 114
ioannes Baptista ab Arch 348
ioannes Cardonus 360
ioannes Cardonus classis præfectus 372
ioannes Cazzianer Croatus 260
ioannes Heckenzer Prior 157
ioannes Lessel 122
ioannes sepulsus rex vngariæ 205
ioannes rex Vngariæ obijt 269
ioannes de Homedes Rhodius 278
ioannes de Homedes Ordinis princeps 317
ioannes Fridericus Saxoniæ elector 308
ioannes superantius Venetus 363
ioannes Græci Imperatoris dictum 30
ioannes Oberdanscus legatus 209
ioannes Baptista Lofredus 303
ioannis Huniadis virtus 115
ioannis Huniadis obitus 123
ioannes de Valetta Melitensis princeps 327
ioannes Valetta Bombasto scribit 346
ioannes ab Hatstein 157,& 206
ioannes Vvilhelmus dux Saxoniæ 316
ioannes della Cassiera Melitensis princeps 380
ioannes Austrius Caroli Cæsaris filias 364
ioannis Austrij magnanimitas 370
ioannis Austriaci obitus 383
ioannes Tarnouius Polonus 288
ioannes vvernherus à Reutnaw 324
ioannes Vagno Melitæ præfectus 328
ioannes Vnganotus 260
ioannes schlegelholtz 130
ioannitarum origo 4
ioannitarum habitus 19
ioannitarum iuramentum 19
ioannitis priuilegia confirmata 37
ioannitarum leges 19
ioannitæ vt recipiantur 157
ioannitarum equitum cædes 22
ioannitarum opes absumptæ 43
ioannitarum clades 53 vide Rhodios & Melitenses 355
ioannitarum clades in syria 76
ioannitæ syria excluſi 88
ioannitæ syriam abiurant 90
ioannitarum in Rhodios apparatus 97
ioannitæ Rhodo discedunt 206
ioannitæ Niceam inhabitant 202
ioannitis Melita insula tradita 212
ioannitarum clades in mari 315
ioannitarum in Melita copiæ 328
ioannitarum constantia 333
ioannitarum Magistri conditio 213
ioannitarum principum nomina 380
ioannitarum priorum in Germania princeps 308
ioannitarum laus 343
ioannitarum equitum strages Melitæ 346
ioannitauum in nauali pugna periculum 372
ioppe à Barbaris destructa 65
isacius Angelus Græcorum Cæsar 56
italia depicta 50
italia à turcis vastata 147,239,& 246
italiæ ora à Turcis vastata 297
italia bellis turbata 312
iudæorum calamitas 1
iudæi à Germanis occisi 8
iudæus medicamentis regem interficit 40
iudæi Medici scelus 162
iudæi Christianis obsunt 179
iudæorum scelus 99
iula turcis dedita 353
iulianus Cardinalis 117
iulius 2 pontifex 164
iulius 3 pontifex 309
iuuarinum exustum 355
iunusbassa turcarum dux 153
iunusbassa à selymo trucidatus 181
iuramentum Afrorum 304
iuonia Vayuoda vvalachiæ 377

L

Ladislaus Vngariæ rex 115
ladislaus Keretschenij metus 753
lancea domini reperta 15
laodicea expugnata 20
latini pelluntur Hierosolyma 53
latini Constantinopoli expulsi 48
latini omnes ex Asia pulsi 200
lazarus seruiæ despota 104
lazari suuendij virtus 316
lazarus suendius dux copiarum 323
L.suuendius immeritò accusatus 355
legati violati pœna 161
legatorum violatorum pœna 185
legati vt ad turcam admittantur 356
leo strozza 295
leonardus Negaiolo Vicentinus 219

leonar-

leonardus Velſius 214
leonardus Velſius copiarum dux 270
leonardus Velſius Ferdinandi legatus 276
leporis venatus infelix 33
leprotorum ſcelus 99
leproſi contempti 109
lesbos turcis ceßit 126
liberalitatis exemplum 102, & 137
liburnicæ triremes quæ 343
linguæ octo Rhodiorum 157
lintzenſis comitatus emptus 63
lintium à Turcis vaſtatum 223
literæ falſæ obſunt 163
literæ ſolymanni ad Cæſarem 222
Locuſtarum agmina 8
lodronij inſignis conſtantia 263
lotharius ſaxo Imperator 26
lutheren à Ioannitis emptum 76
lucia virgo in Sicilia 205
lucinus pontifex 50
ludouicus Bauariæ dux in Syria 70
S. Ludouici imago 77
S. ludouicus à Barbaris captus 78
S. Ludouicus in Africa obijt 83
ludouicus 4. Imperator 100
ludouicus Sabaudius rex Cypri 116
ludouicus duodecimus rex Galliæ 160
ludouici regis Vngariæ calamitas 202
ludouicus Vngenadius 350
luffiebeyus Turcarum Baſſa 208
lupoldi Auſtriæ ducis periculum 61
luſignam Cyprum occupant 62
luſitanorum in oriente bellum 255
luſitanorum in India fortitudo 269
luſitanorum inteſtinum bellum 384
lutetiæ nuptiæ regales 319
lutheri noua doctrina 788
luxuria Afrorum 303
lycaonia turcis ceßit 101

M

MAcedonia turcis ceßit 107
machometes pſeudopropheta 2
machometis falſa ſecta 91
machomet turcarum rex 112
machometes 2 turcarum rex 120
machometis turcæ potentia 140
machometes Iaoglis Pannoniæ præfectus 300
magdenburgum obſeſſum 330
magorum familia in Perſide 81
magi in Africa 251
magiſtrorum equitum ſedes apud turcas 213
mahociorum apud Turcas familia 167
maluaticum vinum 364
mamaluchorum diſcordia & origo 146
mamaluchorum fortitudo 173
mamaluchorum fuga 179
mamaluchi deleti 183
mango Tartarorum princeps 80
manuſtra vrbs expugnata 11
marcus Griuanus patriarcha 264
marcus Antonius Columna 363
marcus Columna claßis dux 372
marcus Horbatus Sigethi præfectus 313
marcus Moluilis præfectus Melitenſis 373
mareſia vrbs occupata 12
marij Philelphi conſtantia 136
margarita Belgiæ propoſita 320
marieburgum in Pruſsia ædificatum 74
marquardus præſul ſpirenſis 362
marrha capta 15
S. Martini nox vino ſacrata 65
martinus Lutherus Indulgentias impugnat 188
martinus Roſſenius 306
maſius Colonellus eques 355
mathias rex Vngariæ 144
mathias Archidux Auſtriæ 383
maurica lingua quæ 146
mauritius imperator 2
mauritius ſaxoniæ ducis fortitudo 290
mauritius Oenipontem occupat 311
mauritij interitus 312
maximinus imperator 2
maxentius imperator 2
maximiliani Cæſaris imago 171
maximiliani Cæſaris bellum cum Venetis 169
maximiliani 2 Cæſaris laus' 310
maximilianus 2 Cæſar electus 323
maximiliani Cæſaris liberalitas 349
maximiliani cum turcis inducie 356
maximiliani Cæſaris mors 381
maximilianus Eberſtenius 219
maximilianus Eberſtenius dux 245
maximilianus comes Buranus 306
maylatus Vngarius deceptus 277
mechlinia vrbs direpta 376
medici in patiente fides 275
mediolanum Carolo 5 Cæſari ceßit 245
melaxala ſolthanus Aegypti 78
melchior Balaſſus 323
melechenus ſolthanus 82
meleſindis pietas 30
meleſenda virgo 40
melitæ inſulæ ſitus 216
melitæ magnitudo & fertilitas 211
melita Ioannitis tradita 212
melita primò à turcis tentata 309
melita à turcis liberata 346
melitenſium claßis in Græcia 229
melitenſium in mari ſucceſſus 273
melitenſium periculum à turcis 332
melita à turcis obſeſſa 318
melitenſium clades 334
melitenſium ingens periculum 343
melitenſes turcas excipiunt 317
melitenſes duas triremes amittunt 361 vid. Ioannitas
memphis præſidio munita 180
memphis tres vrbes 181
memphis à turcis occupata 183
meninges inſulæ fertilitas 321
mercanta vrbs condita 113
mergathum ædificatum 85
mergathum in ſyria captum 85
meſopotamia turcis ceßit 243
methone turcis ceßit 148
methone vrbs à Rhodijs occupata 230
metis à Gallis occupata 312
metis fruſtra obſeſſa 312
michael dux Venetorum 25
michael Paleologus Græcorum Imperator 86
michael ſurianus Venetus 363
S. Michaelis ars fruſtra oppugnata 338
S. Michaelis arx Melita defenſa 341
militares ordines in Hiſpania 95
miſachus Paleologus 131
molai præfectus tartarorum 91
moldauia turcis ceßit 377

monachus fit dux copiarum 265
monasterium Hierosolymis 3
monasterium in Bethania 30
mons regalis castrum 22
moralius Lusitanus proditor sublatus 198
moscouia à Polonis vastata 385
muleasses Tunetarum rex 240
muleaßis regis vestitus 250
muleasses Cæsari subiectus 254
muleasses excæcatus 304
muleaßis regis literæ 307
mulieris libido 99
muliebris fortitudinis exemplum 301
mulieris audax facinus 359
mulieres pro fide pugnant 23
mulieres inter milites repertæ 167
mulierum Rhodi fortitudo 135
muliebris vestitus loco ignominiæ 85
mutferacatarum ordo apud Turcas 256
mysia phrygiæ à turcis occupata 92
mysia turcis cessit 101

N

NAres occisis abscißi 145
nasadiæ apud Vngaros quid 220
natolia quæ 117
naualis horrenda pugna 371
nauarræ rex in Syriam profectus 75
naufragij calamitas 282
naupactum turcis cessit 148
neorthus insula Venetis cessit 149
nestor Martinengus Venetus 368
nerua Imperator 2
nicea à Christianis expugnata 10
nicea Rhodiorum sedes 202
nicea Gallorum à Turcis obsessa 295
nicolaus quartus papa 87
nicolai sdrinij Constantia 264
nicolai Serini fortitudo 353
nicolai Dandali interitus 359
nicolaus Comes à Salma 214
nicolaus Comes Salmensis 276
nicolaus ab Hatstat dux copiarum 350
nicolaus Polluilerus 314
nicolizæ Iuriski fortitudo 22
nicosia à Turcis occupata 359
nili vbertas 69
nocturna pugna Melitæ 342
noradinus Christianis obest 33
noradinus Christianos profligat 39
norici montes Austriam secant 224
noruegi in Syria 21
noua terra inuenta 382
numidarum arma 280

O

OCcasio neglecta nocet 278
ochial Turcarum dux 330
ochialis Leptitanis præficitur 336
opilionis vita beata 109
oppugnatio difficilis 139
oppugnatio acris ad Rhodium 194
orchaues Turca Mysiam occupat 100
ortogules turca 93
otto Fotiscus Vngarus 288
ottomannorum familia alias sustulit 92

P

PAcis conditiones malè reiectæ 69
pax cum solthano inita 79
pax rescissa obest 117
pax inter Gallum & Anglium 317
pacis spes in Vngaria sublata 326
pax in Gallia facta 362
paleologus dux Turcarum 137
palestina à Turcis vastata 44
pandeadensis vrbs Ioannitis oblata 38
pannonia à Turcis vastata 297
vide Vngaria
papa Imperatorem excommunicat 73
pascauiensis pax 311
paschalis papa 21
pastorelli cæsi 79
patras vrbs à nostris capta 232
patris erga filium affectus 274
patriarcha Hierosolymitanus 21
patriarchæ ambitio obest 26
patriarchæ cum Ioannitis contentio 37
D. Paulus Melitæ habitauit 212
paulus tertius pontifex 236
paulus 3 papa obijt 309
paulus 4 pontifex 312
paulus Bachitius Vngarus 207
paulus Bachitius copiarum dux 260
paulus Iustinianus 264
paulus Simeon Rhodius Niceæ præest 294
paxus insula 267
pecunia magna Hospitalarijs donata 72
pelagij Cardinalis consilium obest 69
peloponnesi situs 232
peloponnesi isthmus muro cinctus 119
peloponnesus Turcis cessit 126
pelasium à nostris expugnatum 45
penulæ sanguine tinctæ 237
pera vrbs turcis cessit 122
perfidia punita 118
perfidia subditorum nocet 178
perinus de ponte Ioannitarum Magister 215
persæ Hierosolymam occupant 2
persæ Turcas prælio vincunt 150, & 153
persici belli cum Turcis occasio 163
persarum arma quæ 165
persarum de Turcis victoria 384
pertinacia obest 207
pestis Antiochiæ 15
pestis atrox in Syria 61,70
pestum à nostris obsessum 289
pestum frustra oppugnatum 292
petri eremitæ peregrinatio 4
petrus dux Moldauiæ 237
petrus Angelus poeta 296
petrus de Monte ordinis Magister 358
petrus Iustinianus eques 372
petrus Beluisius templarius 87
petrus Mesquitus Melitæ præfectus 334
petri Valettæ literæ ad Melitanos 334
petrus Dambußius Rhodius 129
petrus Strozza 316
petrus Vichius Vngarus 276
petrus Perenus Vngarus 287
petrus Perenus vngarus captus 293
petrus dux Hetruriæ 380
philibertus Sabaudus Belgis præfectus 313
philibertus Marchio Badensis 350
philippus rex Galliæ in Syria 60
philippus Galliæ rex Syriam reliquit 61
philippus alius rex Galliæ 94
philippus Valestos rex Frãcorũ 100
philippus Maximiliani Cæsaris filius obijt 155

philippus

philippus rex Hiſpaniarum 360
philippus Angliam acquirit 312
philippus rex vlixbona potitus 386
philippus Villarius Lilidamus Rhodius 190
philippus Haßiæ Landgrauius 308
philippus Sulmonenſis princeps 283
philippus Palatinus Rheni 214
philippus Flachius 32
philippus Flacchius in Vngaria 351
philippi Flachij virtutes 376
philippus Laſcarus noſtris prodeſt 335
phocas imperator 2
phocide turcis ceſſit 107
phrygia turcis ceſſit 101
pial turcarum dux 329
pial maris præfectus 328
pierani Aquitani Rhodij virtus 194
pietatis in homines exitum 284
pilani à Venetis victi 14
piſaurius Venetorum præfectus 148
pius 2 pontifex 126
pius 4 pontifex 320
pius 5 pontifex Romanus 249
pluteorum in pugna vſus 344
pœni faciem linteis tegunt 305
pollices hoſtibus reſciſi 109
polonorum de Tartaris victoria 147
polonorum de Moſcis victoria 383
polosko à Polonis occupata 384
pontifex Syriæ obeſt 90
portugalenſe bellum 384
poſſega regio Vngariæ 259
pretoiannis fines 187
principis officium 130
priores octolinguarum apud Rhodios 156
prodigia viſa 8
prodigia clades præcedunt 53
proditoris nequitia 173,& 184
proditionis magnus vſus 170
proditores obſunt Mameluchis 180
proditio inauſpicata Budæ 272
proditio obeſt 33
proditio turcis grata 378
proſperus Columna 348
prouidentia vtilis 130
pruſia turcarum regia 93
pruſſia Theutonicis data 74
ptolemais capta 20
ptolomais à noſtris obſeſſa 55
ptolemaïs turcis ceſſit 53
ptolemais à noſtris expugnata 60
ptolomaidis vrbis periculum 87
ptolomais à Saracenis expugnata 88

Q

Qvinqueccleſia vrbs Vngariæ 314
S. Quintini miſerabilis ſtrages 315
quirinus Venetus claßis præfectus 363

R

Raymundus toloſanus 8
raymundus Ioannitarum magiſter 19
raymundus Lupus Rhodius 199
raymundus tripolitanus proditor 53
raymundus mortuus & circumciſus inuentus 54
raimaldus Anthiochiæ princeps 38
raimaldus ab hoſte captus 40
raimaldus Caſtellio obtruncatus 53
raimaldus Syriæ præfectus 74
ratisbonenſia comitia 219
ratisbonenſia imperij comitia 271
rauennenſis pugna 164
reges Barbari à ſacerdote coronati 243
rex fit monachus 99
rex loco ſcabelli 110
reginalus copijs præfectus 9
religionis forma Auguſtæ facta 308
reſurrectionis domini templum 2
rhacos apud Vngaros 206
rhodolphus Hapſpurgenſis Cæſar 84
rodolphus 2 Cæſar electus 381
rodolphus de Maßmunſter 101
Rhegium à Barbaris direptũ 294
rhodus inſulæ figura 96
rhodi vrbis ſitus 132
rhodus Ioannitis ceſſit 98
rhodus à ſolthano obſeſſa 120
rhodus à turcis obſeſſa 131,& 191
rhodiorum & turcarum fœdus 143
rhodus cur oppugnari cœptus 190
rhodij Chriſtianos frustra implorant 191
rhodus ſoluta obſidione 140
rhodiorum ingens periculum 194
rhodiorum mirabilis virtus 196
rhodus vrbs diruta 195,& 197
rhodiorum antiqua conditio 97
rhodus turcis dedita 199
rhodiorum Magiſtri electio 157
rhodiorũ princeps cui ſubiectus 157
rhodij hortantur Chriſtianos ad pacem 169
rhodiorum claßis Venetis auxilio 149 vide Ioannitas.
richardus Anglus Cyprum occupata 60
richardus Anglus Viennæ captus 63
richardus Anglus in ſyria 75
richardus Palatinus Rheni 352
richartus à Bulach 130
robertus Angliæ regis filius 8
rochendulphi calamitas 275
robertus Flandriæ comes 8
rogerius Antiochenus 24
rogerus Ioannitarũ Magiſter 47
romanus Argyropibus imperator 3
romanorum à turcis periculũ 248, & 294
romæ vrbis imago 317
roma à Carolis expugnata 209
roma ab Hiſpanis obſeſſa 315
romanæ eccleſiæ repugnatum 30
romanum auxilium quod 349
romania quæ 117
roſcetes rex tuneti 240
roxolana ſolymanni vxor 248

S

Sabatia arx 144
ſabaudiæ dux rex Cypri 116
ſabaudiæ ducis inſigne 380
ſacerdotum mores correcti 5
ſacerdotes Antiochiam turbant 47
ſagittis literæ appenſæ 198
ſalazar Hiſpanus centurio 334
ſaladinus Aegyptum occupat 43
ſaladinus à noſtris victus 46,& 48
ſaladinus prælio victus 56
ſaladini funebria 63
ſalamonis templum turcis ceſſit 3
ſaluiatus Rhodiorum præfectus 230
ſaluagij Rhodij induſtria 330
ſamaichandæ obſidio 80
ſanguinus Turcarum princeps 28
ſanguinis Chriſti particula 76
ſaraceni ſyria potiuntur 2
ſaraceni non ſeruant fidem 79
ſaraceni ex Hiſpania pulſi 145
ſaxouaroglis proditor fit dux 170
ſaxones contra Turcam pugnant 325
ſcodra vrbs oppugnata 127
ſeditio Italorum 218
ſeditio pacata 136
ſeditio punita 265

ſeditio Hiſpanorum Viennæ 223
ſeditio militaris obeſt 232
ſcanderbergus 114,120
ſclopeti ephippiarij 302
ſcotorum clades 169
ſebaſtia deleta 109
ſebaſtianus Venerius Venetus 361
ſebaſtianus rex portugaliæ occiſus 382
ſeleucia Toloſano ceßit 18
ſelymus patri bellum infert 158
ſelymus à patre victus 160
ſelymus Imperator Turcarum 161
ſelymi Turcæ parricidium 162
ſelymus à Perſis fugatus 168
ſelymi Turcæ fortitudo 173
ſelymus Turcarum Imperator 354
ſelymi Turcæ luctus 373
ſenæ à Cæſare obſeſſæ 312
ſepulchrum Chriſti fœdatum 76
ſepulchri Dominici ordo 95
ſergius Monachus 92
ſerui apud Turcas puniti 187
ſeruorum memorabile facinus 252
ſeuerus Imperator 2
ſiciliæ ſitus 205
ſiciliæ reges Hieroſolymam tenent 72
ſicilia pontifici vectigalis 81
ſidon Chriſtianis ceßit 21
ſiderum motus in machina 276
ſidon & Berithus noſtris adempta 86
ſigiſmundi Cæſaris effigies 112
ſigiſmundus à turcis victus 107
ſigiſmundus rex Poloniæ obijt 308
ſigiſmundus Liechtenſteinius 276
ſigethum frustra à Turcis obſeſſum 313
ſigethum à Turcis expugnatum 352
ſpirenſia comitia 361
ſimon patriarcha 4
ſinambaſſæ Turcæ fortitudo 175
ſinas Iudæus turcarum dux 252
ſitis vehementia 251
ſmalkaldicum bellum 308
ſmyrna noſtris ceßit 102
ſolymannus turcarum Imperator electus 188
ſolymannus ſe Imperatorem dicit 219
ſolymannus in caſtra Rhodum venit 192
ſolymanni humanitas in Rhodios 200
ſolymanni turcæ forma 222
ſolymannus proceres occiſos irridet 204
ſolymanni ſpolia ex Vngaria 205
ſolymanni turcæ fuga ex Auſtria 227
ſolymanni in Perſiam expeditio 242
ſolymanni turcæ ſuperbia 276
ſolymanni odium in Melitenſes 326
ſolymanni in Vngariam aduentus 350
ſolymannus in Vngaria obijt 353
ſolthanus primus Aegypti 92
ſomnij euentus 26
ſophi Perſarum propheta 149
ſororga vrbs Chriſtianis dedita 11
ſtarlingum genus monetæ 71
S. Stephani Vngari corona 206
ſtephanus Bleſenſis comes 8
ſtephanus Bator Vngariæ prorex 207
ſtephanus infans rex Vngariæ 269
ſtephanus Maylatus Vngarus 237
ſtephani Dobonis virtus 312
ſtephanus Bator rex Poloniæ 380
ſtephanitarum equitum ordo 343
ſtella noua exorta 375
ſtiriæ ducatus emptus 63
ſtrigonij ſitus 220,& 298
ſtrigonium turcis deditum 299
ſubaſes turcarum 213
ſurianorum ſecta quæ 201
ſybillina pellis 237
ſyfridus Monachus 82
ſyraconus à noſtris acie victus 42
ſyracuſarum opes 210
ſyracuſæ Rhodiorum ſedes 205
ſyria à tamerlane occupata 112
ſyria Saracenis ceßit 2
ſyria bellis turbata 146
ſyria turcis ceßit 174,& 187

T

TAmaſius rex Perſarum 38
tamberlanis fortuna 107
tamberlanes turcis bellum denuntiat 108
tamberlanis crudelitas 109
tanis vrbs à noſtris occupata 70
tarſus Ciliciæ à noſtris occupatur 10
tartari Syriam inuadunt 80
tartari Syriam occupant 89
tartari Syriam recipiunt 91
tatta euerſa 299
tauriſium Perſarum regia 168
tauriſium à turcis occupatum 244
temeritas punita 235
tempeſtatis vehementia 243
tempeſtas inaudita 282
templa à turcis illæſa ?
templariorum ordo inſtitutus 23
templarij duodecim ſuſpenſi 41
templarij caſtigati 74
templarij cum Saracenis conſpirant 77
templariorum ſucceſſus 94
templarij omnes deleti 94
templariorum bona Ioannitis data 95
termeus Strozza Italus 316
terræmotus ingens 154
theobaldus Comes pfirtenſis 84
theodonis villa expugnata 316
theodorus Flandriæ comes 29
theſaurus apud occiſum inuentus 237
theſſalia turcis ceßit 107
theſſalonica turcis ceßit 114
theutonicorum ordo inſtitutus 23
teuthonicorum ordo confirmatus 58
theutonicus ordo in Pruſſiam 74
thomas Medicus Florentinus 373
titus Imperator 2
tokaium à noſtris occupatum 324
tomumbeyus rex Aegypti 174
tomumbeyus rex captus & occiſus 186
tormentorum vſus 176,192,et 267
tormenta à turcis capta 231
torniellus Italorum præfectus 300
thracia turcis ceßit 103
traianus Imperator 2
traiectum inferius direptum 380
traiectum ſuperius expugnatum 383
transfigurationis feſtum 123
transfugis non credendum 138
tranſyluanorum tumultus 236
tranſyluania puero ceßit 276
tranſyluana Ferdinando ceßit 310
tranſyluanicum bellum 323
tranſyluaniæ nouus motus 385
trapezontium turcis ceßit 124
tridentinum concilium 308
tripolitanus Comes cum turcis conſpirat 48
tripolitanus Comes ſe turcis iunxit 52
tripolis noſtris adempta 86
tripolis turcis dedita 310
turcæ Syriam primo occupant 2
turcarum prima clades 10
turcarum origo 91
turcæ & Saraceni commixti 92

turcarum bellum intestinum 141, & 315
turcæ in Græciam vocati 103
turcæ à Parthis victi 110
turcæ ad Belgradum victi 123
turcarum ad Rhodum strages 139
turcæ Persas prælio vincunt 153
turcarum strages in Persia 167
turcæ Mamaluchos vincunt 176
turcæ à Persis cæduntur 179
turcarum cædes ad Rhodum 193
turcæ Rhodo potiuntur 200
turcarum perfidia 214
turcæ vina bibunt 223
turcarum crudelitas 224,225
turcarum miserabilis strages 226
turcarum in Persia successus 243
turcarum in Persia clades 244
turcarum in India bellum 268
turcarum plures diuersi exercitus 273
turcarum in Vngaria successus 275
turcæ pro Gallis pugnant 294
turcarum ad Agriam cædes 312
turcarum ad Melitam aduentus 318
turcarum in Melita cædes 332
turcarum in Melita strages 339
turcarum in Melita clades 346
turcarum furor in Melitenses 334
turcarum strages 352
turcarum clades in Vngaria 355
turcarum miserabilis clades 373
turcarum pax cum Venetis 377
turcarum noui motus 385
turcarum vires in multis locis 171
turcarum mores 93
turcarum victus 93
turca armatus legatos audit 356
turcarum legati Frankofurti 323
turcarum mos in regione conseruanda 299
turcicum bellum decretum 219
turcica castra descripta 222
tunetanum imperium 240
tuneti imago 247
tunetani belli occasio 245
tunetum à nostris obsessum 106
tunetum à Hariadeno occupatũ 241
tunetum Carolo cessit 253
tunetum tandem turcis cessit 380
tunetani regis libido 240
turquemius Solthanus 79
turres ex cæsorum caluarijs 114
tyrus vrbs expugnata 25
tyrus montis ferratensi cessit 55
tyrus nostris adempta 86

V

VAccia vrbs Vngariæ 288
valdemarus daniæ rex 74,et 102
valerianus Imperator 2
valetæ principis Rhodiorum cura 331
valetæ principis Melitensium constantia 343
valeta noua vrbs in Melita 330
varnensis pugna 117
vayuoda à turcis susceptus 209
venetiarum figura 255
veneta classis in oriente 14
venetorum virtus in Syria 25
veneti Cyprum occupant 125
venetorum de turcis victoria 127
venetorum pax cum turcis 127,& 149
venetorum pax cum turcis firmata 162
venetorum & turcarum conflictus 258
venetorum pax cum turcis 269
venetorum belli apparatus contra turcam 358
venetorum, pontificis, & Hispani fœdus 363
venetorum ingens lætitia 373
venetorum pax cum turcis 377
veronense concilium 51
vesprinium turcis ademptum 351
vexillum solymanni 344
vincentius Capelius Venetus 229, & 264
vinum quando turcis concessum 93
virginius Vrsinus occisus 373
visir turcarum 208
viterbium Ioannitarum sedes 325
vladislaus vngariæ rex 115
vlixbona Philippo regi cessit 386
vngariæ imago 218
vngariæ forma 291
vngari cæsi à Christianis 8
vngaria à turcis tentata 202
vngarorum clades ad Mugaciũ 203
vngarorum mos in hoste occiso 237
vngaria turcis cessit 214,217
vrbanus 2 pontifex 5
vrbanus tertius papa turbanus dictus 51
vrbanus 4 pontifex 81
vrbanus 5 papa 102
vrbes viris censentur 71
vrinator mirabilis 65
vsarones qui 207

W

WVelsensis comitatus emptus 63
vviennense concilium 99
vuienna à turcis obsessa 214
vviennæ oppugnatio 216
vvilhelmus comes in Furstenberg 306
vvilhelmus de Monteacuto Ioannitarum Magister 69
vvilhelmus Longospatus 77
vvilhelmus Rogendolphus copiarum dux 271
vvilhelmus villaretus Magister 98
vvolffgangus Palatinus Rheni 352
vvolffgangus Hoder 215
vvolff Theodoricus à Pfirdt 287
vxorem repudiare ignominiosum 109

Z

ZAcharias Grumberger 350
Zazynthus Turcis cessit 127
zelus Christianorum ad bellum 7
zyzimus turca 141
zyzimus Rhodum fugit 142
zyzimus veneno sublatus 143

FINIS.

173183

doubtaue eqz attendentes p
qz doubtachones opinionu
aplicndere quicuqz aliquo
de ipsa attulerunt nichil quod
dcõ decipiamur. Quo cuqz

Principiale q̃ ut est
appone. que marime
indentitur in cẽ ipi sed natu
ram. Animatũ g̃ ab inanimato
duobz modis marime differre
ducitur: motu quod z sentire.
Accipiamus aũ ageneratibz
fere vtrisq; duo de anima. Quic
eni quidam animarum ap̃no
atam cẽ illud qd est motiuum
ipm̃ntes aũ q. nõ moueatur
quin nõ attingẽ moue aliud aut
que mouentur aliquid atam
arbitrantur cẽ. Vnde democ
critus ignem quẽdam aut ca
lorem dicit ipsam cẽ. Simulat
eni cõtinentibz figuris z ato
mis que sunt ipe rotunde g
nerat atam dicẽ. ut in aere
q̃ ueantur delationes quem
dentur p̃ ipsarũ mi radios qrũ
unice semine cẽ ela dicit continu
natura. Silr aũ leucippus z de
hoy aũ ipe rotunda figura atam
ipm̃ q. marime p̃ hanc posse

penetrare hi figure z indue rehq
cum moueantur. z ipi animã
tes sedm̃ cẽ adhibent ceteris mo
tum. Vnde cum nõ inuenidi esse
respõsum. Adducente eni ormẽ
te corpora respuente figuras
plentes alibi motũ. et eo q̃ in cẽ
ipi eas quiete. tra nullo modo
aut rarum fi celerit. Ingredien
tibz aũ aliis hi multiplicando phi
bere eni pas q̃ minuat alibi dil
gregari. Coppentes adducente z
denlantem. Vnde aũ quouisqz
possit hi face. Videtur aũ rap̃
tagoricis dictũ eand hẽ intel
ligentiam. Quitem quidã illoz
atam cẽ que sunt in aere decisio
es. Alii aute hãt mouent. nec
hiis aũ dem̃ cẽ ipi d. q. cum nec
uideantur moueri. Nã sic tran
quillitat ultima. Vn nõ ferit
quicqz diu atam cẽ se ipm̃ mo
uent. Videntur aũ hi omes
accipe motum magnitudinem
cẽ adeo rara quod omia mobi
p ipam atam. Ipsam aũ se pa
ipi d. q. nichil uideatur mouent q.
nõ ipm̃ moueantur. Silr aũ
ang rag dicit atam cẽ mouẽtẽ
se z aliquit simul dicit q. ame
mouentẽ intellectu. Sicut pe